BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
5 A
17
M

[?] R. II ed., To II, p. 274 n. 1

5. 13. G. 1

IOANNIS BAPTISTAE EGNATII, VIRI DOCTISSIMI, DE *exemplis illuſtrium virorum Venetę ciuitatis, atque aliarum Gentium.*

Cum indice rerum notabilium.

AL DVS

Bibliot. Secr. Coll. Rom. Soc. Iesu

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,

Apud Bernardum Turiſanum, via Iacobęa, ſub Aldina Bibliotheca.

1554.

CLARISSIMO
VIRO PETRO FRANCI-
SCO CONTARENO AVVN-
*culo integerrimo, Marcus Molinus
clariſsimi Marci Procuratoris filius*
S. P. D.

SI QVOD eſt, chariſsime auũcule, excolendæ hominum vitæ munus, à magnis olim viris, ac ſapientibus excogitatum, ſiue diuino beneficio vltrò conceſſum, quod nos laudare maximè, in primíſque admirari deceat, illud profectò, quod nobis ex hiſtoria emanauit, ſummum atq; præcipuum omnium meritò æſtimari debet. Quandoquidem nihil eſt in omni hominum vita, vnde maiores vtilitates & honeſtiores voluptates

capiamus,quàm ex hiſtoriæ cognitione. Hæc vna nimirum nos pueros alit, erudit, inſtituit, & ad omnem virtutē componit. Iuuenes ad laudatiſsima, & honeſtiſsima quæque exemplis excitat,à turpitudine vitiíſque deterret: ętatē quoque nimium ſui confidentem, & ad temeritatem procliuē coërcet, atq; nihil nihil ſupra vires citráque conſilium eſſe audēdum alieno diſcrimine docet: quod diſcendi genus optimum exiſtimatur. Senes præterea delectat, & illius ætatis tædium rerum varietate mirificè leuat. Huius beneficio nullibi gentium peregrinamur. Ecquod quæſo hominum genus tanta vel maris vaſtitate, vel montium mole à nobis diſiunctum eſt,ac penitus diuiſum, quin hæc ad eius notitiam nos quaſi in rem præſentē perducat? Quæ res vnquàm

tanto vetuſtatis ſitu oppreſſa támq; ab hominũ memoria ſeiuncta, quin hiſtoriæ beneficio in priſtinum lumen, ac ſplẽdorem reuocari queat? Quamobrem hiſtoricos non modò ſcriptoribus alijs, ſed ipſis etiam legum latoribus, quibus poſt deos immortales, ſummi honores ſemper delati ſunt, iure optimo anteferas. Nam dum leges condunt, dum inſtituta ciuibus præſcribunt, dum præcepta rectè viuendi tradũt, proſunt illi quidem, ſed certum vnius ciuitatis populum inſtituunt. Hi autem exempla ſuppeditant infinita, quæ omnium mortalium animos multò magis, & iuuare & mouere queant. Vt meritò à doctiſsimis viris ſola hiſtoria vitæ magiſtra, temporum teſtis, lumen veritatis, nuncia vetuſtatis appelletur. Quòd vna ab ipſius mundi primordio quic-

quid vbique terrarum dictu, factúve memorabile geſtum ſit, ab iniuria temporum, è tenebris obliuionis, in lucem ac hominum memoriam vendicet. Quid quod eius cognitio, cæteris facultatibus non ſolùm eſt vtiliſsima, verumeitam longè maximè neceſſaria? Qualis obſecro futurus orator ſi hiſtoriæ cognitione careat? quàm aridus, quàm ingrata multitudini eius oratio, quàm propemodũ elinguis videbitur? Vnde orationis copia atq; verborum? vnde ſentẽtiarum ornatus? vnde nobis vis illa exemplorum, quæ quaſi arietes & bellicas machinas auditorum animis admouere ſolemus? Iam ne poëtæ quidem quorum præcipuæ partes ſunt delectare, vel etiam docere, tantam voluptatem allaturi videntur, niſi grandiloquã illam, ac tragicã tubam ab hiſtoricis ſum-

pſerint. Sed ne ſingulis morer, cum longè aliud ſit mihi conſiliũ, quàm hiſtoriæ laudes contexere, quis non videat certiſsimis rerum argumentis, hiſtoriam ab omnibus eſſe maximè expetendam? quòd vna ex omnibus apud quamuis barbaram nationem, & incultam, expers calumniæ fuerit? Nec vllus adhuc mortalium tam impudens, tam temerarius inuentus ſit, qui eam aliquo conuicio inceſſerit. Grammatice quidem à pleriſque vt grauis & moleſta, vt nugarum, ſuperſtitionúmque plena vituperatur. Eloquentiam quoque ipſam, quam aliàs dominam ac principem ciuitatum fecerunt, multi ex doli mali formula, quòd verborum quibuſdam præſtigijs iudicibus imponat, ream peregere. Quin & philoſophia, vt otioſa, ac plena deſidiæ, &

prorſus mortalibus inutilis male au dit, atque vulgò conuitijs proſcinditur. Iis adde, quòd non indoctiſsimi viri, totum hoc philoſophari, aut damnauerunt omnino, aut paucis attingendum monuerũt. Sola igitur ſupereſt hiſtoria, omniũ iudicio ſemper laudata, omnium ſuffragijs, vel etiam Palladis (quod aiunt) approbata, nullis probris, nullis contumelijs obnoxia. Verùm cum omnes hiſtoriæ ad hominum vitam rectè inſtituendam plurimũ faciunt, tum illæ in primis, quæ exemplis quamplurimis abundant. Siquidem ad commouendos animos vim multo maiorem habent exempla, quàm ipſa verba. Quoniam ita ſiue natura ſiue moribus comparatum eſt, vt omnes id libentius agant, cuius authores viros præſtantiſsimos fuiſſe intelligant. Quod

nemo(mea quidem ſentētia) ex antiquis ſcriptoribus facilius,abundátiúſque præſtabit, quàm vnus Valerius Maximus.Is enim omnia quę in alijs ſcriptoribus ſparſim legebãtur exempla in vnũ congeſsit. Hũc poſtea ſecuti Fulgoſius, & Sabellicus doctiſsmi viri,aliquot exemplorum libros,ſed non eodem ordine, quo Valeri9,neq; pari fœlicitate edi derunt. Poſt verò omnes, Egnatius vir ob egregiam eruditionem omni memoria dignus, hanc ſpartam ſibi exornandam accepit:tantúmque in hoc ſcribẽdi genere profecit,vt priores omnes multis partibus ſuperauerit,ſolúſque viſus ſit omne tuliſſe punctum. Conſcripſit itaque nouem libros exemplorum ex Valerij Max.præſcripto. Sumpſit primùm religionis exempla ab ipſis vrbis incunabulis. Deinde quæcunque vel

noſtra,vel patrum, vel etiam ſupe-
riore ætate vbique gentium, atque
locorum digna relatione geſta ſunt,
miro animi candore tractauit:vt ni-
hil ad hominum plauſum confictũ,
nihil in quo eius aut fidem aut dili-
gentiam deſideres,inuenias. Sedve-
luti frugaliſsima apis, per amœna
omnium tum veterum tum recen-
tium ſcriptorum prata peruolitans,
ex vnoquoq; quod eſſet optimum
ad tam egregium opus decerpſit,at-
que in hos libros tanquam in recen
ditiſsimos theſauros coniecit, atque
vno mediocri volumine ingẽtes hi-
ſtoriarum moles complexus eſt. In
alijs alia quidem leges præſtantium
virorũ facta,in hoc vno συλλήβδην oĩa
inuenias,& quod in alijs per partes
mireris,hic vnus præſtitit. Vtinam
tantus vir longiſsimo æuo dignus,
tãtum adhuc vixiſſet,quantũ emen

dandis his libris corrigendiſque fuiſſet ſatis. Nonnulla procul dubio addidiſſet, aliqua correxiſſet, pauca quædam forſitan immutaſſet. Sed plerúnque ſiniſtro quodá fato euenire videas, vt tam eximij fœtus orbati parẽtibus exeant. Quod ille ne ſibi accideret ſummopere verebatur: quum ſæpiſsimè diceret, iam ſibi nihil eſſe quod viueret, niſi vt huic operi extremam manum imponeret. Sed vix potuit diu præuiſum fatorum ictum penitus declinare. Quod profectò illi minus dolendũ fuit, quum talem huic operi tutorẽ teſtamẽto aſsignaſſet, de cuius fide, atq; diligentia nemo bonus vnq̃ dubitauit. Quo fit vt hoĩs fœlicitatem maximè admirari ſoleã: quòd nõ in omni vita modò, ſed in morte quoque fuerit fortunatiſsimus. Quippe qui virum integerrima fide, omní-

que vita probatiſsimum, nominis, ac memoriæ ſuæ tutorem, fortunarum prætereà omnium hæredē reliquerit: quod ſanè fœliciſsimi hominis fuit. Nam ſolent homines in conficiendis teſtamentorum tabulis præcipuè ſoliciti eſſe, vt diligentes & gratos hæredes inſtituant. Quod quidem in primis magis ac magis illi proſpiciendum fuit, qui non fortunas ſolùm (quæ illi profectò perexiguè fuerāt) ſed tot animi ſui monimenta, memoriam, nomen, omnē denique exiſtimationem delegaret, vnius hominis fidei committeret. At illi planè perſpecta erat patris mei fides ac diligentia, vtpote qui à teneris vnguiculis (vt dicitur) illum probè nouerat, quem primis literarum rudimentis imbuerat, plurimæ poſtea amicitiæ cauſæ vltro citróque interceſſerant. Nam pater meus

quantum literis, moribus, optimíſque inſtitutis profeciſſet, id totum Egnatio referebat acceptũ. Ille vero, quòd tantum & dignitate & opibus eſſet auctus, patris mei operę, ac diligentiæ tribuendum exiſtimabat. Huc prætereà acceſſerat par in vtroque ſtudiũ, idẽ virtutis ardor, vt facilè ĩ illis Platonicũ illud agnouiſſes ὅμοιον ὁμοίῳ κατ' ἀρετὴν, καὶ ἴσον ἴσῳ. Virum igitur tam amicum, tam fidelem, tam ſui ſimilem, magna ſua fœlicitate adeptus eſt, cui potiſsimũ labores ſuos commendaret. Quid in tota vita? quid attinet referre, quàm fœliciter vixerit? Primùm Venetiis natus eſt, vrbe totius orbis præclariſsima, parẽtibus tam optimis támque honeſtis, vt in eis nihil præter indignitatem fortunæ reprehendas: quam tamen ſtatim ſua induſtria emendauit. Quid memorem naturæ

fœlicitatem? Quid eius ingenio ardẽtius ad diſcendum, aut fœcũdius ad inueniẽdum? Quæ vnquam memoria facilior ĩ percipiẽdo, fidelior in retinendo? Si in eo laudem eloquentiæ quæras, hac profectò omnes ſui temporis doctos homines facilè vicit. Si eruditionem, quæſo te quẽ vel noſtra, vel patrum ætate habes, tam numeris omnibus abſolutum, qui cum Egnatio noſtro ſit cõmittendus? Quis vnquam orbicularem illam ac planè perfectam eruditionem, quã Græci ἐγκυκλωπαιδείαν appellant, fœlicius imbibit, concoxit, abſoluit? Cui mortalium tantarũ hiſtoriarum cognitio contigit? Quis omnium gẽtium ac populorum ab ipſius orbis primordio, ad noſtram vſque ætatem plura monumenta euoluit? Quis omnes Geographiæ partes fœlicius deprehendit? quem

nullus locus, nulla inſula, nullus denique terrarũ angulus latuerit. Quis antiquitatis ſolertior, ac diligentior indagator? Si in eo prætereà comitatem, iocóſque deſideres, quis amicis iucundior? quis feſtiuior, ſi res delectationem poſtularet? Siquid fortè corrigendum foret, quid illo dexterius? Dij boni quanta manſuetudine ſeueritatem correctionis temperabat. Nemo propēſiori, alacrioríque animo iuuentutem inſtituit, nemo maiori audientium profectu publicè profeſſus eſt. Quem profectò virum ſiquis rectè expēdat, non ſolùm ad decus noſtri ſeculi, verùm etiam ad erigenda Venetæ iuuentutis ingenia, atque ad optimarum artium ſtudia prouehenda ſummo Dei Opt. Max. beneficiò huic præclariſsimæ vrbi genitum datúmque fatebitur. Poſtremò verò, ſi omnes

eius mores diligenter inſpicias, perfectum ſanè atque abſolutum innocẽtiſsimæ vitæ exemplar ſeſe offert. Vniuerſa enim eius vita, nihil aliud quàm ardẽtiſsimam religionẽ, Chriſtianámque pietatẽ ſpirat. Poterat omnis Veneta ciuitas in hoc vno, perinde atque in puriſsimo ſpeculo ſeſe ad omnem pietatem, eruditionémque cõponere. Meritò & illud in hoc mireris, quod quum omnes animi & corporis vires ſenectus adimat, omnémque mentis aciem retũdat, huic nihil detraxerit, quinimo illud ei contigiſſe videas, quod beatiſsimis viris accidere ſolitum aſſerit Plato, vt tum demũ incipiant animo mẽtéque valere, quũ oculorum acies hebetatur ętate. Sed tãti viri laudibus quæ oratio par inueniri poteſt? vel quid eſt quod ei⁹ virtute dignum, aut tibi nouum, aut

cuiquam

cuiquam noſtræ ciuitati inauditum afferre poſsim? Verùm hęc nõ quaſi tibi incognita, & peregrina ſcribo, ſed quæ tu, vt vetera recognoſces. Hæc in præſentia obiter de Egnatij noſtri laudibus à me dicta ſint. Neque enim id fuit conſilij, tot egregias hominis dotes, vna epiſtola perſtringere. Sed interim illud vnum prętcrire nequeo, homũciones quoſdam nefario ſcelere audaces, in tam ſingularis, támque omnium iudicio probati viri memoriã inuectos: atq; male conſarcinata epiſtola, ac vix cohærenti tam placidos manes violare fuiſſe auſos. Vt iã exclamare libeat, ô mores, ô tempora. Vnde repente tam inopinata atque immania mõſtra? vnde iſti tam infeſti Calydonij apri ſpumoſo ore in præclaram omniũ virtutum ſyluam debacchãtes, vniuerſámque optimi ac doctiſ-

ſimi viri famæ exiſtimationíſq; ſegeté indignè deuaſtâtes? Ergo iterū opus eſt Hercule?iam 15. īſtat labor? Dij voſtrā fidem. Sed attēde quæſo quid p̄clari iſti Cēſs. dānēt. Egnatiū parū Chriſtianè vixiſſe, atque eadē, qua vixerit pietate defunctū eſſe. Id nimirū quod quēuis hominē Chriſtianum offēdere potuiſſet. Sed qua tandem in vrbe hoc leuiſsimi hoīes mētiti ſunt? nempe in illa, quę hunc genuit, educauit, atque ad ampliſs. honores ſūmo iudicio promouit, ac publicis decretis toties decorauit. O inſignē audaciā, ô manifeſtā calūniam. Videsq̃, liberè, q̃ cōfidenter pronūciēt, quàm graue notā defuncto homini inurāt. Quid quæſo reliquū erit Chriſtiano homini ſi religionē adimas nō ſolùm ī cętera vita, ſed etiā ſub ipſū mortis tēp9; quādo vel perditiſsimi homines reſipi-

ſcere ſolent? Verũ ne tã argutũ illorũ mendacium non careret ratione αξίωμα protulerũt: quod etiã, ne præter rerũ ſcientiã, linguarũ cognitionem illis deeſſe putes, Græcè explicarunt ἀδύνατον ἐστι κακῶς ζῶντα, μὴ κακῶς ἀποθανεῖν. Sed præſtiterit fortaſſe hãc illorũ dementiã riſiſſe. Nũc ad inſtitutum, Reliquit itaque Egnatius 9. exẽplorum libros, Valerium Max. ex profeſſo ſecutus, in quibus omnigenæ virtutis exẽpla viris noſtræ ciuitatis iam vſq; ab ipſis vrbis primordiis prodita, ac deinceps ad noſtra vſq; ad tẽpora recenſet: deinde quæ vbique locorũ diuerſis tẽporibus digna relatione acciderunt, mira facilitate, breuitate minimè obſcura ſtilo mũdo & terſo, eloquẽtia propoſitæ materiæ decẽti tractat, vt legẽtes plurimũ & delectare & iuuare poſſit. Quos libros pater meꝰ, ne-

quo theſauro mortales omnes ditari poſſēt, illū penes ſe cōtinere videretur quāprimū typis comittēdos curauit. Nos autē quibus hęc prouīcia à patre demādata fuit, ſedulo, ac pro virili vnà cū præceptore dedim⁹ operam, vt q̃ emēdatiſsimi prodirēt. An id præſtiterim neſcio, illud certò ſcio, me plurimùm ī eo deſudaſſe. Ita erāt ab exceptore neſcio quo īperito peſsimè multati, vt ſępe mihi diuinādū fuerit. Vt vt igitur ſunt, eos nomini tuo dicari volui. Multa enim tua virtute digna exempla leges, viros tui ſimiles quàm plurimos recognoſces. Vale auunculæ amātiſsime, Egnatióq; noſtro, vel potius iam tuo pacē precare perpetuā.

VENETIIS ex ædibus viri clariſsimi Marci Molini, Diui Marci Procuratoris; Die 30. menſis Aprilis. 1554.

IOANNES Baptiſta E-
gnatius pręsbiter Vene-
tiis ortus Egnatia fami-
lia, honeſta illa quidem
ſed tenui fortuna. Vir & ſcientia &
religione inſignis, quadraginta ferè
annos humaniores literas cum ſumma
totius Italię admiratione publicè
profeſſus eſt: adeò vniuerſæ Venetæ
ciuitati ob ſingularẽ eruditionem,
ac morum probitatem charus,
vt ex Senatus decreto, ducentis aureis
nummis quotãnis iam publico
munere defunctus, ac planè emeritus
quo ad vixerit donaretur. Omnia
præthereà eius bona ex edicto
decẽuiralis cõſilij publico cẽſu exempta
ſunt. Cuius ille beneficij,
& memor, & gratus, tres ampliſſimas
patricij ſanguinis familias,
Molinam videlicet, Lauretanam &
Bragadenã delegit, quas ſupremis

tabulis honoraret. Reliquit inter multa & præclara ingenij ſui monimenta, nouem libros de exemplis illuſtrium virorum; & ſeptuaginta orationes, dignas profectò quæ ab omnibus legantur, quæ etiam fauẽte deo propediem in lucem prodibunt. Octogenarius Franciſco Donato Veneto duce deceſsit. Secũda Iulij menſis, Anno domini milleſimo quingenteſimo quĩquageſimo tertio.

IOANNIS BAptiſtæ Egnatij, librorũ nouem Capita.

Primi libri.

DE *Religione Venetorum* *Cap.1.*
De neglecta religione *Cap.2.*
De ſimulata religione *cap.3.*
De ominibus *cap.4.*
De prodigijs *cap.5.*
De miraculis *cap.6.*

Secundi libri.

De Venetorum inſtitutis *Cap.1.*
De diſciplina militari *cap.2.*
De iure triumphandi. *cap.3.*
De cenſoria nota *cap.4.*
De maieſtate *cap.5.*

Tertij libri.

De indole Cap.1.
De fortitudine cap.2.
De patientia cap.3.
De ijs qui humili loco nati clari euaſere cap.4.
De ijs qui à parentibus claris degenerauerunt cap.5.
De fiducia ſui. cap.6.
De conſtantia. cap.7

Quarti libri.

De animi moderatione. Cap.1.
De ijs qui ex inimicis iuncti ſunt amicitia & affinitate cap.2.
De abſtinentia & continentia. cap.3.
De paupertate cap.4.
De verecundia cap.5.
De amore coniugali cap.6.
De amicitia cap.7
De liberalitate cap.8.

Quinti libri.

De humanitate Cap.1.
De gratis cap.2.
De ingratis cap.3.
De pietate erga parentes cap.4.
De pietate erga fratres cap.5.
De pietate erga patriam cap.6.
De parentum amore & indulgentia in liberos cap.7
De parentum ſeueritate aduerſus liberos cap.8.
De parentum moderatione aduerſus ſuſpectos liberos cap.9.
De parentibus qui obitum filiorum forti animo tulerunt cap.10

Sexti libri.

De pudicitia Cap.1.
Quæ liberè dicta aut facta cap.2.
De ſeueritate cap.3.
Grauiter dicta aut facta cap.4.
De iuſtitia cap.5

De fide publica cap. 6.
De vxorum fide erga maritos cap. 7.
De mutatione morum & fortunæ. cap. 8.
De ſublimitate à ſtatu humili cap. 9.
De varietate caſuum cap. 10

Septimi libri.

De fœlicitate. Cap. 1.
Sapienter dicta aut facta cap. 2.
Vafrè dicta aut facta cap. 3
De ſtratagematis cap. 4.
De repulſis cap. 5.
De neceſsitate cap. 6.
De teſtamentis quæ reſciſſa ſunt. cap. 7.
De teſtamentis quæ rata manſerunt. cap. 8.
Qui aduerſus opiniones hominum hæredes habuerunt. cap. 9

Octaui libri.

Rei quibus ex cauſis ſoluti aut damna-

tiſint. *cap.*1.
De *priuatis iudicijs* *cap.*2
Quæ mulieres literis & eruditione excelluerunt *cap.*3
De *quæſtionibus* *cap.*4
De *teſtibus* *cap.*5
Qui quæ in alijs vindicarũt ipſi commiſerunt *cap.*6
De *ſtudio & induſtria* *cap.*7
De *otio* *cap.*8
Quanta vis eſt eloquentiæ *cap.*9
Quantum momentum ſit in pronunciatione *cap.*10
Quàm magni effectus artium *cap.*11
Quædam nulla arte effici poſſe *cap.*12
Suæ quẽque artis autorem & diſputatorem optimum eſſe *cap.*13
De *ſenectute* *cap.*14
De *cupiditate gloria* *cap.*15
*Quæ cuiq; magnifica contigerũt.cap.*16

Noni libri.

De luxuria	Cap.1
De crudelitate	cap.2
De ira & odio	cap.3
De auaritia	cap.4
De ſuperbia & impotentia	cap.5
De perfidia	cap.6
De vi & ſeditione	cap.7
De temeritate	cap.8
Quantum valeat error	cap.9
De vltione	cap.10
Dicta improba aut facta	cap.11
De cupiditate vitæ	cap.12

IOANNIS BAPTISTAE EGNATII, VIRI DOCTISS. DE *exemplis illuſtrium virorum Venetæ ciuitatis, atque aliarum Gentium,*

PROLOGVS.

CHRISTIANA pietas Hebræorum Vatum oraculis, & Sybillinis vocibus, tanto antea prædicta, ſubinde authorem ſortita deũ: qui non ſua ſpecie,vni n primis Iudææ datus eſt: Sortita mox Gentes, vniuerſúmque terrarum orbem, ab indoctis quidem illis, & imperitis (vt vulgò tum videbatur) cæterum & vitę ſanctimonia claris, miro quodam rerum ſucceſſu prædicata, martyrum ſanguine, & interdum nationum cæde comprobata, miraculorum magnitudine ſancita, puritate ſimplici de illa rectè viuendi patrum noſtrorum norma, vſque adeò omnibus expetita eſt, vt victrix illa Romanæ vrbis, & totius ſubinde orbis, tandémque libera intra ducenteſimum ex quo cœperat an-

num, caput extulerit, virtutémque ipſam religionémque, cum ſapientiæ ſtudio coniunctam comprobarit imprimis expetendam. Qua in re exquirenda, magno & excellenti ingenio viri, ætatem ferè omnem antehac fruſtra conſumpſerant: vt in tanta rei nouitate, quãtam illi pollicebantur, paupertatem nimirum, ac omnium humanarum rerum contemptum, mirum ſit, aut ſub ipſius initia, aut quum latiùs iam ſerperet non oppreſſam. Gentiũ mutuo conſenſu non omnino damnatam. Cæterum veritas impugnari quidem, atq; obſcurari interdum poteſt vinci verò, aut opprimi, nequaquam poteſt.

ET SANE quum ipſa pietatis noſtræ auſpicia, iure, ac meritò altiùs à nobis repetita ſunt, quãdo illa, & per quos autores diuerſis temporibus cœperit, explicare tentabimus. Vt poſt illuſtrium toto terrarũ orbe gentium, & populorum relationem, Venetæ vrbis incunabula recenſendo ſubtexam. Ac eius in religionem noſtram beneficia repetam. Nam cum à viris chriſtianis, qui Hunnicam illam inundationem, rebus Italiæ in primis infeſtam fugerent, cõdita ciuitas hæc ſit, quæ fuerint cum ipſius vrbis fundamentis pietatis exordia.

qui ſecutis poſtea ætatibus ad noſtrā me-
moriam progreſſus referam. Vt habeant
poſteri vnde & orbis & vrbis huius illu-
ſtria monumenta mirentur. Quæ ab alijs
certè diffuſius prodita memoriæ ſũt, quàm
vt breuiter ex illorum ſcriptis cognoſci fa
cilè poſsint. Dabunt autem veniam, qui-
cunque hæc noſtratia legent, ſi Valerium
Maximum ſecuti, Veneta prius exempla,
tum reliqui totius orbis præclara dicta, vel
facta memorabimus.

IOANNIS DV FLOS Atrebatis, *Hendecaſyllaba.*

BAPTISTA Egnatius, diſertiorum
Muſarum decus, vt ſatis ſupérque
Monſtrant plurima ſcripta (queis dediſſe
Sat magnum ſpecimen ſui videri
Poſsit) tempore dum ſuo petiſſet
Cœlum, atque (vt fieri ſolet) parentes
Dignis exequijs viro litatis
Chartas inſpicerent peculiares,
Huius bibliotheca quas teneret
Conſcriptas propria manu, auſpicatò
Quærunt, inueniúntque non polita
Quædam ſat bene: fortè quòd decorem
Poſtremum potuit minus dediſſe,
Præuentus tacito ruente fato.
Inter quæ fuerat libellus iſte
Quo præclara virûm recenſet acta
Quem non in tenebris latêre amici
Sunt paſsi, atque ſilentio tegi. Quòd
Ad laudem faceret viri, celebríſque
Vrbis, quæ celebratur orbe toto.
Tu cui voluere contigit libellum
Natum poſt cineres viri eruditi,
Mortuum afficias honore digno,
Et dicas (pietate ſi moueris)
Authoris cineres cubent ſuaue.

DE VENETIS, & prima vrbis origine.

NON indignabitur orbis, vnam ſibi in noſtra commentatione vrbem præferri, quę certè niſi poſt Romæ excidium vna extaret, non ſatis omnino cōmodè ageretur. Quum hæc ipſa ciuitas tot gentes diuerſas moribus, inſtitutis, legibus, fide, commercio terrarũ, quod in primis exercet, iunxerit. Illa igitur cum ab alijs omnibus in eo diſtat, quòd à Chriſtianis viris condita, pietatem orthodoxæ fidei ſemper eſt integrè cōplexa, tum quòd prima eius fundamenta à ſacræ ædis cōſecratione cæperint. Et ſanè præter autorum fidem, qui pro certo hoc tradunt, pium, fáſque eſt credere, vrbem, quę ab exiguis initijs in immenſum poſtea creuerit, non aliud ſortiri exordium potuiſſe, quum, vel Platone teſte, nulla ciuitas, aut proſperè conſtitui ſine fauore numinis poſſit, aut conſtituta, fœliciter adminiſtrari queat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De Diui Iacobi æde.

DVRAT adhuc in occultiſsima vrbis parte, ad nũmularias ſcilicet menſas, ædes D. Iacobo extructa, vel recenti miraculo maximè memorabilis, quum ſuperioribus annis, quàm hæc ipſi commentaremur, ignis Riualtinam inſulam totam temporis momento, præter hanc vnam ædem, conſumpſerit. Primi itaque vrbis noſtræ conditores (quos Patauinos fuiſſe haud ambigã) quum caſas quaſdam extruxiſſent, nec adhuc templum alicui numini dicaſſent, & dicandum tamen in primis ab omnibus conſtaret, ſed interim neque de loco, neq; de ſumptus ratione conuenirent: fortè, an dei prouidẽtia potius, factũ eſt, vt repente ignis ex architecti domo noctu erumpens, continuato incẽdio quatuor & viginti domos abſumpſerit, vento, & materia paſsim diſiecta flãmas alentibus. Quúmq; humana ope obſiſti nõ poſſe videretur, verſa in preces multitudo, memórq; ſubinde facta pietatis, quam deo deberet, ædem. D. Iacobo inter ipſas incendij crepitãtis flammas vouit, vix enim nuncupatum votum erat, & mox pręſens affuit precantibus Deus. Ignis enim ille paulò antè minax, eedem momẽto deſedit. Et ædes ex voto D. Iaco-

bo erecta,dicatáque.Pręſules,qui eam dedicarunt, Seuerianus Patauinus, Hilarius Altinas,Iocundus Trauiſinus,&Epodion Opiterginus traduntur. Atque adeò diligens vetuſtas, in hoc vno facto memoriæ mãdando fuit, vti diẽ quoq; natalitium vrbis ꝓdiderit,octauũ videlicet Cal. April.

De auxilio Narſeti præſtito ad expellendos Italia Gothos.

ET quando vrbs ab his initijs ortum ſuſceperat,non potuit Chriſtianę pietatis nõ ſummopere eſſe ſtudioſiſsima:quare Narſeti in Gothos exercitum difficili admodum, & perplexo itinere Rauénam verſus ductanti,non ſolùm ipſi præſtò fuêre,ſed, vt facilior ductus graio Imperatori per æſtuaria,& fluuiorũ tot oſtia eſſet, nauibus datis, & fluuijs ponte conſtratis, fecere. Vnde ille facilè expeditus, collaudata populi tum primũ naſcentis induſtria, & opera, in facti memoriam ſacella duo, ſi res bellicæ ex ſententia cederent,vouit,&votis parta victoria, dicauit, alterum Theodoro intra ędem auream ſubinde comprehenſum, alterum cum veſtigio vetuſtatis Geminiano, & Menæ cœlitibus, in areæ Marcianæ fronte.

De Rauenna à Longobardorum manibus vendicata.

ET NE non ſemper de religione non optimè mereretur, eadē hæc ciuitas Rauennam Longobardorum armis oppreſſam, pulſo inde Hexarcho, valida cōtinuo claſſe, ad vrbis vicinæ liberationē tranſmiſſa, facilè tenuit, vt pulſis inde hoſtibus receperint, receptam Græco principi reſtituerint, in quo aliquid etiam Pont. Gregorij gratiæ datum videri poteſt, qui per epiſtolā, quæ adhuc extat, id à Venetis petierit.

De Narentanis pyratis.

NARENTANI quoque, qui Dalmatię littora à Sclauis orti, & latrocinijs infames diu tenuere, quū Venetis multo infeſtiores eſſent, quàm vt ferri diutius ex ciuitatis dignitate poſſent, toties bello à Venetis petiti ſunt, vt non prius cum his ſit bellari deſitum, quàm inter pacis conditiones (petebant enim illam ſupplices) id præcipuè cautum ſit, vt chriſtianam pietatem in primis ſuſciperent. Cætera verò haud maiori ſtudio exacta, niſi vt poſthac à tam nefādis latrocinijs abſtinerent, à quibus chriſtiana pietas maximè abhorreat, reſtitutis interim omnibus, quæ ad eam diem extorſiſſent.

De claſſe in Sarracenos ducta.

ET hæc infantiæ vrbis, ac tum primum naſcentis adſcripſerim: quæ ſequuntur, vt adultam illam varijs caſibus exercuere, ſic multò illam mirabiliorem effecerũt. Nam quum in Sarracenos terram Italiã fœda clade vaſtantes, claſſem quadraginta nauium Tradonico principi ducendam comparaſſent, quæ Theodoſio Græco duci iuncta rem gereret, tametſi Venetus acerrimè in hoſtes fidei inuectus dimicarit, tamen à Gręcis inter primum pugnę ardorem deſtitutus, tãtam cladem paſſus eſt, vt ne vna quidem nauis ex tam numeroſa claſſe incolumis euaſerit. Non deterruit tamẽ Venetorum animos tam inſignis accepta clades, vt quum primum nunciatum eis eſſet Sarracenos è Creta inſula in Adriaticũ ſinum ad omnémque Italiam deuaſtandam claſſe ingenti comparata venturos, illi ſtatim ad Gradum occurrerent, atque ibidem inita viriliter pugna, hoſtes ingenti clade affectos, ſic ſupero mari expulerunt, vt clades accepta non facilè animis eorum exciderit. Quæ victoria vel eo lætior fuit, quod Baſilius Imperator Vrſum Particiacum ducẽ, quo autore res erat geſta Prothoſpatarium declarauit, quæ dignitas in-

ter primarias, penes Grȩcos principes habebatur.

De eiſdem victis.

ET ne Vngaros, qui vrbem aggreſsi fuerant, memorem, quando illa pugna pro laribus, & focis pugnata videri poteſt, eoſdē verò Sarracenos, qui Genuā cœperant, & Barrum obſidebāt, quam vrbem prius cōmeatu iuuimus, tanta clade ſuperarunt Petri Vrſeoli ducis auſpicijs, vt ab eo tempore nunquam Sarraceni claſsibus Italiam petere ſint auſi.

De claſſe ingenti in Syriam ducta.

ILLA verò maximè memorabilis expeditio, & ȩterna recordatione conſecrāda videtur. Galli Principes & maior Europæ pars ad pontif. Vrbani II. adhortationem excitati, de recuperādis Hieroſolymis, cōmuni omniū ſententia, pariq; alacritate cōſiliū cœperāt, & quod pleriſq; conſtare video, ad trecenta millia peditum, centum, equitū, expeditio illa ſub ſignis Gottifredi Bolionij, atq; auſpicijs, habuit. Sanè indicti belli famam ſecuta ciuitas, ducentarū nauium claſſem armaſſe traditur, quæ in Ioniȩ oram inuecta, Smyrnā, & reliquam orā Turcis ſubiectā, vaſtauit, cui Hēricus

Contarenus Oliuolenſis antiſtes, & Vitalis Michaël ducis filius cum imperio præfuerunt, vt in re tam pia, támque ſacra meritò ſacerdos præfuiſſe videri poſsit.

De eiſdem Venetis.

NEC minor nauium numero, claſsis illa fuit, quippe quę octoginta onerarias naues habuerit, quã Dominicus Michaël Dux cõparauit in Caliſti Pont. gratiã, qui recépta obiter Dalmatia, vaſtatíſq; Græci imperij vrbibus (oderat enim Grecus Imperator Venetum nomen ex profeſſo, ꝙ rem chriſtianã tam obnixè iuuarent) Sarracenicam claſſem, quę Ioppẽ ſeptingentarum nauiũ arctiſsima obſidione premebat, adeò diſiecit improuiſo inſultu, vt ferè maior nauium pars, medijs oppreſſa ſit fluctibus, quædã captæ, paucę fuga delapſæ. Ex quo & vrbs obſidione leuata, & Tyrus mox oppugnata Venetorũ armis, nõ ſine labore recepta, datum inde Venetis vtrobique, vt forum ſuum ſibi haberent, certúmque vicum, areámque, priuúmque templum perpetuò poſsiderent: id quod in omnibus, quæ poſt expurgnarentur oppidis Syriæ conceſſum inuenio, communicatúmque fermè cum illis regnum.

Ducta eſt & Ordelapho ſaletro Principe claſsis in Syriã, & ducta quidem illa, tam fœlices rerũ ſucceſſus habuit, vt expurgatæ Sydon & Berytus, vetuſtę, clarę́q; olim Syrię vrbes ſint, Pharamia quoq; ad Nili oſtia poſita, clarum tum oppidũ, & pollens, non expugnata ſolũ, ſed euerſa, abductaque inde, in Sarracenorum inuidiam, mortales omnes, prædaque, quantam vbrs illa alioqui opulenta tum dare potuit.

De Othone Friderici Imperatoris filio victo.

FREMANT licet multi, alij verò dum muſſent, inuideant, hęc certè ciuitas Alexãdrum Pontificem fugitabundum Friderici Oenobarbi inſidias, atque ideo intra Cœnobiũ, quod Charitatis appellant, latentẽ, excepit, exceptum nihil Imperatoriam verita maieſtatem, dum Pontificiam multò auguſtiorẽ tuetur, fouit. Claſſéque ingenti comparata, quam Cianus Princeps duceret, Othonẽ Friderici victum maritimo prælio, ad Pontificem duxit: inde mox fracta Imperatoris peruicacia, quum & ille ad Pontificem ſupplex Venetias in ædem diui Marci auream veniſſet, pax conciliata, & vtrunq; mox abeuntẽ Cianus Princeps

deducens, Imperatorem Rauẽnam vſque, Pontificẽ aliquanto vlterius, nauatę operę illuſtria monumenta ab optimo Pontifice retulerit, tubas argenteas, Vmbellam, auratámq; ſellam, puluinum aureum, & vexilla ſex verſicoloria, Pontificium pręterea Imperatoriúmq; tantum munus, plombo ſignandi literas ius.

De Petro Zeno.

NON eſt conſilium, aut receptæ Conſtantinopolis Dandulo duce decus, victoriáſque tunc partas, aut in Ecelinum, quouis Sarraceno tetriorem arma rogatu Pontificis ſumpta: aut diuerſis temporibus ingentes pro fide Chriſti, ſæpe claſſes inſtructas perſtringere, quãdo vna Petri Zeni in Morbaſſanum Turcarum potentiſſimũ per ea tempora Principem, expeditio iuſtius explicabitur, qui pontificia, & ſociali claſſe adiutus, domeſtica verò longè paratior victis nauali pręlio Turcis, Smyrnáque oppido expugnato, dum ſacris de more cum alijs Principibus ex victoria ſecurus operatur, fortiter in templo adhuc agens, cum paucis pugnans, à multitudine oppreſſus occubuit. Ex quo tempore, velut hæreditarium in eam gentẽ flagran-

tiſsimũ odiũ in Venetos, perpetuò manſit.

De Petro Lauretano.

VEREOR vt hæc tam multa æquis auribus multi legant, & alioqui multa omittimus, quãdo breuitas à me queritur. Sed Lauretanę familię decus, & ſi vellem, tacere nõ poſſum. Quis enim nõ libẽter audiat, niſi idem chriſtiano nomini ſit planè infenſus, ſuperato Helleſpõto Cal. Iulijs à Petro Lauretano, Ludouici Procuratoris filio, ad Callipolim Turcicam claſſem numeroſiſsimã fuſam, ſuperatámq; eſſe, nauibus eorum partim captis, partim depreſſis, milléq; & quingentis ex ea claſſe captiuis? Quam virtutem Iacobi, & Aloiſij, & Antonij omnes Imperatorij, & procuratorij, veluti hæreditariam in eam gentem magnis rebus geſtis ſæpe probarunt.

De bello Othomanico.

HAEC eadem ciuitas Othomanicum bellum ſola fermè ſuſtinuit, Principémq; illũ pluſquam hoſtilibus odijs fidei noſtrę infeſtum, gentili quadam rabie, & cupiditatis ſtimulis agitatum, vt Maumethanam ſectam toti Europę inferret, adeò repreſsit, vt quoad ille cũ Venetis bellũ habuit (ge-

ſtum eſt autem per quatuor & viginti annos) ab Italiæ inuaſione abſtinuerit: id quod facilè facta pace Hydruntinæ vrbis expugnatio miſerabilis oſtendit.

Clauſerit verò caput hoc ipſum, confirmarítque religionis, pietatíſq; Venetæ in Chriſtianum nomen præcipuam laudem, ſi quis animo ſecum reputet, in hac ipſa ciuitate ſexaginta & duo diuorum ſpectari templa inſignia, quas Plebanias nominãt, virginum veſtaliũ, ſeptem & viginti. Cœnobia fratrũ(quos dicimus) totidem præclara in primis haberi, ne Oliuolenſe interim Diuo Petro ſacrum numerẽ, aureáq; marcianá ædẽ à Iuſtiniano particiaco duce inſtitutam, quod templum poſtea intra ſeptingẽteſimum, & amplius annum, non ſine miraculo, admirationéque cũctarum nationum viſitur: quum in toto ferè orbe quacunque Chriſtiana pietas diffunditur, quáq; Maumethana ſuperſtitio retinetur, nihil huic ſimile inuenias. fuerit licet Hieroſolimis inſtitutum templum non exiguæ celebritatis, fuerit Romæ Capitolini Iouis ædes erecta: in hac noſtrate præter opus ipſum, quod diximus admirandum, repoſitum eſt. Diui Marci corpus, ſeptingentis ab hinc annis, ex Alexandria

ſœlici omine ad nos aduectum, vt qui primus in terra Italia Aquileienſem ſedē erexiſſet, rediens ad nos, veluti poſtliminio, religionem, & pietatem Venetis perpetuò colendam meritò relinqueret.

EXTERNA.

De Conſtantino magno.

NEC verò nobis primus in hac religione non occurrit Conſtantinus ille magnꝰ, qui ex Gallijs, vnde oriūdus erat, aduerſus Maxentium vrbi dominantem, Italiam ingreſſus, admonitus (vt credere par eſt) oraculo, crucis illi ſignū in aëre oſtendente, & per illud ſignum victoriam pollicente, deo plenus, crucē pro aquilis præferens incruentam victoriā Maxentio ipſo Tyberini ex pōtis fractura vorticibus abſorpto retulit. Vnde ille tanti beneficij nō immemor deum ipſum publicè adorandū omnibus præcepit. Aráſq; & ipſi deo Opt. Max. & principibus noſtris Petro & Paulo diuis erexit, tanto pietatis ardore, vt ſatis conſtet, ex tēmpli fundamentis, quod in Lateranenſium parte extruxit, 12. illum terrę cophinos propriis humeris exportaſſe. Tantum ſæpe ſeſe religio, ac Dei cultus hominum pectoribus iucundus, & fa-

cilis inſinuat. Idem hic Imperator diſsidentes de fide patres ex Arrij delirio, tanto ſtudio conciliare ſtuduit, vt euocatis ex omni Romano Imperio Nicæam Bythiniæ antiſtitibus, viatico liberaliter omnes proſecutus ſit, paratis etiam vehiculis, quæ eos deducerent. in quo ſanè cõcilio, quum libellos ad principem ſacerdotes detuliſſent criminationibus mutuis plenos, Abite, inquit, abite, deus cuius in terris vicem geritis vos diiudicet. Inde veluti ex ſeminario quodã ſeſe mutuo carpẽdi in noſtro ordine, manſit quaſi hæreditaria execratio.

De Caroli magni pietate.

NON indignabuntur Clodouei Frãcorum regis manes, ſi Carolum magnum illis hac in parte prætulero: qui & longè maximas pro chriſtiana religione res geſſerit, & primus inter Francorum Principes magni cognomẽtum retulerit. quũ præſertim, & ipſe ſtatim ſũma ſua cũ laude cõſequatur. Hic igitur Carolus, qui, vt dixi, magni cognomentum primus retulit, magnã Europæ partem ſibi obſtrinxit, Aquitanos ad pietatẽ veri Dei retraxit, Longobardos in Pontificũ Romanorũ gratiã gentẽ inquietã, & Romæ maximè ſemper in-

feſtã ſuſtulit. Saxones, continuato per triginta annos bello, iugum fidei ſubire coëgit. Sarracenos, qui totam Hiſpaniã terrã occuparant, intra angulũ Bethicę redegit. Leonẽ Pont. per iniuriã aduerſę factionis vrbe pulſum in Barionæ ſedẽ reſtituit. cui gratus Pont. Imperatoriã dignitatẽ Italis per trecentos & amplius annos intermiſsã aſtruxit. In Boëmos, Sclauos, & Danos nõ tam Imperiũ, quã fidem propagauit. Sarracenos inferum mare, & eius inſulas ſæpius infeſtantes, et ipſi vrbi Romę terribiles ducum opera, & claſſe ſua crebro vicit, vt nõ tam imperij fines, quàm fidei Chriſtianæ propagandę ſtudioſior videretur.

De Cledoueo primo Francorum Rege.

VENDICET ſibi ipſe ſuis in Gallis Clodoueus huius nominis primus Francorum Rex, auctæ religionis noſtræ laudem, qui nec Remigij ſanctiſsimi viri monitis, nec Clotildis vxoris precibus, atq; obteſtatione adduci vnquã potuit, vt perfidiã, quã à maioribus imbiberat exueret. Cœli proui dentia arbitror factũ, vt euidentiore merito fidẽ ſemel amplexus genti colendã perpetuò autor ipſe p manus traderet, mox Alemanis congreſſus, qui Gallia ingentibus

copijs inuaſerant, quum ſe ab ijs vinci cerneret, Deus inquit, quem Clotildis vxor colit, ſi hodie victor ex hoſtibus redeo, caput hoc meum, ac gentem tibi omnem trado, dicóque: nec defuit precationi tam piæ fœlix euentus. Victi ſtatim hoſtes terga vertunt, vt duplex orbi miraculum eſſet, & victos eos, qui pauló ante victores erãt, & Regem Chriſtianum factum, qui ab eo nomine tantum prius abhorrebat.

De Recaredo Hiſpaniæ Rege.

IVNGENDA meritò Galliis Hiſpania eſt, vel quòd illis contermina, vel quòd miraculo proximæ gentis inuitata videri poteſt, in qua quum Gothi diu Imperium ſub diuerſis regibus Arriana labe infecti tenuiſſent, tandem Recaredi Regis autoritate, & Iſidori Iſpalenſis præſidis adhortatione, eam Chriſtianæ fidei puritatem ſunt complexi, quam nec Hermegildus Recaredi patruus, vt deſereret, nec patris ſui Theonogildi precibus, nec minis adduci potuit, vt quum filij ceruicibus ferrum im manis pater adigeret, bene, inquit, mecum omnino agis pater, ſiquidem vt regnũ hoc abs te iugulatus amittam, æternum illud cum ſuperis pro caduco hoc conſequar.

Tantos interdũ animos futuræ glorię ſpes affert, vt regnum, vitámque, duo mortalibus pręcipua bona, quis contemnere audeat.

De Britannis.

PRAEPONENDA his omnibus Britannia fuerat, ſiquidem admodum prima omnium prouinciarum baptiſmum receperat, Lucio Rege cum tota fermè gente, Pontificis Eleutherij opera, ſacris vndis abluto, ſi in eo propoſito per Saxones, & Scotos perſeuerare potuiſſet: qui feri & immanes populi, ab Arctoa plaga claſsibus inſulam inuadentes, ſuo ſibi poſt varias expeditiones & prælia ſubiecerunt totam Imperio. Quo tẽpore alienata à fide gens, nõ prius veram pietatem recepit, quàm anno poſt quadringenteſimo, & amplius, Gregorij primi Pontificis hortatu, miſsis eò Auguſtino, & Melito Anglis fidei orthodoxæ dogma ſuſceperunt.

De Longobardis.

ET quando Gregorij Pont. incidit mentio, non diſsimile eius ſtudium in augenda pietate Chriſtiana non omiſerim. Is enim gentis Longobardicæ præliis & incurſionibus

nibus aſsiduè vexatus, quæ Italiam ferè omnem gentili quadam immanitate lacerabat, Theodelindæ Reginæ opera, Bauarici ſanguinis, & Chriſtianæ pietatis obſeruãtiſsimæ fœminæ, quę Agilulpho Longobardorum Regi nupſerat, tantum pręſtitit, vt præferocem in primis Regem abiurare perfidiam traditam à maioribus coëgerit, inde totam gentem à malorum dæmonum cultu, deteſtandáque hæreſi vendicarit. reſtituit inde omnia Rex Agilulphus, quæ Longobardi prius diuorum templis ademerant, additis inſuper donariis.

Idem Põtifex, cum hoc genere pręcipuę laudis, tum ſingulari pietate, et eruditione, ne per omnes orbis partes de fide non optimè mereretur, Viſigothis, qui Hiſpaniam tenebant, autor fuiſſe creditur, vt abdicata vt diximus, Arriana hęreſi orthodoxam fidem amplecterentur. Hoc ſtudium, hęc veterum Pont. pietas extabat, vt quãtum noſtra tempora ab hac pietate diuerſa abierint facile quiuis exiſtimet.

De Germanis.

SED quàm magnam, & veram laudem primus huius nominis Pontifex, his factis adſecutus eſt, patrem ſecundus Eugenius,

quiritij & ipſe vir ſanguinis repēdit. hic enim Germanos, & eos in primis, qui Rheni ripas incolerēt, à dæmonum cultu auertit, miſſo eò ex vrbe Bonifacio viro ſanctiſsimo, atq; eloquētiſsimo. Is verò tantū vitæ ſanctitate, & eruditione valuit, vt facilè populos eos ad Chriſti fidē amplectendā animarit. Quibus diligētius eruditis, quū Maguntinis præeſſet, pręſulis dignitate tantum pſtitit, vt ad hæc tpa incertū ſit, fortiórne illa gens, an fide clarior exiſtimari debeat.

De eiſdem Germanis.

SED erant adhuc in eadē terra, quæ populis innumerabilibus habitatur, patet enim Germania ſi Agrippæ dimenſionē attēdas, Rhetiáq; ac noricū cū alpibus inclu das in lōgitudinē paſſuū M D C L X X X V I. in latitudine verò C C X L V I I. Erant inquā qui pertinacius in patrum ſuorum delirio perſeuerarent, quum Caroli Martelli, & latius demum Caroli Magni auſpiciis Phryſij, Saxones, Veſtafli ad cultū veri Dei redacti ſunt, & cū Saxonibus quidem tanta pertinacia bellatū eſt, vt vix poſt annos triginta propoſitū obtinuerit. Veſtaflos certè nō aliter in officio cōtinere demum potuit, q̃ vt nouo iudicādi genere, quod veti-

tum à re eſt appellatũ, in eos ſæuire cœptũ eſt. Scabini enim iudices, & hi patria lingua ſic dicti, prout quẽque aut fidẽ abnegaſſe, aut iuriſiurandi immemorẽ aduerterant, indicta cauſa vtcũque inquirẽtes, ſupremo laquei ſupplicio afficiebant. Adeò ſępe terror, plusq̃ amor in quibuſdã valet.

De Vngaris, & Boëmis.

NON diſiunget hæc noſtra relatio, quos ius regni ſępe ſub eodem principe eſſe voluit, vti & noſtra quoque tẽpeſtate Ladiſlaus ex Polonia accitus Vngariã, Boëmiãque tenet. Nã Vngari, quũ diu in falſo dęmonum cultu perſeueraſſent, tanden Stephani Regis autoritate, qui neptẽ Henrici Imperatoris vxorem duxerat, Adalberto pręſule adiuuãte Chriſtiani ſunt facti. Sed & Boëmi impiũ & ipſi dogma à parẽtibus acceptũ ſecuti, aliquãtò tamen tardius Ludinellę Reginæ cõſilium complexi noſtræ fidei acceſſere. Vt quantum Vngaris Adalbertus profuerit, non minus Methodius præſul à Boëmis interim celebretur. Quis certè rerum geſtarum claritate, & multorum regum ſanctitate poſſet vberius celebrari, niſi fidem, auorũ noſtrorũ memoria, Huſitarum nefaria hæreſi poluiſſent.

De Bulgaris, Sclauis, & Chorbatis.

CAETERVM quantum Methodij pietas commendatione non caret, tanta eſt, & neſcio, an fortaſſe maior Cyrilli gloria, Bulgaris ad Chriſti cultũ miraculis et prędicatione tractis. Sed & Sclaui, gens Scythica, cuius olim latè opes patuere, victi acie à Seurophylo Croatorum Rege, fidem Chriſtianam eius opera ſunt amplexi. Hãc fidem antea Chorbati Conſtantij Theſſalonicenſis admonitu receperant, miſſoque eodem Cõſtantio ad Stephanum Pont. legato, regnum ipſum prouidus Pontifex optimis inſtitutis, & legib⁹ ordinauit, quod genti florens ad Belæ regis Vngarorum tempora firmiſsimum ſtetit.

De Cæſarea Perſarum Regina.

POTERAM hac ſuccincta exemplorum commemoratione ad religionis noſtrę demonſtranda incunabula contentus eſſe, niſi me oriens ipſe memorabili fœminæ facto ad ſe vocaret. Hæc Perſarum Regina, ſeu Parthorum, ad Conſtantium, alij Conſtantem malunt, vtcunque Heraclij nepotem, clam marito Canſtantinopolim veniens Baptiſmi lauacro eſt admota, nec prius inde profecta, quàm maritum in ſenten-

tiam ſuam traxit. Ille enim pacato agmine cum quadraginta Perſarum millibus ad vxorem veniens, cum omni comitatu ſacris vndis admotus eſt. Nomen Reginæ Cæſareæ faciunt, qui hæc ſcribunt. Digna profectò fœmina, cuius nomen, & virtutē nulla vnquam obſcuret obliuio.

De neglecta religione Cap. II.

SVBNECTENDA religionis noſtræ incunabulis, in eamq́; multorum benefactis, eiuſdem neglectæ deorum immortalium ſubſecuta vltio: vt omnes intelligant quãtum ſingulis ciuitatibus, ac populis ex pietatis religioſo cultu fœlicitatis acceſſerit, tãtundem, neſcio an plus mali his, qui eam neglexerint meritò contigiſſe. Et quando hactenus memoranda Venetę vrbis exempla ſeruatæ pietatis recenſuimus, tranſeundum eſt ad eam partem, in qua neglectæ religionis graues perſoluere pœnas, qui eam cõtempſiſſent. Exordium igitur ſumamus à Mauriciis ducibus.

De Ioanne ac Mauricio Ducibus.

NVNC igitur in Veneta gente, quàm grauiter Deus violatum religionis vinculum vltus ſit, Ioannes, & Mauricius Dux indicio fuerint, Ioanne Gradenſi antiſtite

contra omne ius fáſque ex altiſsima turri præcipitato, quod immane facinus pia ciuitas paulò pòſt auerſata, vtrunque dignitate priuatum in exilium egit.

De Petro Cádiano quarto Duce cæſo.

PECCARANT Maurici duces grauiſsimè, atque adeò ſceleris ſui tam impij pœnas luere, ſed non minor in facto, quod ſequitur totius ciuitatis culpa, atque poſt culpam admiſſam pœna ciuitatem conſecuta. Hęc Petrum Candianũ exegerat Cãdiani Ducis filium, arrogantiam atque inſolens hominis ingenium pertæſa, obſtrinxerátque ſe patri id enixè petenti ſanctiſsimo iureiurando, & cũ tota ciuitate clerus, nunquã paſſuros, vt aut patriæ, de qua tam male meritus erat, aut principali dignitati, qua ſe indignũ exhibuerat, reſtitueret: ſed vix pater ex animi ægritudine vita functus erat, quãdo filius ſtatim audita patris morte, ex Rauẽnati portu pyraticam in Venetos exercere cœpit, quo tamen tẽpore populus vniuerſus, vt ſunt leuia vulgi ſtudia duci defuncto filium ab exilio reuocatum ſubrogauit. Sed neglecti iuriſiurãdi & ciuitas mox tyrannica ducis adminiſtratione, publicóq; trecentarũ ædiũ, & cũ his Diui

Marci tẽpli incẽdio, & Petrus ſuę in patrẽ, ac patriã temeritatis à ciuibus cũ paruo filio necatꝰ meritas pœnas luerũt, vt etiã eiꝰ cadauer in publico per triduũ ſit ſpectatũ.

De ciuitate à Clemente quinto ſacris interdicta.

EVIDENS numinis, & illa quoq; vltio, quũ ciuitas hęc à Ferrarię Imperio ſibi vindicãdo, nullo aut terrore, aut Põtificis adhortatione deterreri potuit. quod factum, qui tũ in Galliis erat Clemẽs, huius nominis quintus, adeò indignè tulit, vt anathematis ſpiculum in omne Venetum nomen indignanter intorſerit. Interdicta etiam ſacris ciuitate, de pontificia dignitate, tam bene ſemper antea merita, additũ etiã ad id, nihil impiè facturũ, qui Veneti ſanguinis hominẽ in poteſtate redactũ, aut interficeret, aut ſeruorũ loco haberet. Ad hãc Pontificis denunciationẽ tam grauẽ, ſecuta eſt mox rerũ Venetarũ grauis direptio, vt Veneti ingenti ſua clade, atque miſerabili cęde Ferrariæ mœnibus à legato Pontificis repulſi ſint. Nec minus his malum, conſternatam ciuitatem atrox illa coniuratio eſt adorta, graui libertatis amittendæ periculo, de qua ſuo loco dicemus.

De ſecũdo Sixti Põtificis interdicto.

QVASI fatalis Vrbs Ferraria Veneto nomini ſit, Sixto etiã Põtifice memoria noſtra experti ſumus. Quo tamen autore iuſtum antea bellum in Herculem vrbis ducem ſumptum erat. Sed (vt hominum ambitio noſtræ tẽpeſtatis fert) dum iura ſua fortiter tueri reſpub. nititur, ab eodẽ Pontifice anathematis iaculo, niſi deſiſtat, confoditur. Verũ tametſi publicæ potius dignitatis, quàm põtificiæ tunc temporis habenda ratio videbatur, dedimus nihilominus quomodocunq; irato pontifici pœnas, principali domo prius igne conſumpta, & ingenti peſtilentia ſecuta, nauibúſque britannicis magno noſtro incommodo direptis.

De Iulij II. Pont. anathemate.

HORRET animus publicæ calamitatis recordatione, quum aut Pont. Iulij plenum maximi periculi propoſitum, aut vrbis infœliciſſimum caſum mente repeto. Ciuitatem mille, & amplius annos de toto orbe terrarum optimè meritam, ac pontificiæ dignitatis aſſertorem ſenatum, imperium tam latè patens, opes tam firmas, atque orbi ipſi penè pares, copias domeſticas

locupletiſsimas in tanta amplitudine gloriæ, in tanta virtutis opinione intra quartam & vigeſimam diem repentè concidiſſe, vt præter ſtagna, & paludes, de quibus trepidatum interdum ſit, nihil ex tanto imperio ſuperfuerit. Quis tum non credidit hoc à ſuperis datum, pontificiæ in nos indignationi? qui de piorum cœtu execratione illa, tam graui nos exemerat, quæ tamen an intẽtanda fuerit, ipſi viderint. Certè iracundiæ, cuius pontifex alioqui impotens erat, nos pœnas grauiores, quàm par erat dedimus.

De Ludouico duodecimo Francorum Rege.

ADDETVR merito & hoc ipſum ad Veneta exempla, quãdo Veneti vel præcipui adiutores ad vindicandam Pont. iniuriam fuerint. Ludouicus Francorum Rex duodecimus, qui Venetas opes & Imperium tã graui vulnere nuper afflixerat, dum irritatum in ſe Pontificem, aut non timet, aut negligit, nõnè & ipſe tertio vix anno exacto Pont. autoritate Venetorũ armis Italia expulſ⁹ ita eſt, vt nihil intra annũ ex tãto paulò ante imperio in eadem terra poſſederit?

De Conſtante Conſtantini filio.

CONSTANS dum Arrium iactat, & trecentorum ac duo de viginti patrum decreta contemnit, in tantum inſaniæ incidit, vt Romanum Pont. Liberium, Athanaſium, Alexãdrum, Hylarium Pictauenſem, multóſque alios noſtræ fidei lumina relegarit. pleróſque etiam iniecto vitæ metu impio Arrij dogmati ſubſcribere coëgerit. Quare & Perſicis bellis implicitus, & ciuilibus exercitus, nec relicto etiã ſucceſſore, quem vellet, quinimmo ex profeſſo eius hoſte Iuliano deceſsit.

De Iuliano.

PAR dementia eiuſdem Iuliani Principis, atque maior impietas, ille enim vtcunque Chriſtianæ fidei cultum, ſuperſtitione quadam falſò iniecta, ita turbabat, vt incolumem eam florétémque vellet, hic abiurata, quam imbiberat, fide, malorum dæmonum cultu mãcipatus, ac Capitolinum Iouem, Iunonémque reginam, orbi iterũ deos aſtruẽs, dum aduerſus Perſas bellum audacius, quàm cautius ciet, ſagitta in incertum miſſa, primo ætatis flore extinctus eſt, nec in ipſo mortis articulo impietatis

ſuæ non memor. Celebris enim vox ejus in literas relata, Viciſti Galilææ, viciſti. Sic enim Chriſtum appellabat, expertus, licet ſerò, quàm male tuta ſit humana vis, quæ irato numini obiicitur.

De Valente.

QVIS crederet poſt Cõſtantem, aut Iulianum, inuentos eſſe Principes, qui à vero pietatis cultu aberrarent? & inuenti tamẽ, nec vnus, altérve, vt verè ab illo ſcurra dictum ſit, bonorum principum nomina, includi in anulo poſſe. Adeò homines naturę ſuæ interdũ obliuiſcuntur. Valens haud dubiè Imperium diuinitus adeptus, dum aliena iura, hoc eſt pontificia inuadit (erãt enim olim fidei diſcutiendæ, ac in melius informandę partes antiſtitũ ſacríque ordinis) factꝰ Arrianæ ſectæ ſtudioſior quã par erat, vt Gothis petentibus, fidei magiſtros Arrianos miſerit, meritas luit vecordię ſuę pœnas, neque enim multò poſt, bello ab ijs petitus, aciéque victus, dum fugit intra caſam, flammarum vi ſuffocatus, quas illi iniecerant, vitæ imperiiſque finem ſortitus eſt. Quis non iure ab eiſdem Gothis exiſtimet exuſtum, qui illos omnes æterno ignis ſupplicio addixerat.

De Philippo pulchro Francorū Rege.

SED quid adeò vetera repeto, quū recentiora, plus fortaſſe delectent magis etiā moueant? Philippus Francorū Rex cognomēto pulcher, iratus Bonifacio octauo, qui certè plus quàm Pontificem decuit, inimicitias cum eo exercuit, quòd ipſum regno indignum pronunciaſſet, & Alberto, cui pertinaciter antea Regi Romanorū, vt iam loquimur, coronā Imperij denegarat, inſuper & Frācorum Regnū aſtruxerat. Sarræ Colunnij, & Nogareti Galli equitis opera Pontificem inçautū, & nihil tale timētem intra Anagninos muros oppreſsit. quo facto Flammingorum, vt nunc appellamus, graui bello petitus, & ſuos ad Curciacum cæſos ab ijs audiuit, & Pariſienſium ſeditione fatigatus, magnáque auaritiæ nota ſublatis templarijs, & Iudæis è regno pari cupiditate eiectis, regnum nepotibus quidem reliquit, tribus eius liberis alio ſuper alium ſine filijs decedentibus, quæ res in primis Gallos ad internecionē cum Anglis bellum excitauit, Philippo Valeſio Regnum ſibi, & Edouardo Anglo certatim vindicantibus.

De Friderico patre, & filio.

ET Philippus vnus propè in ea gente Rex quādo cæteri ex profeſſo Reges à Pōtificibus ſtarent, à Pontifice illatam iniuriā forſitan vltus iure videri poſsit: ſiquis tamen in patriam, in parentes, in Pontificem arma iuſta induat. Quid Friderici duo pater & filius Imperator vterque, filius etiam à Pontificibus adiutus, atque etiam fiduciaria tutela ſubleuatus? quam inquā cauſam prætexant? quorū alter Alexādro Pōtifici, vel potius ipſi Italiæ infeſtus, nō prius arma exuit in Ponti. quàm victus à Venetis Imperatorium caput pedi Pontificio calcandum ſubiecerit. Notum eſt Pontificis in illum carmen, & tamen ſumpta expeditione in perfidos crucis hoſtes, cui ſeſe obſtrinxerat infœlicem exitū habuit: vndis Cydni fluminis, in medio rerum gerēdarum ardore abſorptus. Alter paria Tyrocinia militiæ ab inſectatione Pōtificum auſpicatus, quum miſeram Italiam factionū duarū infeciſſet labe, miſerabiliter à filio ſtrāgulatus interijt, ſublata mox à Carolo primo SiciliæRege, omni eius ſobole.

De Philippo Mediolanenſi Duce.

QVID Vicecomitū familiā? quid Philippū vltimū in ea gēte principē aliud af-

flixit, quàm quòd ſemper illi Pontificibus infeſti? Philippus verò ex profeſſo hoſtis. Eugenium vrbe eiecit, eiectum variis ſemper bellis exercuit, & ne vllum non inſectandi Pontificis genus intentatum relinqueret, Fœlicem illi Allobrogem Baſilieſi concilio, quod enixè ille fouit, Pōtificem alterum oppoſuit, nec ſceleris tamē abfuit iuſtiſsima vltio: nam non prius ille obijt, q̃ ſuos fuſos, fugatóſque audiuit. Dignus certè Princeps, qui eo ingenio, atque animi magnitudine, qua Principes omnes ſui ſeculi facilè excelluit, diuturnum imperiū nepotibus ſuis ſaltem relinquere potuiſſet.

De Ferdinando Neapolitano rege Arragoniaque familia.

ALIVS fortaſſe aliam clari alioqui Regis, familiæ certè clariſsimæ cladem exitiúmque dixerit opinari. Ego quidem nullam euidentiorem hac vna, aut magis ſimilem veri dixerim, quàm quòd Ferdinandus ipſe, Alphonſo patri haud quaquam ſimilis, nec pium Pontificem vt ſibi infeſtum, quanquam illi omnia deberet ex fide coluit, Paulum II. odit, vt plerique ſtrā gulatum eius opera credant Sixtus exercuit bello illi indicto. Innocentium quidem adeò vexauit, vt optimus Pōtifex ar-

ma in illum ſumere ſit coactus. Quæ res, quando & mortales ipſi tantã hominis im pietatem auerſarentur, nedum immortalis Deus ſupremam illi perniciem, ac familiæ perpetuum dedecus peperiſſe credẽda eſt.

De Florentino.

NEC expers Florentina Ciuitas à ſimili religionis neglectæ contagio, quanquam illa ſummo ſtudio & pietatẽ, & Romanorum Antiſtitum maieſtatem ſemper antea verita ſit. Tanquam igitur à Grægorio vndecimi legatis iniurijs affecti, qui terram Italiã per ipſius in Gallijs moram adminiſtrarent, bellum tam graue ipſi Põtifici intulerunt, vt quod antea fando auditum non erat, Italicũ imperium intra pauciſsimos dies amiſſum ſit, Florentinorum cõſilio & opera. quæ res quanti populo illi ſteterit, immẽſa vis auri (ſupra enim decies centena millia nummûm expenſa feruntur) plebis infimæ ſeditio, & quaſi Tyrannis ab ea exercita, nobilitas partim cæſa, partim relegata, ſacra vrbi ĩterdicta, ingens lues ſecuta, & quod omniũ grauiſsimũ, ac periculoſiſsimũ fuit bellũ à Galeacio contra ciuitatem geſtum, indicio ſunt.

De Carolo, & Ladislao Neapo. Regib.

IDEM pietatis ac Pontificiæ maieſtatis neglectus, Carolum Regem Neapolitanũ Ladiſlai patrem afflixit. Idem Ladiſlao filio non aduerſario ſolùm eccleſiæ ſed hoſti vitam,& Imperiũ ademit. Pater ab Vngaris, à quibus ad regnum euocatus fuerat crudeliter necatus, filius veneno ſublatus, relicta Ioanna ſorore,quam neſcias impudicior ne fuerit, an inconſtatior. Vnde tot malorum ſeries regno illi deducta,deriuatáque ſit.

De Piſanis.

POST Florentini populi relationem Piſę meritò ſequi debuerant, ſed auocarũt duo præſtantiſsimi reges,vni ciuitati iure anteponendi. Potens nanque Piſana hæc ciuitas olim,ac clara maritimis rebus, poſt captos in Friderici gratiam Pontifices,qui ex Gallijs,ad Innocentium Romam nauigabant,vt indicto concilio adeſſent,nihil vn quã poſtea fœliciter aggreſſa eſt,quin potius à Genuenſibus petitæ Piſanorum res vno nauali admodum memorabili prælio, nũquam ad priſtinam fortunam, opéſque redierunt , donec clade alia ſuper aliam à Florentinis affecti,poſtquam multiplicem multorum tyrannidem paſsi ſunt,nomen,

&

& Imperium cum libertate penitus amiſerunt.

De ſimulata religione. Cap. III.

ET ſi nullum publicum Venetis monumentis ab vrbis primordio extat exemplũ, non omittam tamẽ Val. noſtri ſecutus veſtigia, partem hanc, quando ſaltem intra Venetiæ fines huiuſcemodi aliquid contigiſſe videri poteſt. Macedonius enim Aquileiẽſis antiſtes cum Honorato Mediolanenſi, & Ioanne Rauẽnate epiſcopis, auſus eſt capita tria Calcedonenſis concilij per ſe reſpuere, neque illis omnino aſſentiri velle. Quod tamen Pelagius Romanus Pont. adeò grauiter tulit, vt adhuc extent eius literæ ad Narſetem, in Venetia tunc agentem ſcriptæ, quibus Principem virũ adhortetur, & moneat, vt in ipſum Macedonium grauiter animaduertat, nec patiẽs hanc tantam diſsimulationem æquo animo ferat. Ecquis non iure Macedonium ipſum accuſet, qui Pelagij Pontificis Romani autoritatem negligeret, aut tot ſanctiſsimorũ patrum ſententias, quot in Calcedonenſi concilio tunc fuerant (ſexcenti enim affuerant) diſsimulanter vnus arguere vellet?

De Ludis Mariarum.

HISTRI, qui annum ab hinc quingenteſimũ, & amplius Veneti nominis hoſtes erant acerrimi, Februrario menſe in ædem D. Petro dicatam, quę Oliuolenſis olim dicta, nũc caſtellana appellatur, clam pyraticis nauibus ſuperato portu irruentes, virgines nõ paucas, quę in templum conuenerant de veteri more ciuitatis vt nuberent, abduxerunt, magnáq; inde præda ac cæde edita, Caprulas petiere: quos, re ſtatim cognita Petri Candiani Ducis ductu ſeu magis (vt alijs conſtare video) Badoarij Principis auſpicijs, Veneti, non ſine tamen graui certamine oppreſſere, omnibus fermè, aut captis, aut ad vnum cæſis. Recepta itaque omni pręda incolumi, vt memores tanti beneficij ſeſe ſupremo numini exhiberẽt, ludos iuſſu publico, qui Mariarum ſunt dicti inſtituerunt. Erant autẽ in his ludis Virgines duodecim, omni ornatu inſtructæ, aderátq; illis comes adoleſcens, ſub angeli ſpecie, qui ſecundo Februarij menſis die, magnã vrbis partem luſtrarent præcipuo totius ciuitatis plauſu, tripudióq;. Ea res per trecentos & amplius annos ſtatis ſolẽnibúſq; cęrimonijs quũ perſeueraſſet, tandem Genuenſis belli tem-

pore ſublata penitus eſt, quòd manifeſtò deprehenſum ſit, multa religionis prętextu, grauiſsima flagitia ab his committi. Manſit tamen inde facti tam celebris perennis memoria, quòd Dux, Senatúſque ipſe Diuæ Mariæ formoſę templum ſecũda Feburarij luce celebri pompa inuiſit.

De fratre Alberto.

NESCIAS an vllum ſimulatæ religionis exẽplum huic vni præferri poſsit, niſi quis fortè Boccatianas fabulas ad hoc ipſum eleuandum huc citet. Quum igitur hic Albertus, vnus minoritanæ familiæ, quæ tum Venetijs in ſumma autoritate erat, recenti adhuc memoria Diui Franciſci, tum concionando, aliiſque inſtitutis, nomen ſibi peramplum paraſſet, in aures, animúmque Eliſæ Quirinæ matronæ nobilis facilè peruenit, quæ marito tunc abſente Britannica negociatione implicito, ad Albertum ipſum ſtato tempore venit, vt more inſtitutóque noſtrati annuum cõfeſsionis obiret munus. Qui conſpecta ſtatim matrona, formęq́; elegãtia motus, munere tamen in pręſentia ſuo perfunctus, quũ in illa quędã laudaret, quędã etiam corrigeret, abi inquit, matrona, falſúmq; hunc tuũ de-

pono, quaſi verò cęleſti quadã hac forma, nullã tibi parẽ ducas. Nec multos moratus dies, ad eam profectus, amoréque iam flagrans, bonęq; ſpei plenus, ad eam ſolus ingreditur, tum ad genua illi accidens, neſcis, inquit, matrona quàm graui ſupplicio ſim affectus ex quo à me diſceſsiſti, cuiúſve rei nuncius ad te fœlicioris accedã. Si igitur penes te arcanum id fore, ſecretúmque polliceberis, magnę te certè rei, & fœliciſsimæ certiorem faciã. Iuſſu igitur Archangeli Michaëlis huc ad te venio, qui te vnam pręcęteris Venetis matronis diligit, noctémque vnam condicit, qua ad te viſendam venturus ſit, meo tamen hoc ipſo veſtitu, meóque hoc corpore. Quòd quũ illa (vt ſunt fœminarum ingenia) perlibenter accepiſſet, præſcripta aduentus ſui die ad eam venit, móxque ſemel, & iterum in eodem verſatus negocio, res prædicatione mulieris ipſius palam facta eſt, datáque opera à cognatis, vt Albertus deprehenſus graui ſupplicio afficeretur. Ille verò nudus in ſubiectum canalem præcipitem ſeſe è feneſtra dedit, euadénſque in incogniti ſibi hominis tectum ingreſſus, mox ab eodem re cognita, pérque vrbem vulgata, duct⁹ eſt in Marcianã areã vrſina,

pelle tectus, ſed pari quoque dolo ab omnibus cognitus, contumelijs varijs ab vrbe petitus. Móxq; fratrum ſuorũ aduentu ſubleuatus, carceri perpetuo ab eiſdem includitur.

Aliud exemplum.

NON ab re certè fuerit, & hoc ipſum referre, quod patrum noſtrorũ memoria contigiſſe accepimus. Nempè pleriq; de populo, eorum videlicet, qui ad Diui Nicolai, et Raphaëlis, & Baſilij agerent, noctu frequẽtiſsimè certum in locum conueniebãt. Vbi religionis prætextu multa nefaria ederent, quod quum diu latuiſſet, tandem verò Dux, patréſque re cognita, grauiter in eos animaduertére, dederéque operam, ne poſt hac mortalium vnus eò accederet, graui indicta pœna, ſi quis id auſus foret.

Aliud exemplum.

QVID verò vetera repetã, quum noſtra hac tempeſtate, magna mortaliũ vis Lutherianę factioni ſeſe addixiſſent, vt nullum iam tota in vrbe nomẽ frequẽtius exaudiretur? Quare Dux ipſe, & patres coacti, publico decreto triũuiros ex patricio ordine creandos curauere, qui adhibitis ſecum in conſiliũ ſacri ordinis aliquot viris diligẽ-

tius omnia explorarent, réque planè perſpecta, & cognita, grauiter in eos animaduerterẽt, qui in tã nefaria ſuperſtitione deprehenſi, eam non omnino abiurarẽt. Vt ſanè non poſsis nõ vehemẽtius admirari, vnum Germanici ſanguinis ex Eremitana familia inuentũ eſſe, qui nouũ ius, nouúmque pietatis cultum inferre auderet. Qũi tamẽ ille interim iureiurãdo neglecto, & religiõe ſeſe abſoluerit, & vxorẽ duxerit veſtalẽ, liberóſq; ex ea ſuſtulerit, nullo pꝫterea ſcelerũ flagitiorũq; nexu nõ obnoxius.

De ominibus. Cap. IIII.

HAVD ſanè res indigna videri poſsit, huic noſtræ pietati vereq́; religioni, quæ mox mihi ſubiĩcienda ſit. Id quod Latini homines omen appellarũt. Quaſi verò & diuinitatis quoddã indiciũ extaret in hominis oratione, ad res futuras, vel amplectendas, vel reiiciẽdas. Tametſi & in rebus quoque ipſis omina affuiſſe legas.

Iam primum igitur, ſi quis hoc attendat, quis non intelligit Venetam vrbem hanc ipſam ad pacem omnino fuiſſe propenſiſſimam ſeruandam, quum Diui Marci elogium illud animo, mentéq; euoluat, quod illi ſemper appoſitum fuiſſe, nemo inficias

eat, videlicet. PAX TIBI MARCE EVANGELISTA MEVS, quo ſanè verſiculo admoneri poſſumus, vnà nobis pacē ſemper amplectendā, rebus omnibus anteponendā. Quod maiores noſtri conſtanter adeò ſemper retinuere, vt nunquā bella, niſi inuiti ſuſceperint. Eáque ipſa vbi ex dignitate reip. poterant, ſtatim depoſuerint, niſi ſi quando in fidei hoſtes aliquid gerendum eſſet, quod ad eam tuendam, amplectendámque ſpectaret.

Aliud omen.

AN verò non & illud certum, diuinúmque omen affuiſſe dicemus illi, qui euerſa Mathemauco, quū vniuerſa multitudo de transferendis ſedibus conſiliū iniret, aliíq; Heracleam, alij verò alia loca petenda eſſe contenderent. Quidā in concionem profectus ſi ſalui eſſe vellēt Riuum altū concedendum eſſe inſtanter aſſereret. Neque verò ſolum, ꝙ primus ille locus ſub Attilę tumultū à maioribus noſtris inſeſſus eſſet, ſacręq; ædis D. Iacobo dicatæ fundamēta iacta eſſēt. Sed quod de Riui alti omine nō poſſet non fœliciſsima quæq; polliceri, qui ſibi ſtatim hoc nomen vendicaſſe videretur, nō tā de altioris ſitu loci, quā vt magnitudinem vrbis futurę declararet.

Aliud omen.

CERTVM exploratúmque id eſſe, quod monumentis veterum ſcriptorum, noſtratiúmque proditum memoriæ ſit nemo ſanè dubitarit, Conſtantinopolim vrbem à noſtris olim receptam, quòd claſſe eò profecti, cum Gallis fœdere iunctis Alexium puerum in Imperium reſtituerant, quo fœdè trucidato, Murziphli cuiuſdam obſcuriſsimi hominis opera. Quo etiam mox in fugã conuerſo, Venetis Gallíſque Imperiũ illud cõmune ceſsit. Quod quum Venetias nunciatũ eſſet, nõ pauci erãt, qui vrbis Conſtantinópolitanę admiratione capti, hanc tantã occaſionẽ augendi Veneti nominis non omittendã contenderent, quod facilè fieri poſſet, ſi eò Imperij Veneti, ius maieſtáſq; transferretur, id quod quũ inter ſe diutius agitarent, non defuere qui contra diſſerentes, ſtandũ eſſe aſſererent, neq; vrbem hãc auſpicato conditam, diuóq; Marco dicatam per tot annos, deſerendam eſſe contenderent. Vnde etiam ſucclamatum à quibuſdam eſſe dicunt, nequaquam conſilium probãdum eſſe tranſferendę Conſtantinopolim ſedis, ꝙ cum ſuo nomine Venetiæ maximè facere vide-

rentur,quaſi huc omnibus mortalibus veniendũ foret, id quod ab incondita turba conclamatum eſt. Patribus vniuerſis placuit,vt conſilium id omne tráſferendæ vrbis reiicerent: vt non ſibi tantum Romana vrbs placere poſsit,quod ad Centuriones auditã vocem,quę ſigniferum admoneret, vt ſigna ſiſteret,optiméq; ibi manẽdũ eſſe. Veios ſibi migrandũ eſſe,nequaq̃ cẽſuerit.

De Marino Phaletro Duce.

ET quoniam Romanæ ciuitatis meminimus,non prętẽribo Camilli quidẽ factum illud , qui poſt nuncupatum votum , vt ſi quid aduerſi immineret Romanæ ciuitati, id ſibi cõtingeret,ſtatim lapſus equo, omẽ à Liuio ſibi fuiſſe dicatur exilij paulò pòſt ſubeũdi,id quod in hac ipſa relatione Marinus phaletrus Dux, in locum Clariſsimi Principis. Andreæ Danduli dictus,quum Romæ legatum Venetum apud Pontificẽ egiſſet,domum reuertens,magno cum totius vrbis gaudio exceptus. Bucentauróq; (ſic enim appellant nauim , qua Dux, patréſque cum pompa aliquò vehuntur) ad Diui Marci areã ſubuectus eſſet, nõ ſolito reliquorũ more deſcendens , medius inter colũnas duas,vbi ſontes hoĩes ſupremo af-

ficiuntur ſupplicio, in aream Marcianam ædem peruenit, móxq; inducarium profectus coniurationẽ de patriæ libertate opprimenda inijt, quare meritò illi ceruices abſciſſæ ſunt. Ioannéſq; Gradonicus illi ſuffectus eſt: vt omnis ciuitas poſtea affirmarit, factum illi eſſe omen futurę calamitatis, quũ inter duas marmoreas columnas iter habuerit, qui locus, vt diximus improbis ſceleſtis hominibus puniendis in vrbe noſtra præcipuè attributus eſt.

EXTERNA.

De Clodoueo.

NON eſt conſilium veterum Romanorũ exempla huiuſce rei referre, recẽtiora igitur tantum attingam. Quis non admiretur Clodouei Francorum Regis factum, qui poſtquam Chriſtianam pietatem conſtantiſsimè recepit, bellum aduerſus Allaricũ Gothorum Regem priuſquam moueret, legatos ſuos Turonos ad D. Martini miſit, qui diligentius obſeruarent, quídnam templi ſacerdotes canentes primum enunciarent. Ingredientibus igitur illis primũ auditum eſt ex pſalmo, carmen illud. Tu domine ad prælium accinxiſti me virtutem. Quod letis animis acceptum, ſtatim

ad Regem detulerunt. Ille verò rei euentum fœlicem ex omine ſibi pollicitus, maturata expeditione, Allaricum acie fudit, & ipſos Gothos omni Gallia expulit. Ita vt memorabili rei euentu, reliqui etiam Franci commoti ad noſtram pietatem amplexandam conuerſi ſint, vt conſtantiſſime retineant.

De Conſtantino.

QVID illa vox Conſtantino aduerſus Maxentium iter præparanti de cœlo obiecta? an non illi, poſteritatíque reliquæ omni certiſsimum fœlicium rerũ omen dedit? qui in cœlum ſuſpiciens, crucíſque ſignum videns, ſtatim audiuit, in hoc ſigno Conſtantine vinces, quare mutata tota militiæ ratione, inſignibúſque militaribus omnibus cruce inſignitis, præclaram, incruentámq; victoriam conſecutus, & Maxentium ipſum oppreſsit, & recepta vrbe Roma, primus author fuit, vt Chriſtiana pietas publicè ſuſciperetur, quã poſteritas oĩs ſuo in primis iudicio, cõplexa cõſtantiſſime in omne ęuũ vniuerſo ꝓpagaret orbi.

De Aenea Piccolhomineo.

NE igitur recentiora, quę patrũ noſtrorũ memoria cõtigere, quęq; legẽtibus multò

gratiora fore putẽ, nunc omittã: quis nõ illud ſecum tacitus admiretur, ꝙ Ænea Piccolhominco eueniſſe proditum eſt, nã quũ Romam Cardinalis dictus contenderet, lõgè maxima pars Romani populi ſummo ſtudio illi occurrens, exclamare cœpit Põtificem illum, non Cardinalem ad ſe venire, id quod tamen antea Thomas Sarzanẽſis, qui & ipſe pontificatum eſt adeptus, in diuerſorio cum eo fortè agens, quò vterque diuerſo itinere caſu conuenerat, id illi euenturum prædixerat.

De Paulo Barbo.

PONTIFICATUM hic adeptus, quum fortè Franciſcum Ruerium ex minoritana familia in ampliſsimum ordinem cooptaret: ego te inquit Franciſce in præteritum hac dignitate ornatum volui, quod te mihi ſucceſſorem fore nequaquam dubitem, atque vtinam quam verè id dixit, tam lętum auſpicium illud fuiſſet, quippe quum pontificatui ita præfuerit, vt haud ſanè ſcias, qua partę illum verè laudare poſsis.

De Diuo Ambroſio.

NON dubito fore aliquos, qui taciti ſecũ quærant, cur duo præſtantiſsima lumina

noſtræ pietatis poſtremo retulerim loco, præpoſtero etiam temporum ordine. Sed hi ſecum ſi cogitent, in inſtruenda à Romanis Imperatoribus acie, triarios viros fortiſsimos in extremo agmine collocari ſolitos, vt laboráti reliquo exercitui opé præcipuam ferrent. Vnde etiam prouerbium eſt, rem ad triarios rediiſſe. Quin mihi veniam dederint, remq́ue ipſam libétius expenderint. Ambroſius igitur quum Romā profectus, Mediolanum à Probo dimitteretur: Age inquit, Ambroſi, ita rem omnē curato, vt nō iudicem te, prætorémue mitti putes, ſed epiſcopum, quod quum poſtea omnium ſuffragijs conſecutus eſſet, vt ſublato Auxétio epiſcopus expoſceretur, tūc palàm animaduerſum eſt Probi ipſius omen in Ambroſium rectè dictum. Et ſanè cui non Ambroſij nomen in hunc vſque diē, nō ita exauditur vt optimi, & ſanctiſſimi viri memoria ab omnibus celebretur?

De Diuo Auguſtino.

SEQVITVR meritò hoc in loco Auguſtini nomen, qui adoleſcens adhuc, quū Mediolanum Ambroſij fama motus, perueniſſet, dubiiq́ue animi adhuc penderet in quam potiſsimum religionis partem illi

inclinaret animus, quando nec adhuc ſacratiore aqua luſtratus erat, dum hęret animo ſecum, vocem ex proximo loco audire ſibi viſus eſt, accipe & lege, quod quum iteratò repeti audiſſet, volumen, quod proximũ erat admoneri à ſe legi arbitratus (& erant Paulinæ epiſtolæ) aperto libro incidit in eum locum, vbi Paulus admonet, nõ in ebrietatibus, neque impudicitijs & contentionibus eſſe verſandũ, ſed Ieſum Chriſtum induendũ animo. Quod quum legiſſet, Monicæ etiam matris conſilia ſecutus, ſtatim ad Ambroſium contendit, ab eóque ſacra luſtratus aqua, nomen Chriſtianæ pietati ita dedit, vt nullus ad hunc diem doctrina & moribus par Auguſtino, nec vera pietate clarior inueniri poſsit, vt ille vnus omnibus etiam anteponi iure optimo debeat.

De prodigiis. Cap. V.

NON abnuerim veteres illos Romanæ Principes vrbis plurimum in obſeruandis ijs, quæ latini prodigia appellant eſſe verſatos, qui certè ſi ea omnia ad diuina prouidentiam retuliſſent, multò ſanè melius & priuatim ſibi & publicè alijs cõſuluiſſent: nec tantũ ſibi in Hetruſca diſciplina,

aut in pontificum,augurúmque nunciatis vel portentorum depulſis, vel vatum prædictionibus,ſiue Apollinis reſpōſis ſpei repoſuiſſent , vt ad ea auerrūcanda ſatis eſſe humanam opem crediderint , & non in minima quaque re diuinam ſubeſſe prouidentiam exiſtimarint. Nos verò inſtitutū noſtrū ſequentes,veręque pietati &religioni noſtræ omnia attribuentes , ea primum perſequemur , quæ ad Venetam hac in re ſpectant , tum ea ordine ſuo ſubtexemus , quæ alibi terrarum obtigere.

De aquarum diluuio.

TANTA igitur Ioannis particiaci Principis ætate,maris cœlíque tempeſtas ſubitò exorta eſt,aquarum vis tanta de repente ingruit, vt iam neque in tectorum tabulatis,neque in templorum æditioribus partibus tutò conſiſtere mortales poſſent , vt ſi furor ille aquarum diutius debacchatus eſſet,facile omnia ciuitatis tecta,nedū mortales ea inundatione obrui potuerint.

De duplici incendio.

QVIS non duplex incēdium penè totius vrbis īter ꝓdigia vel maxima retulerit? Nā Ordelapho faletro Principe,trecenteſimo

poſt ferè anno inũdationis ſuperius commemoratę, ſatis cõſtat ex Hẽrici Zeni ędibus ad apoſtolorũ fanũ exorto igne vrbẽ ferè oẽm deuaſtatã nã, trãſgreſſus ignis ille canalẽ vrbis magnũ Caſsiani primũ ædẽ, tum matris domini, inde Diuo Auguſtino ſacram & Diuo Stephano minori cum reliquis inſularum ædificijs & tectis corripuit, mox etiam ſeptuageſimo poſt die improuiſò ignem ex Zanchanis ędibus excitatum, diui Laurentij ædem primum, tum Sæueri & Scholaſticæ deuaſtaſſe, auream quoque macianam ædem, quæ Diuo Baſſo tum iuncta fuerat, mox Geminiani, & Menæ, Moſis etiam, reliquarúmque deinceps inſularũ ædes ad ſexdecim numero, ita planè euertiſſe vt nihil penè ſuperfuerit. Si cui verò minus credibile videatur, quod noſtratia monumẽta omnia cõſtantiſsime de tãta vrbis vaſtitate prodidere, is ſecũ cogitet vrbẽ ferè totam ligneis ædibus & tectis tum fuiſſe conſtructam faciléque alẽte materia, igni proſtratam, quare ita factũ, vt coctis lateribus ædes inde primũ ſint inceptæ fieri, quæ res ad noſtram vſque ætatem deducta, in tantam iam magnitudinem peruenerit, vt non poſsit non omnibus, huc primum aduentantibus vrbis huiuſce

iuſce tam auguſta facies non admirationi, vel potius ſtupori eſſe.

De Mathemauco vrbe.

ET nequid deeſſet mali, quod tantæ vrbi non imminere videretur, Mathemaucus quoque ipſa terręmotu primum, tum incẽdio tota vaſtata, ſic demum conſumpta eſt, vt accedente maris æſtu vndarum magnitudine oppreſſa, eius ruinæ veſtigia adhuc quieto mari ſpectentur.

De coruorum prodigio.

EST inſula Sapientia ſic appellata ad Pelopõneſum è regione Methones vrbis poſita, portu celebris, in quem Nicolaus Piſanus rei maritimæ Imperator ſeſe cum vniuerſa trium & triginta longarum nauiũ claſſe receperat, Genuenſem hoſtem paulò ante à ſe in fugam verſum, memorabilíque clade affectum, nunquam tantum auſurum ratus, vt ad ſe propius accederet, ſed (vt ſunt Ligurum ingenia in vltionẽ propenſiora) magno ſanè animo, noctu vigiliis oppreſſis, quę portus hoſtiũ obſeruabát, in reliquã claſſem, adeò præceps, improuiſúſque ruit, vt & Nicolaum ipſum cum quinq; millibus captiuis, nullo penè

periculo inde Aurius Genuenſis Imperator abduxerat, quam cladem, vt noſtri annales conſtanter referunt, coruorũ vis ingens in cœlo pugnãtiũ prænunciaſſe creditur, qui ſuo ſanguine Venetam claſſem reſperſerint, ad quod prodigium acceſsit, remigem vnum in mare lapſum dum in alteram triremen tranſire parat, à marina belua ſtatim deuoratum.

Aliud prodigium.

ECQVIS non illa inter prodigia maximè menioranda duxerit, quæ Andrea Dãdulo duce omnium clariſsimo contigere. Is enim & ſingulari eloquentia & doctrina ſupra temporum eorũ conditionẽ præſtans, res Venetas duplici conſcripſit ſtilo ſumma diligentia, & cura. Hic igitur principatu ſuo primo annonæ caritate, quę antea cœperat Gradonico Principe, laborauit ingenti. hanc luem, quæ in ſcythicis oris ortum primum acceperat, tam grauiter deſęuiſſe conſtat, vt vix tertia patriciorum & reliquorum ciuiũ pars ſuperfuerit. Sed enim & terræmotu eo grauiore quo diuturnior fuit, ita laboratum eſt, vt plerique ſacræ turres vaſtatæ ſint, ea vero quæ ad baſilij fanum eſt, à media ſui parte penitus

cõuulſa vt quum ſuperior pars in ſuam ſedem redierit, inflexa tunc, in hodiernam vſque dié duret quæ ſanè omnia haud dubiè Marini faletri principatũ portendiſſe creduntur, qui patriæ libertatem opprimendam ſuſceperat; vt ipſe vnus tyrannide eam ſibi vindicaret.

Aliud prodigium.

NON poſſum non & illud prodigium, quod ætate noſtrâ inſigne accidit, non repetere. Nam bello Gallico quod cum Ludouico Gallorũ Rege quadraginta ab hîc annos infœliciter geſſimus, ſatis conſtat, nauigiũ noſtrũ ſupra Clodiã nulla maiori vi maris, aut cœli ſtatim eſſe ſummerſum, in quo magna pecuniæ vis inerat, quæ ad conducendum ex Piceno militem publico nomine mittebatur, vt infœliciter ſuſcipi à nobis bellum ſignificaret.

EXTERNA.

De Diuo Martino Turonenſi epiſcopo.

VENDICAVERIT ſibi merito principem locum inter externa prodigia quod Diuo Martino Turonenſi epiſcopo accidit, quis enim non illi fauerit, qui tantam

ſanctitatem in omni vitæ parte retulerit, vt vulgus quoque ipſum Martinalia ingenti lætitia celebret, ille igitur dum litatorio ſacro operaretur, hoſtiámque ipſam ſacram offerret, repentina ingens flamma ſic eum circũfulſit, vt horrorē primum aſtantibus incuſſerit, mox verò cõprobato dei iudicio ſummam hominis pietatem declararit.

De Diuo Ambroſio.

NON minorem Diuo Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo eadem flamma opinionē ſummæ ſanctitatis aſtruxerit, cui domi ſedenti, quartúmque & quadrageſimũ Pſalmum interpretanti flãma ex ore eius ingēs erupit, argumentũ nimirũ Diuini cuiuſdã ſtudij, & ardentis cuiuſdã amoris in ſacrarum literarum interpretatione, id quod nemini mirum aut incredibile videri poſsit, à puero cõpertum eſt apes in eius ore examē condidiſſe, inuitúmque poſtea illum & reluctantem in ſummũ præſulem à Mediolanenſibus delectũ, tantáque autoritate floruiſſe, vt & Maxentij Arriani furorem epiſcopi vnus ipſe contuderit, Theodoſij Imperatoris maieſtatem ſic repreſſerit, vt ille æquiſsimo animo tuliſſe dicatur ſeſe à templi foribus repulſum, nec poſtmo-

dum recipiendum, niſi abrogata antiquatáque, quam tuliſſet in Chriſtianos homines, lege.

De prodigijs, quæ Longobardorum aduentum oſtenderunt.

AGEBATVR annus Chriſtianæ ſalutis quingenteſimus ſexageſimus octauus, quũ in cœlo Itali homines ſpectauere frequentius ſimulachra armatorum hominũ, quæ inter ſe concurrerent ignémque emitterent, vnde ſanguis de eodem cœlo paſſim flueret, quod quum ſæpius accidiſſet, dubitantibus noſtris graue aliquod periculum terræ Italiæ imminere, ecce nunciatur Longobardorum aduentus, qui ab extremis Germaniæ finibus ingẽti agmine profecti, iam noſtræ grauiſſimi imminerent Auſoniæ. Siquidem per ducentos & quatuor annos, ſic terram Italiam afflixere, tãtíſque calamitatibus inuoluere, vt neceſſarius in primis fuerit Caroli Magni Francorum Regis aduentus, qui tantam peſtem vnus ſuſtulerit, vt tamen in hunc vſque diem Longobardi nomen extingui minimè potuerit.

De mirabili prodigio.

NON diſcedet ab eodem cœlo inſtitutę orationis noſtræ ſtylus, ſiquidem pro certo literis proditum eſt, anno trecenteſimo ſupra milleſimũ, quartodecimo Cal. Mart. in terra Italia crucem in luna viſam fuiſſe, ſequẽti mox die treis ſoles apparuiſſe, qui ternis orbibus circunflexi, Iridis tacitam quandam ſpeciem præberẽt. quæ certè res totius Italiæ ſtatum immutandum eſſe declararet. id quod ĩ ipſa Italia planè ita accidit, vt ſi quis monimenta eorum, quæ ſecuta ſunt temporum noſtratia legat, facilè intelligat diuina prouidentia factum, quæ tacita nos admoneret, vt ab omni rerum nouitate caueremus. Sed quo nam modo inſaniam noſtrorũ hominum compeſcas, qui ipſum quoque Cœlum, tantarum rerum autorem, tamque certarum contemnant?

De prodigijs, quæ deſinenti Caroli magni ſtirpe apparuerunt.

DETVR & hoc poſtremum à nobis Caroli Magni ſtirpi, quæ decedente Arnulpho, quum nihil regiæ eius ſtirpis virilis ſupereſſet, extincta eſt. quum Vgonem Capitium Regij alioqui ſpiritus, Gallia Regem admiſiſſet, immortalis Dei prouidentia ſi-

gnificandum hoc omnibus mortalibus,teſtandũque eſſe curauit nouo prodigij genere,quũ primũ frumento,mox ingenti aquarum vi,poſtremò verò aliquot dies piſciculis etiam pluerit.

De miraculis. Cap. VI.

NON neſcio mirũ hoc incredibileq; viſum iri, quod in hac miraculorũ relatione recẽs allaturus ſum: ſed dabũt hanc veniã, quicũq; hęc noſtratia legẽt,ſi ex tãto diuinorũ miraculorũ aceruo, quę à primordio noſtrę pietatis ad hũc vſq; diẽ occurrerint, hoc nouũ,atq; oĩbus ſeculis ïauditũ,primũ retulerim.quis enĩ neſciat, ſi modo noſtræ pietatis præcepta animo auſit,dũ à primordio mũdi Moſeos libros legit,cœlũ hoc ipſum,cœliq; hanc ipſam faciẽ,quę tãto ornatu tãque inſigni circunflexu cuncta ambiat, dei ipſius opus eſſe, quod per tot annorum millia in hunc vſque diem cõſtantiſsimo ordine fulgeat, inter ſuprema miracula pręcipuáque referendum eſſe?Nam quum rudis illa informíſque materies,vno velut in nexu contineretur omnis,nec ſuus certúſque locus & ordo ſingulis eſſet,primum lucem à tenebris Diuino numine ſeiunctam eſſe ſcimus , cui nox ſuo certo

gradu ſuccederet, ex quo multo gratius iucundiúſque lumẽ illud orbi illuceſceret. Mox nõ ſine miraculo, volucres ĩ aëre exortas, inde ſuum terræ datum cultũ: maríque natantia contributa omnia, ſed & terrę, præter reliqua animantia, vnum attributum eſſe hominem, cui è rubenti limo edito Adami nomen impoſitum ſit: è cuius latere prodierit & fœmina, vt duo hæc tam mirabili opere effiċta, reliquis omnibus præeſſent animãtibus. Sed nec referre hæc ipſa in præſentia, nec quæ poſtea contigere innumera, aut conſilij, aut animi eſt. Nihilo etiam magis ea repetere, quæ certa exploratáque ab Chriſti aduentu ad noſtrã ætatem haud ſanè vana fidem à doċtis, optimíſque viris memoriæ prodita ſunt, quæ magno haud dubiè librorum numero cõpleċtenda mihi forent. Age verò quando à Venetis rebus hac in parte auſpicium mihi, quod inſtitui, ſumendum eſt. Cui non quæſo pro ingenti miraculo occurrat Venetæ vrbis ſitus, qui iam ab hinc milleſimum, & centeſimũ annum, & amplius ſub Attilæ Hunnorum regis in Italiam aduentum inchoatus, nõ mari ſolum vndique alluitur, ſed medijs in aquis conſtitutus non aliter adiri, inuiſiq; poſsit, niſi lẽbis, aliíſ-

que nauigijs huc ſubuectus appellas? vrbs autem ipſa eum ambitũ præferat, vt in circulum, orbémque ferè poſita ædificiorum quandam magnitudinem & celebritatem, nõ ſine admiratione ac potius ſtupore ſingulis huc primum aduentãtibus obijciat. Quid quòd canali magno, veluti quodam meandro vniuerſa inter ſe diſiũcta eſt? qui euoluentes vndique riuos in ſeipſum recipiat, quorum aſsiduo curſu, fluxúque, totius partes vrbis inſularum in modum colerentur, niſi marmoreis, latericiíſque pontibus ſuperiectis riui ipſi adiungerentur. Quid memorem totam circũfluenté aquarum molem, ſenis ſingulis horis ita immutari, vt hic vbi altos paulò ante enauigaſſes fluctus, vada tibi ſtatim occurrant? & mox mutata rerum facie, cuncta aquis cõpleantur? Nec verò illud minus mirabile, quod proximum mare, quod nobis tributum pro menibus videri poteſt, quamuis grauibus iactetur in proxima littora fluctibus, vrbi tamen noſtræ minimè obſit. Sunt præterea & ſtagna ampliſsima ab ipſo mari euoluta, quæ varias, ac multiplices piſcationes alant, è quibus commodus in primis noſtræ ciuitati victus adſit. Omitto templorum, ædiúmque ſacrarum copiam

quæque publicè & priuatim ſpectatu digniſsima occurrant ædificia omitto Marcianam aream, atque alias in tota vrbe innumeras. Quid ſi auream Diui Marci ædẽ inuiſas? Quid ſi fori ducarijque amplitudinem ſpectes? ciuiũque innumeram multitudinem? viáſque ipſas, & calles tam frequentes, præſertim eam, quæ ad Riualtinã vrbis partẽ ducit, vt ſæpe explicare te inde nequeas concurſantium turba. Illud etiam non parum admirationis afferat, ſi turrim Marcianam intueare, quæ medijs aquis poſita ſua craſsitudine & altitudine miraculi inſtar, campani æris ſonitu, noctu interdiúque tibi obſtrepat, firma ſtabilíſque tot annos permaneat.

Aliud miraculum.

SEQVITVR & illud quod præcipui miraculi locum ſibi vendicet, nam ſi gentium omnium, ac populorũ ab orbis primordio, ad noſtrã vſq; ætatem monumenta voluas, ſiue Aſsyrios, ſiue Medos & Perſas mihi obijcias, vel vt Italica, Græca, & alia externa repetã, quis vnquam meminit vnã fuiſſe ciuitatẽ, quæ hac præcipuè dote excelluerit, omnibúſq; alijs Imperijs & rebus pub. vna cunctis præſtiterit. Nã quum

millesimũ & centeſimũ ab hinc annum,& amplius iacta ſint in Riualtina vrbis parte fundamẽta,quis neſcit eam per tot annorũ orbes,in hũc vſq; diem ſua libertate frui? eámque varijs & ſanctiſsimis inſtitutis ſic ornatá, inſtructámq; , tametſi variante inter ſe inſularum ambitu,quas Veneti colerent,Ducem primum Paulinũ Heraclienſem populi totius & multitudinis conſenſu dictum eſſe memoriæ proditũ eſt, à quo vno ad præſentem ætatem,qua Franciſcus Donatus Princeps longè clariſsimus hodie viget,ſeptem & octuaginta numerentur Duces.in quibus creandis tametſi varia in hunc diem ratio inita eſt,vt ſuo à nobis explicabitur loco,paucis tamen Ducibus ſub vrbis ipſius initium male habitis à populo & vno tantũ, ducenteſimum ab hinc ferè annum publico conſenſu damnato Reſpub. in offenſo conſiſtat gradu. Celebrent igitur Græci ſuas Athenas, & Beotias,Thebas, quarũ illæ Themiſtoclis & Meltiadis ductu, hæ verò Epaminũdæ, & Pelopidæ tantũ breui admodũ tẽpore, rerũ ſunt potitæ.Celebrẽt ſuã Lacedęmona, quę Lycurgi regis cõſilio principatuũ omniũ varietates cõplexa, vix ſexageſimũ floruit ſui iuris annũ. Nã de Creteſi rep.

aut de Chartaginēſe nihil eſt, quod in præſentia dicam, illa enim ſemper male audijt hæc varijs iactata factionibus, tandē à Romanis triplici bello victa ſolo eſt æquata. Quòd ſi quiſquā mihi obiecerit quingentos Romanæ Reip. annos, quibus poſt reges expulſos, ad D. vſque Iulium Cæſarē Imperium ferè totius terræ orbis armis ſibi vindicarit, is ſecum reputet Venetam vrbem ſupra ſexcenteſimum annum & amplius, ex quo primum ipſa cœperit, in ſuo veſtigio adhuc conſiſtere, cum ſumma totius ciuitatis & omnium ordinū pace, atque concordia, vt præter vnam atque alteram diſſenſionem, quæ facilè tamē ſunt extinctæ, vix ſuſpicio vlla diſsidij ciuitatē inuaſerit, quum interim maritimis rebus geſtis clara, Sarracenos tum Chriſtianam rem vndique deuaſtantes oppreſſerit, Syriam quoque ferè omnem, & ipſa Hieroſolima de manibus eorum ſacro bello extorſerit, & Othomanico demū bello, quoad illi per Chriſtianos principes licuit, Turcarum pro virili opes contuderit, Cætera verò iuſtiſsima bella cum alijs populis geſta, commemorandi nunc non eſt locus.

Aliud miraculum.

ERAT iuxta Brundulum templum D. Michaëli ſacrum, quod vnum Clodia, Mathemaucum, Venetiæque ipſæ ſumma pietate colerét, accidit verò, vt apud Seno galliam, Sergius quidam opibus & autoritate Princeps graui morbo laboraret, cui noctu vox audita feratur, vt ſi quamprimum votum nuncuparet inuiſendæ ædis Diuo Michaëli ſacræ, ſtatim incolumis fieret, qua ex re pactum ſtatim factũ, vt reus voti relicto patrio ſolo phanum inuiſeret, amplíſque muneribus donaret, tum verò ſaluus penates ſuos reuiſeret.

Aliud miraculum.

NEMINI dubium eſſe reor, qui Chriſtianæ pietatis elementa legens aliquando imbiberit, D. olim Marcum Diui Petri ſocium, quum Romæ ageret, miſſum ab eo Aquileiam celeberrimã nunc Venetiæ vrbem, quàm Romani multo ante coloniam deduxiſſent, quò quum ille veniſſet, Chriſto præcipuo autore ſpei bonæ plenus ſub ipſum ingreſſum vrbis Athaulpho cuidã adoleſcenti nobili lepra infecto occurrit, quem blandæ primùm appellatum interrogaſſe fertur, an eo morbo ſolui cuperet, qđ adoleſcens primo admiratus, mox pol-

licentis Marci cõſtãtiam cõplexus animo, ad patrem Vlphium omnem rem detulit, is vero ſtatim ad Diuum Marcum aduolauit, vtpote ſalutis filij cupidus, à quo admonitus vnum tantum eſſe mali remedium, ſi Chriſtum Ducem ſequeretur, relicto idolorũ cultu, ſacra baptiſmatis aqua luſtraretur: accepta conditione continuò lepra ſolutus eſt, quod miraculũ per vniuerſam vrbẽ vulgatũ effecit, vt omnis Aquileia in vnũ Marcũ oculos mentémq; cõuerteret.

Aliud miraculum.

NEC illud vnquam ſilentio inuoluerim quod ſub Riualtinæ vrbis initia acciđiſſe memoriæ proditum eſt. Erat Ioannes Gradenſis Epiſcopus ſua ſanctitate, ſuáq; religione vniuerſo populo Veneto mirum in modũ gratus, qui auditis ſceleribus, quę Mauricius Dux aſsidue patraret, nõ deſtitit quin illum precibus obteſtationibúſq; admoneret, vt Deũ reuereretur ipſum patriámq; charitate præcipua cõplecteretur, quod quũ fruſtra ſæpe feciſſet, iratus Dux adminiſtrãdi ſibi Imperij leges à ſacerdote prę ſcribi, claſſe cõparata Gradũ cõtendit, nactúſq; Ioãnẽ ipſum placidũ ſibi occurrentẽ, captum de altiori turri precipi-

tem in ſubiecta marmora eiecit, qui pontifex moriẽs ſanguine ſuo ita marmora infecit, vt ſanguinis color immutari nunquã potuerit. quæ demum poſt multos annos ſumma pietate ab vniuerſo populo Gradenſi culta celebratáq; perpetuò fuerint.

Aliud miraculum.

QVID illud in præſentia repetã, quod Gradonico duce memorabile accidiſſe fertur, nam quum aquæ omnes, & ſtagna ita ſubito excreuiſſent, vt omnes de ſalute deſperarent, proditũ pro certo memoriæ eſt, noctu intẽpeſta occurriſſe latẽti piſcatori tres humana ſpecie, qui nauigium ingreſsi magnis precibus ab eo cõtenderẽt, vt ſeſe incolumes ex eo turbine ſeruaret, ille verò accepta cõditione in littus ſic eos deduxit, vt tandẽ quieſcẽte tẽpeſtate, aquíſq; decedẽtibus præmiũ ab ipſis acceperit, à Diuo Marco annulũ ſuũ, quẽ principi offerret, aſſererétq; ſua ope pcipue à ſe, diuóq; Nicolao, & Georgio ſeruatã eſſe vrbẽ. id quũ piſcator mane ad ducẽ profectus enarraſſet certæq; rei indiciũ annulũ protuliſſet, tũc Dux piſcatorẽ pre gaudio cõplexus, & annuo ſtipẽdio viuẽtẽ donauit, & rei monimentum perpetuum poſteris eſſe voluit.

Aliud miraculum.

IVVAT certè me plurimum in Diui Marci commemoratione immorari, ſiue quòd illum Veneta vrbs, iam octingētos & amplius annos patronū præcipuum habeat, ſiue quòd tot miraculis ille penes Aquileiá, vel apud Ægyptū claruerit, & eā orbis partē, quum eò ad Anianum veniſſet, ſic vitæ ſanctitate & miraculorum magnitudine, ad chriſtianam pietatem inflexit, vt quæ gens ſuperſtitioſiſsima omnium mortalium extitiſſet, mox immutata ſuum Oſirim, & Serapim, atque Iſim, & (quod rideas) Crocodilū, & olera, ac cœpe, portentáque alia omnia neglexerit, & Deum vnum Diui Marci opera prædicatum, ſumma pietate complexa ſit. Legant quæſo Euſebij Hiſtoriam, legant Philonē Iudęum, qui Gręcè ſcripſit, quæ vitæ ſanctitas, quæ puritas eorum foret, qui à Diuo Marco edocti Ægyptū tenuere. Quid referam tantam Chriſtianorum hominum multitudinē fuiſſe, vt nō modò vrbes ampliſsimæ, culti, celebréſque agri eam caperent, ſed in deſertis planè locis, quos feræ prius inhabitabant, tanta vis mortaliū concurrerit, vt inde vitæ Eremiticæ exordium

emanaſſe

emanaſſe credatur? Vnde Pauli, Hilariones, Antonij, Macarij, reliquáque ſanctiſſimorum hominum manus celeberrima apud nos in hũc vſque diem perduret, certiſsimis monumentis memoriæ proditis, quæ fallere nos non poſsint.

Aliud miraculum.

EXTAT & illud non inſigne minus, quod omnis poſteritas maximè miretur, ex quo enim Bonus Mathemaucenſis, & Ruſticus Torcellanus, Veneti ſanguinis viri, corpus D. Marci diuino planè quodam monitu ex Alexãdrina vrbe Venetias attulerunt, dum fortè Aegęum mare prę- terueherentur ſecundiſsimis noctu ventorum flatibus nauigarent, obuerſata dicitur Diui Marci ſpecies Dominico monacho Comaclenſi vitæ ſanctimonia inſigni, qui cuſtos ſacri corporis aderat, admonuítque Nauclerum adiret, qui caueret tam ſecũdum ventorum flatum, fore enim vt ſcopulis ſtrophadum illiſa nauis naufragium planè faceret. Subductis igitur velis, curſúque mutato, aduentante luce Nauclerus, & reliqui omnes, re ipſa planè perſpecta, & cognita, ſupplices ad Diui Marci corpus acceſſere, ingentéſque ei gratias,

e

egere, quòd ſalui, incolumeſque imminentis naufragij euaſiſſent periculum, ſic igitur Bonus, & Ruſticus, quo cœleſti, Diuinóque auſpicio apud Alexandriam rem ſuſceperant, eodem Venetias appellantes corpus Diui Marci, cum ingenti totius Ciuitatis plauſu, apud Diuum Theodorum compoſuere.

Aliud eiuſdem Diui miraculum.

SIT hoc poſtremum quod hac in parte ſit referendum miraculum, à Diuo Marco ſuis Venetis æditum. Nam quum multos iam annos ad Vitalem vſque Faletrum Ducé planè ignoraretur, quanam in parte inſtaurati templi corpus illius requieſceret, mœſta triſtiſque in primis vniuerſa ciuitas obire templi adita omnia cœperat, lachrymíſque ac ieiunijs cœleſtem opem expoſcere, in diuúmque Marcum ipſum manus & oculos in cœlum attollere, ne fruſtrari iam animos omnium vellet, ſed præſens ipſe præſentem operam omnibus exhiberet, qua nam in tẽpli parte ageret. Publicè igitur triduano indicto ieiunio, ſupplicationéq; frequentiſsima habita, per totá vrbem quinto & 20. Iunij die, quum frequentiſsimi in tẽplũ D. Marci cõueniſ-

ſent,repente animaduerterunt ingētes lapides commoueri, móxque ex aperta ſua ſponte columna, arcam æream exertúmq; brachium eſſe viſum,in qua corpus ipſum D. Marci conquieſceret,eò concurſu omnium facto, & prę gaudio manantibus lachrymis, omnibúſq; acclamantibus, vix inde per totum diem, ac noctem pia ciuitas diuelli potuit,teſtis huius rei dies nobis iam inde ſolēnis,ac celebris,quem ſacrum habet iam tot annos cūctus populus, quēque ſumma pietate colat, Diui Marci apparitionis nomine.

EXTERNA.

De miraculis.

CONSTITVERAM in hac pleriſq; incredibili miraculorum relatione, quę noſtratibus Venetis conferenda mihi forent, ea in primis repetere, quę ex ſacris inſtrumenti veteris libris, aut à Moſe, aut Ieſu Naue Heliſeóq; & Helia,quæque ab alijs geſta referũtur,præcipuè recenſere,ſed & ea poſtmodũ addere, quæ ſacratiſsimis euangeliorum libris memorantur, quibus certè abrogari fides nullo modo poſſet, aut deberet. Verũ ex multiplici,variáq; lectione,quũ multa mihi interim occurrerēt

ſcitu maximè digna, quibus abrogari fides minimè deberet, propter egregiá ſcriptorum authoritatem, patiemur ęquis animis hæc ipſa referri, quæ certè haud ingrata futura ducam ob eorum nouitatem, inſignémque ad aſſerendam pietatem noſtram autoritatem.

De Iuliano Imperatore cognomento Apoſtata.

FVERAT is iam tum puer noſtrę pietatis aſſertor. Nam & Conſtantino magno genere iunctus ferebatur, & ſacris etiã noſtris initiatus pro certo habebatur. Verùm adoleſcens factus, ſeu Libanij ſophiſtæ præcepta ſecutus, ſiue ſuopte ingenio ad hoc inductus, ita à nobis deſciuit, vt imperij inſignia adeptus immanitate immaniſsimum quemque multis partibus ſuperarit. Nemo certè in Chriſtianum nomen ſæuior crudeliórq; fuerit. Dolo etiam aſtúque in eos vſus qui vi tormentíſq; adigi non poſſent, vt blandè ſæpe eos ad ſe appellaret. Huius igitur, præter alia in nos ædita crudelitatis facinora, illud in primis inſigne habetur, q quum Hieroſolimam peruenisſet, templíque veſtigia cerneret, quod olim Salomõ extruxerat, Titus poſt-

ea Romanorum Imperator ſupremo vrbis excidio ſolo çquarat, Iulianus ipſe,in con temptum religionis noſtrę, accerſito ad ſe Antiocheno Philippo mandauit, vt loco perpurgato fundaméta tépli iaceret, quod cum priore illo magnificentia,amplitudinéq; certaret, nec interpoſita mora eſt. Iacta enim quàm primum ſunt fundamenta, architectiq;, & reliqua operarũ multitudo conuocata innumera eſt. Cæterum quũ ſibi Iulianus, & reliqui mirũ in modũ quaſi perfecto elaboratóq; opere placerent, repente terrę mugitus exauditus, facéſque ardétes intra ipſa fundaméta ſtatim exortę ſunt,quę omnia vno momento diſsiparunt,quin etiam fabri, corũmq; ferramenta penitus igne hauſta ſunt,mox etiam miraculum inſigne viſum, cruces videlicet in multorum veſtibus enatæ, quæ deleri nulla ratione poſſent.

De Amphilotio tribuno.

DIGNVM certè hoc ſemper mihi viſum eſt, quod hoc in loco à me referretur, vt diſcerent mortales ab omni iniuria temperare,cuius deus ipſe,quanuis interdum ſerò,prçſens vltor eſſe videatur. Erat Conſtantio Auguſto Conſtãtini magni filio tribunus Amphilotius cõſpirationis in ſe

vitámque ſuam ſuſpectus, iámque ſæpius à multis delatũ ad eum fuerat, tanquam ſceleris huius reus foret, quũq; ſępe ad ipſum Auguſtũ Amphilotij nomen, hac de cauſa repeteretur, deſinite, inquit, hoc apud me inculcare, breui enim futurũ ſpero, vt pręſentibus vobis omnibus, meritas luat criminis pœnas. Et quum fortè in proximum diem ſpectaculum indictum eſſet, in quo Conſtantius, & vniuerſa fermè ciuitas, & Amphilotius aderat, forte ita accidit, an potius vindicis numinis prouidẽtia, vt ſuggeſtus, in quo ipſe Amphilotius è Conſtantij regione ludos ſpectabat incerto caſu rueret, reliqui omnes collapſi ſalui incolumẽſque diſcederent, ipſe verò vnus ex cunctis acerbo fungeretur fato, non ſine ſumma eorum admiratione, qui eum toties detulerant, quòd Cõſtantius pręſentis numinis vltionem prædixerat.

De Heraclio Imperatore.

QVIS maximè nõ admiretur, quod mox de Heraclio principe ſubiiciam? aut quis tandem non intelligat ab ſummo illo numine nihil aliud à nobis, quàm verũ, ſimplicémque pietatis cultum exigi, neque enim aurum, aut gemmas, vel alia, quę ge-

nus hominum admiratur à nobis expetit. Tãtum præſentem animum huc mihi adhibe, vt illius perpetuò ſis memor, exque illius præceptis rectè piéque viuas. Redierat Heraclius victor ex Perſide, receperátque crucem à Coſdroë Perſarum Rege à ſe ſubacto perpetuæ pacis pignus, in qua redẽptor humani generis Chriſtus pependerat, quúmque iam Hieroſolymæ propior acceſsiſſet, ſeu ipſe per ſe, ſeu ab alijs admonitus frequentiſsima pompa inferre illam in vrbem parabat: quúmq; regio faſtu pompáque omnia plena forent, ipſéq; Heraclius veſte imperatoria amictus crucẽ in collum ſumptam, quemadmodum de redemptore Chriſto memoriæ proditum eſt, ad vrbis portam perueniſſet, lętus omnibus acclamantibus mox in Caluariæ iugum aſcenſurus, crucémque ſuo loco poſiturus, ſic planè euenit vt in veſtigio cõſtans ſuo, pedem nuſquam mouere poſſet, quod quum ſæpe tentaſſet nihílque omnino proficeret, admonitus à Patriarcha fertur, vt mutata rerum omni facie, tenuíque toga deſumpta, nudíſque etiam pedibus, geſtari à ſe crucem meminiſſet, eius ſeruatoris, qui nudus pro noſtra omnium ſalute cruci affixus eſſet. Quod accipiens

imperator, rectéq; ſeſe ab patriarcha monitum ferens, ſtatim nudis pedibus crucem ipſa in veteri ſua ſtatione repoſuit. Eſt igitur nobis in hunc vſque diem facinoris tam egregij lux memorabilis, quartadecima Septembris menſis.

De Reparato Romano.

POTERAM hic Diui Ambroſij meminiſſe, qui præſens Luchinum vicecomitē, & Accinum Ducem Mediolanenſem, à captiuitate, copiáſque eorum iam fuſas incolumes, victo etiam hoſte, ſeruarat. poteram Diui Iacobi apud Hiſpanos memorabile factum referre, quum ille albo vexillo accinctus, princeps ipſe Rainerum regē aduerſum Sarracenos adhortaretur, victorięque mox conſecutæ autor fuiſſet. Sed quis noſtrum huiuſcemodi exempla innumera, aut non legit ipſe, aut audiuit ab alio? quare trāſeam ad ea commemoranda, quæ multo plus admirationis ſecum trahant, ſiquidem cœleſtia illa quid non efficiant? Humana verò hæc ipſa in tā fragili imbecillóque hominum genere, quis non ſuſcipiat quum legerit vni aut alteri eueniſſe, quod præter omnem naturæ legem factum ſit? Reparatū igitur Romanum ciuē

conſtat, quum pro mortuo à ſuis haberetur, cõclamatúſque iam eſſet, ab omnibus, extra vrbem mox recepto ſpiritu (cuius res diuus Gregorius ſit teſtis) quæſiſſe, ex ſuis qui aderant, vt vnus ex ijs in vrbẽ profectus ad diui Laurentij in Damaſo accederet, interrogarétque num Tyburtius ſacerdos ſupereſſet incolumis, & quum nunciatum eſſet non multo ante vita functum, ego verò amici, quod meminiſſe animus horreat, ipſum Tyburtium apud inferos in medijs flammis grauiſsimè cruciari, malóſque dæmones in illum frequenter flammarum globos aduoluere conſpexi.

De Curino Hipponenſi.

NEQVAQVAM verò me pigeat, quando Reparati Romani ciuis mentio à nobis hac in parte facta eſt, ex Diui Gregorij autoritate, nunc quoque Diui Aurelij, Auguſtini monimenta ſecuti, Curinæ Hipponẽſis agri incolæ meminiſſe, qui diuturna cõflictatus aduerſa valetudine, quum neque cibum, neque potum aliquo die ſumeret, præterquam exigua quædam ſpiritus vis è naribus emanaret, ex omnium domeſticorum ſententia iam ſepulturæ mandabatur, & quũ iã ſpiritus ille defeciſſet, nemi-

ni dubium erat, mortuum illum, vitáque planè functũ. Cúmque omnia iam ad luẽdum corpus, funúſque ducendum parata eſſent, fortè ita accidit, vt ad domeſticorum clamorem excitatus Curina, viuũ ſeſe oſtenderit, qui præter alia Hipponen. vnum ex familiaribus miſerit, qui diligentius inquireret, an Curina alter faber Hipponẽſis ſupereſſet, referebat enim à ſe auditum Archidæmonem increpitaſſe alios dæmones, quòd non fabrum illum ad ſeſe deduxiſſent, ſed Ruſticanum Curinam, cuius adhuc tempus non eſſet, addebat, & illud, perluſtraſſe ſe oculis cœlum ipſum præter alia, prædictúmque ſibi fore, vt ab diuo Auguſtino ſacro baptiſmatis fonte leuaretur, quod & poſtea ſecutum eſt, mortéque Curinæ Hipponenſis fabri conſecuta comprobatum.

De Euerardo Germano equite.

QVIN imponat finem huic primo noſtræ commentationis libro, miraculum inſigne Euerardi equitis Germanici ſanguinis, qui Innocentij Pontificis tertij tempore inter ſuos florens, aduerſa correptus valetudine, per aliquot dies inter mortuos domi à ſuis eſt habitus, is verò paulò pòſt

conualeſcens,referebat ſeſe toto hoc tempore Hieroſolimitanæ vrbis ſitum perluſtraſſe, vicos, & plateas, reliquáque vrbis monimenta.quæ nũquam inuiſerat,ad vnguem commemorans. Hincin Safsadini caſtra, qui tunc temporis Sultani nomine vniuerſæ præerat Ægypto,contendiſſe,ex eo loco in Ciſalpinam Galliamdeuolaſſe, in eáque Italiæ parte in ſylua quadã Germanici ſanguinis,hominem ſibi amicum conuentum eſſe,multáque cum illo locutum,inde nihil omnino defatigatum Romam vrbem perueniſſe, quam nunquam antea inuiſerat, templáque, & areas vrbis commemorans,&(quod maximè mireris) in ea virorum nomina, & formas ex vero addens,ſuperſtes diu vixit. Illud non prętermiſerim, Germanum hominem, quem in Italica ſilua à ſe repertum diceret,idem ipſum pleriſque audire cupientibus affirmare ſolitum.

Explicit liber primus.

IOANNIS BAPTISTÆ EGNATII,

LIBER SECVNDVS.

De Venetorum inſtitutis. Cap. I.

EST nunc mihi ad alterum inſtituti operis librum tranſeundum, in quo ab initio ſpectare licebit priſca & memorabilia Venetę vrbis inſtituta, tum verò reliquarum gentium, quæ ſua cuíque fuerint. Ex his enim facilè intuearis, quo pacto iactis primum fundamentis, reliqua poſtea ſecuta ſint ædificia.

De religionis inſtitutis.

AFFVIT ſemper ab vrbis ipſius exordio, ſumma præcipuáq; ex maiorũ inſtitutis, qui Chriſtianam pietatem profiterentur, religionis noſtrę cura, vt ſemper quicquid publicè priuatimq; gereretur, ipſam in primis maiores obſeruarent noſtri, hinc Diuo Iacobo in Riualtina ſede primum ædes poſita. Hinc ſingulis ferè diebus in ſacra templa manè adimus, hinc litatorij

ſacri conſtat obſeruatio, vt in hunc vſque diem & princeps ipſe, & vniuerſa ciuitas hoc inſtituto maximè gaudeāt. Sed & frequentiſsmus omnium mortalium, & ordinum concurſus ad eos audiēdos, qui Chriſti verbum palam concionātes docent, déque vera pietate rectè ſentiunt.

De ſupplicationibus.

EST & ille peruetus ciuitatis mos, vt ſupplicationes frequentiſsimæ diuis immortalibus exhibeātur. Nam ex ſingulis hebdomadibus (vt hinc exordiar) ex D. Marci æde inſtructi prodeunt ſacerdotes, qui ſubiectam aream perluſtrantes præeunte crucis ſigno, litaniјs quoque ſuis perſolutis in templum redeunt. Sūt præterea collegia quinque maiora, quæ ſtatis temporibus, hoc muneris magna obeant pompa. Nec deſunt interim minora quædam collegia ſingulis adicta templis, quæ more à maioribus tradito, hoc expiationis genus nunquam omittant. Quod ſi quis Venetias à reſurrectionis luce ſexageſimo & altero die fortè inuiſat, videātque vniuerſam ferè ciuitatē in Marcianam aream deſcendere, non poterit ille non maximè admirari inſtitutū hoc per manus à maioribus

tanto ante traditum, tanta pietate coli, celebraríque. prodeūt enim ſuo quæq; ordine primum maiora collegia incredibili ac propè infinito numero, & pōpa longè celeberrima, quæ vniuerſam aream ambiāt, quem tamen ambitum (nec & illud ſciens præterierim) totum, quà pompa ipſa ducitur, candido panno tectum, palis in terra deffixis altioribus, qui ipſum pannum ſuſtineant extentum, ad quod adijciam etiā virentes arbores ex Taruiſino maximè agro petitas, poſt ipſa verò collegia ſubeūt hi, qui fratres monachíque vulgo dicuntur, quorum frequentiſsima eſt multitudo. hoſce ſubſequuntur ſacerdotum vrbanorum nouena collegia ſacros hymnos decātantia, tunc prodeunt Oliuolenſes, marcianique ſacerdotes, non longo poſt interuallo Dux, magnáque Senatorum copia, qui omnes amplè inſtructi Ducem comitantur, deducúntque ipſum, vt tamen interim ſuis quibuſdam certis locis flectentes genua, Chriſtianæ pietatis nunquam obliuiſci videantur, donec templum iterum Diui Marci reuiſant, interim verò dum princeps ipſe cum Senatu progreditur, ex Marciana turri lætus in primis campani eris ſonitus redditur.

De quatuor publicis conuiuiis, quæ ſingulis annis à Principe celebrātur.

NON poſſum non maiorum noſtrorum vehementer admirari ſapientiam, qui pręter alia, id maximè prouiderunt, vt princeps ipſe ab vniuerſa ciuitate in primis amaretur. Ad hunc igitur conciliandũ amorem, id eſt adhibitum inſtitutum, vt quater in ſingulos annos patritios ipſos conuiuio publico exciperet, quod inſigni apparatu, minimè tamen inuidioſo, intra palatium ſuum exhiberetur. Primum igitur quarta menſis Aprilis luce Diuo Iſidoro ſacra, celebratum. Tum verò alterum aſcenſionis dominicæ die, quo tempore nundinæ frequentes habentur, quum Princeps Bucentauro naui reuectus, eos qui illum deduxerāt patricios conuiuio excipit, & (ne quid prætermittam moris tam ſolennis) vt princeps aſſenſionis die mare inuiſat, naui inuectus ipſa de qua ſuprà diximus, annulóq; aureo in mare proiecto ſolennibus verbis imperium maris ſibi deſpondeat. Tunc perfecta re, Diui Nicolai inuiſit ædem, vbi peractis ſacris domum cum reliqua pōpa redeat. Iunio mēſe tertiũ celebratur cõuiuium, quo die Viti & Modeſti fe-

ſtus colitur dies. ſiquidem princeps ipſe honeſtiſsimo comitatu eò profectus, ſacra obijt, donóque perſoluto cereorũ aliquot, domum reuertitur. Quartum eſt, quod diui Stephani luce ſacra magnificè ab eo celebrantur, choreis præterea, & ſaltationibus exhibitis & reliquis modeſtioribus ludis in præſentis temporis gratiam.

Inſtitutum aliud eiuſdem principis.

QVID illud dicam, quod natiuitatis dominicę die templum Diui Georgij magna pompa ſingulis annis inuiſit? neque non Diuæ Mariæ cognomento Formoſæ, poſt paſchatis diem memorabilem? Hinc etiam octaua poſt paſchatis luce, Geminiani ædem, & Menæ in extrema area poſitam è regione Diui Marci templi frequens adit, nec illud non mihi referendum, Iunio mẽſe, quo Diuis Modeſto, & Vito ſacra facimus, tẽplum obit ligneo ponte canali maiori ſuperſtrato, poſtremum eſt quod Diuę Marinæ ſacram ædem celebrant omnibus quinque collegijs præeuntibus, ſacríſque ordinis viris deum canentibus, ipſo paulo poſt ſubſecuto principe cum ſolenni omni apparatu, de quo etiam mox dicemus. Nec verò prætermittendum interim duxerim,

quod.

quod quadraginta ab hinc annos inſtitutum fuit, vt dies ipſe ſacer, ſanctúſque habeatur in perpetuam memoriam receptæ Patauinæ vrbis, grati enim patres monumentum hoc ad poſteros æternum eſſe voluere.

De Ducis apparatu.

EST etiam hoc in more, conſuetudinéq; poſitum, vt quotieſcunq; illi in publicum prodeundum eſt, præeant primũ ipſi duci tubicines, præeat Vmbella, & vexilla, aureúſque puluinus, ad hęc chatedra aurata, quæ Dux ipſe comitatus externorum principium legatis, qui adſunt, non multo poſt conſequitur, ornatiſsimo veſtium apparatu, & capitis tegumento ita compoſito, vt cornu in tergum extet, quo planè inſigni teſtetur ſe quidem Principem eſſe totius reipub. vt tamẽ ſenatorius, qui ampliſſimus conſequitur ordo, præcipuam cum eo ſibi vendicet partem, quod & patricius principem ſubſequens, gladium vagina aurea tectum gerens facile oſtẽdit. Nam quũ alij Reges, & Principes præferri nudum enſem velint, ſupremæ ſuæ poteſtatis argumentum, quaſi alienæ ſententiæ non egeant: ipſe vagina tectum ponè gerat. Vt

nec celeritatem ad vlciſcẽda facinora prę-maturam ſignificet (quod etiam Romanorum conſulum faſces alligati denotabant) nec ſui arbitrij penitus totam eſſe Rempu. ſed ſubſequẽtis ſenatorij ordinis ſummam eſſe poteſtatem. Huc accedit, quod ſingulis hebdomadibus ſemel forum magiſtratúſq; omneis, qui iuri dicundo præſunt, obit, monétque vt iuſtitiæ memores nihil odio aut gratiæ tribuant. Vt tamen progrediens, ſi quem tenuioris fortunæ hominem ſupplicẽ viderit, eum benignè audiat, ipſiſque præſentem opem afferri iubeat.

De honore impenſo ſenibus à iuuentute.

QVAS tu mihi Athenas, aut quam Spartam, aut ipſam vrbem Romã in honorandis ſenibus iurè Venetiis ipſis anteferas? Nec verò vnquam inficias ierim, Athenienſes ipſos, & præcipue Spartanos, ciuitatem denique Romanam, hoc genere laudis maximè claruiſſe. Sed ſi quis Venetias ipſas adeat, aliquôtq; moratus dies, accuratius cũcta exploret, aut monumẽta noſtrę vrbis diligẽtius euoluat, facilè animaduertet ĩ ſuperioribus ciuitatibus à me dictis, accerſitũ,

legibúſq; præceptũ genus hoc honorãdæ ſenectutis fuiſſe,in noſtra verò ab ipſiꝰ vrbis natalibus morẽ hunc natũ adultũq; cũ ea in hunc vſque diẽ, per mille & amplius annos perſeuerare. Atq;(vt à primo exordiar Principe, qui primus Heracliæ dictus eſt, ad Franciſci Donati clariſsimi principis, qui hodie omni virtutũ genere floret, tempeſtatem veniam) quis quæſo non videat, matura iam ætate, præter vnum, aut alterum, principes fuiſſe creatos? Iam verò quotquot procuratoria dignitate inſignitos eſſe animo voluas(qui quidem honos Venetiis ſupremus à Principe ſemper eſt habitus)quis non intelligat prematuro iam ſenio viros huic dignitati ſemper eſſe præfectos? Non poſſum non hac in parte recens exemplum commemoraſſe, quum Ioanni Molino centum & quinque annos nato, non aliam ob cauſam conſiliarij dignitas demandata maioribus comitiis ſit, quàm vt vniuerſæ ciuitatis iudicio teſtatum perpetuò foret,quãtum honoris huic ætati impenſum eſſe vellet. Ad hæc ſic in gerendis, obeundíſque magiſtratibus hic mos hodie retinetur, vt ſenilis ætatis præcipua ratio ſemper habeatur. In cœnis verò atque conuiuijs, quæ priuatim, publicé-

que adeas, hoc obſeruatum in primis ſpectes, vt ſuus ſenibus ſemper ſit locus, nec illud etiam omiſerim, quod in ipſo ingreſſu priuato, in ipſóque publico conſeſſu, in ipſiſque ludis ſpectandis hoc obſeruatum constantiſsime eſſe, quòd in pueris etiam, ſi quando domo exeant, aliíque maiori natu (vt ferè fit) occurrant, hunc morem retineri animaduertas. Id quod in matronis quoque, reliquóque fœminarum ſexu coli videas.

De arcanis conſiliis patrum.

DABITVR & hoc ipſum taciturnitatis exemplum, quod rerum publicarum vel præcipuum vinculum habeatur, poſt attributos quinquaginta patres, pòſt alios magiſtratus, qui Senatum perficiunt additos, vix vnum aut alterũ inuenias, in quo proditi conſilij publici culpam requiras. Sed quum multa referre poſſem memorabilia, tamen aliquod ſubijciam, vt veriſsimè dictum à me in huius virtutis laudem comprobetur, quod recens cõmemorabo. Mediolanenſi bello, quod primum cum Philippo Vicecomite geſsimus, dictus eſt Imperator totius exercitus à Senatu Franciſcu; Carmaniola, loco & parentibus ſanè

obſcuris, qui tamen rei bellicæ peritiſsimus ea tempeſtate haberetur, quíque Philippo ipſi maximam principatus ſui partẽ ſua virtute reſtituiſſet, à quo transfugiens, cuius ingratum in ſe animum ferre nõ poterat, Taruiſium peruenerat. Hunc igitur Veneti Imperatorem ſui exercitus dixere, & ab initio quidem ille præclaram operã præſtitit, fuſis enim apud Madodium memorabili acie Philippi copijs, & recepta Brixia, brixienſíque agro omni, rebúſque Philipi ita accisis, vt vix ille intra Abduæ ripas Imperiũ tueretur ſuum. Híſque rebus elatus Carmaniola (quaſi verò Philippo tacitè faueret) partim accuſare Senatum Venetum audacius, & legatis ipſis in caſtris inſultare, partim rem Venetã ita negligere, vt meritò proditionis ſuſpectus haberetur. Ipſo igitur Venetias appulſo, quaſi de pace cum Philippo ageretur, per octo menſes de illius proditione quotidie anquireretur, nunquã tamẽ ille tale quippiam ſuſpicari potuit, donec Senatus cõſilio facto, quũ omnia certis nuncijs, & Carmaniolę ipſius literis conſtarẽt, ipſe intra poſt 30. dies, quam cuſtodię mancipatus erat intra duas columnas ſecuri percuſſus meritas perfidiæ ſuæ pœnas luit.

De Franciſco Foſcaro Duce.

Is quum per annos quatuor,& quadraginta Reip. præfuiſſet, eiúſque prudentia Veneti Imperij fines promoti eſſent,multáque domi præclarè facta,tádémque prægrauante ſenecta, veluti publico muneri præeſſe nō poſſet decē virali iudicio quinquaginta ferè patrum ſentētia,viuenti adhuc illi,quod nuſquã aliâs contigerat,ducis dignitas abrogata eſt, quæ res tanta taciturnitate per aliquot dies ita protracta eſt,vt ad auertēdam ſuſpicionem huiuſcemodi conſilij Marcum Foſcarum fratrem, procuratorémque in curiam aduocarent, quem tamen cubiculo includerent graues cōminati pœnas,ſi quid ille alicui vnquam ꝓdiiſſet. Eſt igitur Foſcarus ipſe dignitate priuatus,in eiúſque viuentis locum Paſchalis Mari Petro ſubrogatus eſt,quem tamen intra triduum mortuum, Princeps ipſe,& vniuerſa ciuitas ad minoritanam ædem extulit, omniáque illi ducis munera præſtita.

Aliud exemplum.

QVID illud cōmemorē,quod noſtra ætate memorabile ĩ primis in hoc genere lau

dis accidit, nam poſtquã funeſtiſsimo prę-
lio ab Aloiſio Francorum rege victi ſumus
iuxta Abduam amnem, omnéſque Imperij
ciuitates partim ad Gallos, partim ad Ger
manos defeciſſent, cum ipſa Patauio non
tamen multò poſt, Lauretani clariſsimi
principis cõſilio de ipſa recipienda in Se-
natu actum eſt. Ea res quum à patribus ip-
ſis tractaretur per aliquot dies, nemo ta-
men vnquam ne ſuſpicari quidem id po-
tuit, quum interim quotidie Patauini Ve-
netias, & Veneti Pátauium frequentes pe-
terent. Iuſſus eſt igitur terreſtri itinere Pe
tilianus Imperator cum Andrea Gritto le
gato, qui ad Margariam cum exercitu a-
geret, vt id munus recipiendæ Patauinæ
vrbis ſuſciperet, confeſtim, & clandeſtinè
tamen domi interea lembi frequentiſsimi,
aliáque nauigia comparata. Quum igitur
ciuium multitudine, Medoaco amne ſub-
uecti in eandem diem, & horam ex altera
parte Patauium adoriretur. Sícque factũ,
vt fœliciſsimo auſpicio vrbs ipſa Pataui ũ
à Gritto incauta opprimeretur, quæ nihil
vnquam tale reſciuerit. Et ex alia parte, no
ſtri, qui aquis, & ſtagnis ſubuecti erant
vrbem ipſam quàm facilimè caperent. ge-
ſta autem cõfectáque res eſt die XVII. Iu-

lij menſis, quæ Diuæ Marinæ ſacra habetur, in cuius perennem memoriam tam præclari facinoris gratiſsimi patres decreuere, vt Dux ipſe, cum Senatu magnifico apparatu ædem ipſam inuiſeret.

Externa.

NEMO certè ſanæ mentis vituperauerit ſi in hac veterum inſtitutorum relatione, principé locũ pietati attribuero, quum pręſertim vera, ſanctáq; hęc noſtra religio, & à principio mortalium animos totius ferè orbis commouerit, & in præſentia excitare facilius poſsit. Laborabat mortalitas olim Gregorij ſanctiſsimi pontificis ætate, nec id malum ſiſti vlla ope humana poſſe videretur. quem nam igitur Gregorius ipſe ſanctitate præcipuus ad auertendã tam grauem calamitaté autoré peteret, niſi trinum & vnum Deum? placuit igitur illi, vt ſupplicationes publicè omnibus indicerentur, quod ſecuta vniuerſa vrbs, quũ ad omnes aras, templáq; frequens ſupplicaret ex intimis cordis penetralibus, facilè non multo poſt ſaluté impetrauit. Et quis, quæſo, neſciat Deum ipſum Opt. Max. cognomento eſſe dictum, qui & omnia poſſit, & præſens piè, ſanctéq; inuocãti pręſto

ſemper adſit? quod igitur ĩſtitutũ à Gregorio ſummo Pont. eſt, nos iure in hũc vſq; diem retinemus, ſi quidem annuæ ſupplicationes apud nos, perennéſque vigent.

Aliud exemplum.

SEQVATVR nũc Bonifacij quarti Pontificis ſummi memorabile inſtitutũ, qui quum animaduerteret Nouembres calendas ſacras, celebréſque Romano populo eſſe, propter inſignem, præclarámq; Lucij Cornelij victoriã de ſocijs, qua die celebres gladiatorij ludi, multáque alia id genus ſpectacula æderentur ad totius ciuitatis Rom. manifeſtam veſaniam, quũ Martem Iouémque, aliáq; numina vetera ſubinde inuocarét, multis fruſtrà tentatis remedijs, vt nec penitus laſciuiendi memoria toleretur, feſtum omniũ ſanctorũ diem celebrandũ nobis inſtituit. quo die etiam id inſtitutum, retentũmque pertinaciſsimè eſt, vt quemadmodum populus Romanus gladiatores ipſos vulnerari interficíque lętabundus inſpiceret, ſic domi ſuæ quiſque anſerem haberet, cuius funere gaudẽs, exultánſque frueretur, cuius palma lecti ipſi ad præcipuum hominis commodum, voluptatéque ſternerentur.

Aliud exemplum.

FVIT & ille chriſtianæ pietatis naſcent s mos maxima laude dignus, quem certè ex rerum euentu optimus quiſque ſanè comprobet. Epiſcopi enim vrbiúmque ipſarum antiſtites populi ipſius iudicio deligebātur, hi qui inter ſuos à primis annis cogniti, virtutis opinione quadam certa præcellerēt, quóſque vitæ ſanctitate, & doctrina alijs anteſtare certū, exploratúmque eſſet, id quod Romani Pont. pleríque, & in his Gregorius, & Leo, & Auguſtinus ipſe & Ambroſius innumeríq; alij facilè probent. Paulatim verò mos inoleuit ille, vt vnius aut alterius principis ſuffragio pręficerentur illi, qui grati, charíque Regibus per ſua ſcelera, & flagitia forēt. vnde paulatim fluxit, vt iam nunc lucerna illa ardens ſub modijs lateat, & in tenebris omnia cōfuſa iaceant. Quis igitur rectum vitæ iter capere ſibi poſſet, qui ducem ipſum tantum aberrare animaduerterit?

Aliud exemplum.

DABITVR & hac in parte aliquid Italico nomini, cuius rei quādo celebre eſt factū haud fortaſſe pęniteat eos, qui noſtratia hęc legēt. eorū igitur bona venia, Albe-

ricus Barbianus iure optimo huc aduocabitur primus, qui Italicos homines, iam pridem militaris omnis rei expertes, cum externo milite in terra Italia omnia bella gererētur per multos iam annos ad veterum laudē nos reuocarit, quod fœliciter experti sępius, qui intra Italiæ fines principes agerēt facilè diſcere prouinciarũ ſuppetias expetere qui Barbianicũ, Bracianum, Sforcianum militē legētes, præclaras in primis res, inſigniáque facinora bello edidere.

Aliud exemplum.

REVOCETVR huc etiam illud Romanæ ciuitatis peruetus inſtitutum, quod Plutarchus, cui ſcriptori neſcias quem anteponas, tradidit, quòdq; noſtrates hiſtorię in primis atteſtãtur. Conſules enim & dictatores virgarum faſces, alligatáſque his ſecures pręferri ſibi ſemper inſtituerũt, vt dum virgas diſſoluerent, ſecuréſque expedirent, ad vindicanda ſcelera tardiores aliquanto eſſe cogerentur, vt ſi quid irati forte decreuiſſent, auertēdæ iræ ſpatium, hac ipſa mora haberent. Quod, vti diximus, noſtri Veneti perbelle imitati, enſem vagina tectum ponè principem geſtari, planè ſapienter inſtituerunt.

Aliud exemplum.

NON poſſum poſtremo hoc in loco nõ Leptitanæ Africæ vrbis morem præterire ſilentio, quãdo & ſcriptores noſtri huiuſce rei meminere, vt ad omnium mortaliũ vſum mos hic transferri cõmode valeat. ſi quando igitur apud Leptim nouæ nuptiæ celebrarẽtur mos ille omnibꝰ inoleuerat, vt nupta ipſa mutuò ollã à ſocru peteret, quam illa cõſtantiſsime pernegaret, vt inde iam in celebre prouerbium abierit, omnes ſocrus nuribus odio ſemper eſſe.

De diſciplina militari. Cap. II.

MILITARIS diſciplina præcipuũ apud populos, gentéſque decus ſemper eſt habita. in qua conſtanter culta, receptáq; ſereni, tranquillíque pacis dies acquieſcere crederentur, in ijs præſertim gentibus, quæ proferẽdi Imperij nimis cupidæ, ſuis non contentæ finibus, in aliena hoſtiliter inuaderent. id quod inchoatum ſemel ab Nino Aſsyriorũ primo Rege, vniuerſum orbem paulatim ſic oppreſſerat, vt nuſquam pax eſſet, donec Romanus populus, primum in terra Italia, mox extra eius fines gẽtes omnes, ac natiões hoc præcipuo

diſciplinæ militaris vinculo tenaciſsimè per omnes numeros à ſe retento, obſeruatóque ſibi parere coëgerit. Cæterum illi, terreſtrib⁹ maximè bellis tam amplum imperium, tantámque gloriam ſibi pararint. Nos qui res Venetas primum ſumma cum veritate aggredimur, animum cõuertemus ad maritimas res Venetorum geſtas. Si quidem mediis in aquis ſiti, maríque innutriti longè à continente poſiti ſub hac diſciplina maximè claruerunt.

De Pipino Francorum Rege.

PIPINVS igitur Caroli Magni filius, quũ Italicis rebus omnibus præeſſet, ĩperante etiã patre, cui ita perſuaſum erat, Venetis bellum indixit, comparato ingenti exercitu quum Heracliam, Equiliúmq;, & Mathemaucum in litora poſita oppida armis oppreſsiſſet, mox in noſtratia ſtagna, inſuláſque conuerſus animo, claſſe ratibúſque ingenti arte comparatis, de Veneto nomine penitus aboledõ cogitabat: noſtri verò tametſi non poterant ſtatim ab initio Francicis terreri armis, ad diſciplinam tandem veterem maritimarum re-

rum conuerſi, ſe ſuóſque liberos, libertatem, patriámque præcipua charitate defendendam eſſe arbitrantes obuiã illi aduentanti, in ſtagnáque noſtra properanti, ſua claſſe, ſuíſq; nauigijs occurrere. Commiſſo igitur acri primum certamine cum Gallis, mox conuerſo maris æſtu in pontẽ, quem Pipinus parauerat, adiuuante Venetos aquarum fluxu ſecundo, irruptione facta, põs ſolutus eſt, cesíque ad vnum ferè omnes, aut aquis merſi ſunt. qua ex re Venetus victor in memoriam tantæ rei Canali orphano nomen fecere, Gallis omni ex parte oppreſsis, libertatéque feliciter in hunc vſque diem inoffenſéque ſeruata.

Aliud exemplum.

NON neſcio Narſeti Principi prius ab Iuſtiniano Imperatore in Italiam miſſo, qui Gothos ex ea penitus eijceret, ſuppetias à Venetis latas, vt Rauennam vrbem reciperet. quod poſtea iterum Longobardicis bellis omnia turbantibus, in Gregorij Pontificis maximi gratiam claſſe Veneta potiſsimum Græco Imperio reſtitutam, in qua conſtet Prædcum Vicentinum hominem militia clarum diu fortiter obſtitiſ-

ſe, ſed illum Venetorum armis, & virtute fractum primò, mox interfectum, claram ad hoc æui ſui nominis famam reliquiſſe.

De Narentanis.

AB HOC militaris diſciplinæ tenaciſsimo vinculo adductus Petrus Vrſeolus Dux, Narentanis ipſis, qui Pyraticam exercebant adeò fœliciter bellum indixit, vt parata ingenti claſſe Parentium primùm & Polam cum vniuerſa Hiſtria, & Liburnia receperit, tum Dalmatici maris inſulas omneis, ipſa etiam non leui certamine expugnata Pharo, quæ Liefna hodie dicitur, in deditionem Veneti nominis cepit. Poſtremò Dalmatiæ omnes vrbes, partim vi, partim ſponte ſeſe dedentes imperio ſuo adiunxit. Inde Narentanos aggreſſus pacem vltrò petentes, ſeſe ac ſua omnia dedentes, pollicentéſque nunquam poſt hac in pyraticam ſe vllo modo deſcenſuros, facilè admiſit, vnde primùm Dalmatiæ titulus ad Principem delatus eſt.

De Dominico Michaële Duce.

FVERIT & Dominicus Michaël Dux militaris diſciplinæ præcipuum documentum, qui Caliſti Pontificis rogatu, præterquam quòd audiebat Hieroſolymitanum Regnum grauiter laborare, Gotifredo primo Bolionio, mortuo, Balduinóque ſecundo rege à Turcis capto, validiſsimam claſſem Venetijs inſtrui iuſsit, memor præterea à Vitale Michaëli primo Chriſtianos Principes claſſe ingenti, cui ipſe præfuerit adiutos eſſe, in Syriam. Igitur quum celerrimè enauigaſſet, primum Sarracenicam claſſem Ioppem obſidione prementem, non ſine graui certamine totam ferè cœpit, Ioppéque liberata, nauibúſque decem ex Sarracenico hoſte captis, cum ingẽti præda ad Tyrum inſulam mari obſidendam profectus eſt. Cingebãt eam ex altera parte terreſtri exercitu Varimundus Hieroſolymitanus antiſtes, reliquíque Franci Principes: quum interim inter Francos ſeditio exorta eſt, non ſine manifeſto ſuo periculo, Tyrum ab ſe obſideri quippe frequentes nuncij aſſerebant, Sarracenorum Ducem magnis aduentare copiis, Venetos interim omnis periculi, & aleæ immunes fore, ea res ad Dominicum Ducem delata perculit facilè primum animum

mum illius indignati, quaſi verò de Venetorum fide dubitarent, quę conſtantiſsima ſemper fuiſſet. Ea igitur ſuper re Michaëli Duci cogitanti, quum diuerſa ei occurrerent, tãdem id conſilium maximè placuit, ad confirmandos ſociorum animos, vt ex ſingulis nauiũ carinis integræ tabulæ abſcinderentur, earúmq; claui & reliqua gubernacula ad Varimundum antiſtitem in caſtra deferrẽtur. Ea res omnium animos, qui aderant ita deflexit, ita in admirationem vertit, vt exclamarent omnes vnã eſſe Venetorum fidem, vnam conſtãtiam, Ducémque ipſum Michaëlem, vnum omnibus rebus anteponendum. Maiori igitur ſtudio in obſidenda Tyro verſis omnium animis, facilè id contigit, vt Tyros tãdem caperetur, tertiáq; vrbis parte Venetis tradita, priuam illis aream, priuũ forum, priua denique omnia templa concederentur, id quod fœdere inter Varimundum & reliquos principes conuenerant, quod Balduinus rex poſtea comprobrauit.

De Henrico Dandulo Duce.

QVANTVM Henrici Danduli ducis in tuenda militari diſciplina ſtudium fuerit, res ab eo pręclarè, eximiéq; bello geſtę fa-

cilè declararint. Is igitur Dux, quanuis ſenio confectus, luminibúſq; penè captus, candẽti ferro ab Manuele Imperatore obiecto, dum Venetum legatum aliquot ante annis gereret penes illum: Iadera armis recepta, Alexium puerum ad ſe in caſtra venientẽ, petentémque, ſuppliciter, vt in Imperium Conſtantinopolitanũ reſtitueretur, benigniſsimè excepit, pactúſque cum eo, & cum Gallorum aliquot principibus qui ad recipienda Hieroſolyma ex Gallia Venetias conuenerant in caſtríſque tunc cum duce, non paruis cum copijs agebant: quomodo tanta res peragenda foret, ſtatim cum tota claſſe trecẽtarum nauium, & Gallorum Principũ auxilijs ſuperato Ionio, Aegęóq; mari Cõſtantinopolim forti animo obſeſſam à Gręcíſq; hominibus acerrimè defenſam, fracta diſruptáque cathena, quã duplicem illis obieciſſent, aliquot poſt dies ſua ſuorúmque militũ virtute capit. Sic igitur Alexio puero in Imperio reſtituto, & Iſacio pueri patre, de carcere educto: cui adulterinus Imperator & frater eum incluſerat: lùminibúſq; priuarat, lætus ipſe de reditu in patriam cogitare cœperat: quum altera ſuorum defectione, puer Alexius exceptus, interfectúſ-

que à Murziphlo qui ſe Imperatorem ageret: quare turbatis rebus Murziphlus cum diu Gallis, Venetíſque reſtitiſſet, tandem iterum capta vrbs eſt, fugatóque Murziphlo principibus Gallis Imperij dignitas eſt parta, Venetis autem Patriarchica ſedes Thoma Mauroceno ad eam dignitatem primo ſuffecto, reſtituta eſt.

De Nicolao de Canali.

ASSERAT fortaſsis quiſpiam non ſanè magnopere mirandum, ſi rebus tam lætis, támque ſecundis diſciplinæ militaris exempla longè clariſsima memoriæ prodita ſint, nunc igitur etiam aduerſis rebus, quā tenaci vinculo hæc ipſa à Venetis retenta ſint oſtendemus. Præerat is vniuerſæ maritimæ rei imperatoria dignitate Turcico bello, quòd ea ætate gerebatur, quum verò Euboea inſula ab Othomano Turcarum principe mari terráque premeretur, ipſe de Canalis Imperator, cum ingenti claſſe ad Chalcidem obſidione leuandam, quam inſulæ illius vrbem præcipuam Othomanus oppugnaret, profectus, per ſummam ignauiam, opem laborantibus, Chalcidenſibus ferre non eſt auſus, paſſúſque eſt ſe ipſo ſpectante vrbem ipſam à Tur-

cis capi, miſeróſque ciues omneis fœde trucidari, turcarúmque principem ſaluum lætúmque inde abire. Quo Venetijs nũtiato Petrus Mocenicus vir clariſsimus illi mox ſuffectus eſt, reuerſúmque mox in patriam perpetuo exilio damnarunt.

De Benedicto Piſaurio & Hieronymo eius filio, vtriſque rei maritimæ imperatoribus.

DEFLECTET, & ad noſtrã ętatẽ militaris diſciplinæ ſęuerè ĩ primis inſtituta hæc noſtra oratio. Siquidem Benedictus ipſe quum rei maritimæ vniuerſæ præeſſet imperatoris nomine, non dubitauit animaduertere ſuo priuo iudicio priuáq; ſententia in virum patritij ſanguinis, quòd relicto Iuco oppido, cui Pylo veteres fecere nomen, Neſtoris olim patria, nõ expectatis Turcis, qui eò aduentare dicebantur, neque expetito ſubſidio ab imperatore ipſo, inde metu abierit. Quo idem & filius eius Hieronymus, Turcico bello Imperator imitari patrẽ ſtuduit, qui & ipſe triremis præfactum vnius patritij ſanguinis virum, capitali ſupplicio affecerit, propter ingentia manifeſtáque ſcelera perpetrata, quæ qualia fuerint alijs æſtimãnda relin-

quiſmus. Nec verò idem ipſe contentus in rebus maritimis hanc ſeruaſſe ſæueritatem quam præſentia tempora in primis poſtularent, præfectum quoque peditum inter ſuos Veroneſes nobilem in Iadrenſi agro autorem turpiſsimæ fugæ ſeſe dederat ſupremo ſupplicio affecit, quæ ſanè duo exempla in patre filióque ſpectata, incredibile dictu eſt, quantum omnium animos incenderint, ne quid ignauè, aut ſegniter hi gererent, qui Reipub. nomine foris præeſſent.

EXTERNA.

De Belliſario Conſtantinopolitano viro Patricio.

DEBEBIT huic omnis ætas, omnis ſcriptorum tum veterum, tum recentium ordo qui Romam vrbem à Gothis captam dirutámque diſciplina maximè militari inter ſuos ſeruata receperit, Gothicúmque nomen ex terra Italia penitus deleuerit. Miſſus enim à Iuſtiniano Principe Conſtantinopolitano, haud ſanè magnis cum copijs in Italiam, quam in libertatem in primis aſſerere cuperet: non tam prælijs multis cum Gothis fœliciter confectis, nõ

vrbium expugnationibus multarum, & in his Roma ipſa ab iiſdem Gothis capta receptáque, tantum nominis, ac exiſtimationis apud omnes conſecutus videatur, quā militaris diſciplinę tuendę inter ſuos cura ſtudióq;. Fertur enim tantum hac valuiſſe, vt milites ſuos nunquam paſſus ſit ab incepto itinere auerti, vt ne pomum quidem obiectum ante oculos, carpere quiſquam auderet, nec defeſſus longo itinere miles, in quēquam obuium locum impetum faceret, & fœmineum præcipuè pudorem ſeruaret, quæ res gratum illum imprimis & expetitū vniuerſo Italico noī effecerit.

De Aerio Patricio.

CELEBRET Romana ciuitas Belliſariū, celebret vniuerſa Italia in libertatē à Gothis vindicata: vt tamen Aerij patricij interim non obliuiſcatur, fuit is ex Mæſia prouincia vir inter ſuos genere ſatis celebris, qui inter Romanas legiones aſcitus, illuſtris, & clarus ſtatim in primis euaſit, patriciúſque Romanus ab Honorio factus diſciplinam militarem penè collapſam omnem princeps reſtituit. Vandalos, Alanóſque in Romani Imperij fines irrūpētes ſępe à ſeſe victos domi quieſcere docuit. In Hiſpania contra eoſdem præclaras res

geſsit: ſed quod maximè omnium memorabile ſit, ſua hac diſciplina Attilam ipſum cum quingẽtis armatorũ milibus in Gallias irrumpentem Cathalannicos ad campos, ingenti ſua cũ laude memorabili prę-lio vicit, Imperij Romani maieſtate hac tã inſigni pugna conſeruata. Non poſſum tamen hoc in loco non in illius laudem (tametſi extra rem ipſam) hoc attexere, à Valentiniano Principe ingratiſsimo cæſum eſſe, quaſi verò Imperium affectare ſibi vĩderetur, vt celebre ſit reſponſum militis eiuſdem, qui interrogatus à Valentiniano vtrũ iure cęſus ſibi videretur, reſpõdit hoc quidem neſcio, cæterum id tibi affirmarim tua te ſiniſtra manu dexterã tibi ãputaſſe.

De Carolo Martello.

SI quis ſuperioribus exemplis non ſatis ſecum expendit quantum militaris diſciplinæ vis per ſe valeat, ille facilè cognitis, quæ à Carolo Martello, cõtra Sarracenos, & Viſigothos ex Hiſpania irrumpentes in Gallias, Eudonij aquitanici ducis pollicitationes ſecutos, geſta ſint, nequaquam dubitarit principem locum, poſt hac tribuere. Occuparant Sarraceni aliquot ante annis ſub varijs ducibus vniuerſam Aſiam, & in Europam tranſeuntes Con-

ſtantinopolim triennio obſederant: inde claſſe comparata ingenti Africam petiere, qua vniuerſa in ſeruitutẽ redacta nõ dubitarunt in Hiſpaniam ſuperato Gaditano freto irrumpere, ductu Iuliani Principis Hiſpani, qui violatam à Rhodorico Rege Hiſpanorum filiam, quam inter reliquas adoleſcentulas nobiles vxor eius penes ſe habebat, ferre, patíque æquo animo nõ poterat: potiti igitur Sarraceni tota Hiſpania præter Auſteres, & Cantabros, ex hac parte credentes ſibi faciliorem aditum ad Gallias, Italiámque, cæteráſque Europę prouincias inuadendas: nihil aliud ſecum agitabant, quàm arrepta occaſione ſuperato Pyrenęo ſaltu in Gallias irrumperẽt, nec eorum conſilijs fortuna defuit. Eudonius enim Aquitanici ſanguinis Princeps, aſsidue illos euocabat, qui minimè ferre poterat à Carolo Martello ſe victum, ſuperatúmque eſſe, quare Abdiramum Regem ſecuti Sarraceni, quadringẽta & amplius armatorum milia ex ſaltu Pyrenæo in Aquitaniam deſcendentes, Galliæ maximam partem iam ad ſe armis traxerant, quum Carolus Martellus non tam copiarum numero ſuarum, quàm diſciplinę militaris vi, roboréque fretus ſuæ, illis ante

vrbem Turonen. occurrit: vbi re omni cognita, perſpectáque Carolus non dubitauit cũ his acie confligere, ſuæ veteris diſciplinæ memor Gallorúmq; virtutis. Primum igitur caſtra ſua ante pugnę dié comburi ex omni parte iuſsit, tum mandatum Turonéſibus, vt portas clauderent: poſtremò ſuperato Ligeri amne, ſic ad dexteram ripã conſedit, vt hoſtis numero lõgè ſuperior ex tranſuerſo impetũ facere non poſſet. Pugnatum eſt igitur vtrinq; diu acerrimo marte, donec tandé Abdiramus fuga ſibi ad proximum mare ſuíſq; qui reliqui fuerãt conſuluit, ſed & nõ multò poſt ad Iliberim obſtinatiſsimus hoſtis à Carolo prælio altero ita victus eſt, vt ſua Hiſpania contentus, de Gallia inuadenda nunquam poſtea cogitarit: ſic enim Amoreus alter Sarracenorum Rex fugatus cęſúſq; eſt: qui trecentis, & amplius armatorum millibus ſuccinctus opem Abdiramo laturus aduenerat, vt Franci meritò poſtea Imperium ſint Caroli magni auſpicijs adepti.

De Carolo Magno.

ET quoniã Magni Caroli incidit métio, quis erit tandé, qui dubitet res omniũ ampliſsimas bello ita ab eo geſtas, vt non tam

eius fœlicitati & fortunæ, quàm virtuti,& diſciplinæ militari Gallorum auitæ, ſuæque in primis retentæ,ſeruatæque,hāc tam inſignem laudē tribuat. Iuuenis igitur adhuc, patre vita functo Aquitanicum bellū primum fœliciter confecit,inde in Adriani Pontificis Maximi gratiam Longobardorum regnum ex terra Italia penitus ſuſtulit,quod ducentos, & amplius annos in hiſce terris floruerat. Saxonicū bellū per triginta & amplius annos fœliciter tandē confecit,&quod ab initio ſemper optarat, vera pietate imbuit. Sarracenos intra Beticæ angulum redegit, Sclauicum quoque bellum,& Danicum, tumultuantéſque Baioarios compoſuit,nūquam intermiſſa militaris diſciplinæ laude,deHūnis octo poſt annos ab eo triūphatū,capta etiam eorum Regia.Tertio demū Italiam ingreſſus, pacatis rebus omnibus, quæ ad eam diem in vrbe Roma, ſeditionis tumultúſque plena habebat omnia, ſibi ſuíſque poſteris tam inſigni virtute Imperij Romani faſtigium merito vendicauit.

De Alberico Cuny Comite.

NON indignabūtur (vt opinor Galliæ)ſi poſt ſuos Carolos maximè illuſtres, Albericus Italici ſanguinis vir ſibi ſub-

texetur: nemo igitur eſt ab humanioribus ſtudijs noſtris tam alienus, qui neſciat in noſtra hac Italia ſic quingenteſimũ, & amplius annũ bello ita geſtas res eſſe, vt peregrino externóque milite ſemper vſi ſimus nemine Italici ſanguinis rẽ militarẽ attingente, donec ducẽteſimũ ab hinc ferè annum, Albericus Cunij Princeps Italici verè ſanguinis hanc veterẽ gloriam ita nobis reddidit, vt pulſis, fugatíſq; ex Italię finibus externis oĩbus, vetus illa Romani populi indoles ſit nobis per eum reſtituta, vnde Sforzianus, Brazianúſque miles, vnde tot clariſsimi Imperatores Franciſcus Sforzia, Nicolaus Picininus & innumeri alij ꝑ ea tempora, poſtremò verò Bartholomeus Coleo, Federicus Vrbinas Dux, Robertus Santo Seuerinas, ætate verò noſtra Nicolaus Petilianus floruerint.

De iure triumphandi. Cap. III.

ERVNT fortaſſe non pauci, qui cũ hæc ipſa noſtratia legent de triumphandi ratione, primum triumphi autorem requirant, auidiúſque etiam ſcire cupiant, quænam cauſa tam iuſta fuerit, támque expetita à multis, vt Imperatores olim Romani ad res gerẽdas in prouincijs, quas debellã-

das ſuſcepiſſent,non alia magis ſpe, quàm triumphi,bella ſuſcepiſſe videantur. Verū nos in præſentia id non agimus,ſed Venetis exemplis illuſtrioribus contenti, omnē hanc vitæ partem ſumma fide proſequemur,quum præſertim ſciā, eum verè triūphum eſſe dicendū, quum viris optimè de patria meritis ab vniuerſa ciuitate,& populo omniū cōſenſu iuſta tribuatur laus. Vēdicabit igitur ſibi iure optimo principē locū Dominicus Michael Dux, qui Caliſti Pontificis Max.adhortationē ſecutus ingēti comparata claſſe ducētarum, & amplius nauium,Hieroſolymitana re in maximum diſcrimē redacta,victo præſertim acie Balduino Rege,& capto à Turcis: feſtinabundus eò profectus, primum Sarracenicam claſſem Ioppem vrbem obſidentem,nō ſine graui certamine oppreſsit omnē, mox onerarias naues decē precioſiſsimis rebus onuſtas ad vnā cœpit, vnde dictati omnes ad Tyrum obſidēdam terra maríq; ducis ipſius præcipuè conſilio à Gallis Venetíſque cōcurſum eſt. Cúmque vrbis obſidio difficilior in dies fieret, iactari voces in Gallorū caſtris cœptæ fruſtra ſeſe Tyrum oppugnare, cum interim Turcæ magno cum exercitu aduentare dicerentur. Ve-

netos verò ab omni diſcrimine tutos, in nauibus eſſe, ea calumnia Dominico Duci nunciata ſtatim nauium ex carinis tabulas reuulſas deferri in Gallorum caſtra iuſsit, vt iam nunc Venetæ conſtantiæ, & fidei exemplum caperent, capta igitur non multo poſt tyro Venetorum in primis opera Syriæque rebus fœliciter compoſitis domum cum incolumi claſſe reuertitur, cui vniuerſa ciuitas ingēti cum plauſu occurrens, illúmque in aureā Diui Marci Ædem deducens, rebus ſacris ritè ante pro curatis, auditóq; mox Principe qui ex ſuggeſtu rerum à ſe geſtarum ordinem ſingilatim explicaret, ſtatim audiri clamor, vocéſque cœptæ clamantis populi dignum æterna memoria colendum eſſe hunc Ducem, qui Chriſtianæ rei in Syria iam labanti præſentem opem tulit, qui Diuino quodam conſilio Gallorum animos firmarit, victoriam ex Sarraceno hoſte tam inſignem ſit adeptus, denique aucto Veneto Imperio, ſuo ductu, & auſpicio, conſtantiæ, fidei Venetæ omnibus futuris ſæculis monimentum tam inſigne reliquerit: quas tu igitur Romanæ ciuitatis triumphantium laureas, quos auratos mihi quadringes imperatorum currus,

quæ captiuorum currum præeuntium agmina, quem ſequentis exercitus clamorem & voces mihi nunc obijcies? quum audies Sarracenicam debellatam claſſem, quum, Syriam ipſam ab immani hoſte receptam, Hieroſolymáque ipſa à Veneto Duce ſeruata, Pietatíque veræ reſtituta, redeuntémque Ducem in aureum diui Marci tẽplum deductum ſacris rite procuratis, tam pijs acclamationibus exceptum?

De Ordelapho Faletro Duce.

NON minorem triũphi ſpeciem retuliſſe videri poteſt Ordelaphus Faletrus Dux cuius auſpicijs & ductu primum recepta magna Syriæ parte, inſtructiſsima claſſe, quam parauerat in Balduini regis Hieroſolymitani gratiam, mox vendicata vniuerſa Dalmatia, additáque Croacia Veneto nomini, aliiſque mediterraneis prouincijs, cũ domum redijſſet, captiuis multis eminentioris fortunæ adductis, tanta lætitia, tantóque totius ciuitatis gaudio exceptus eſt, vt non Romani triumphi amplitudinem adæquarit modò, verũetiam vicerit. Is verò quum non multo poſt Iadereſes ad Pãnonum regem deſciuiſſent, qui non multo

poſt valido præſidio vrbem muniere cum reliqua Dalmatia claſſe ingenti comparata Iaderam ipſam oppugnare aggreſſus, dum ſuos ad fortiter pugnandum hortatur, in prima pugnans acie ictus ab hoſte perijt, cuius cadauer Venetias relatum ſummáq; funeris pompa elatum in aurea diui Marci æde ſepultũ conditur, quod hodie pleríque viſendi ſtudio repetunt.

De Sebaſtiano Ciano Duce.

QVALEM verò quantúmque fuiſſe Sebaſtiani Ciani ducis triumphum dixerimus, qui recepto Alexãdro III. Põt. Max. cuius per aliquot dies fuerant inſignes penes nos latebræ, ſtatuit cum vniuerſæ ciuitatis conſenſu, eius dignitatem aduerſus quemcunque hoſtem conſtantiſsimè tueri, quod cum Fridericus Ænobarbus Imperator reſciſſet, ſtatim ingenti comparata claſſe ſexaginta nauiũ, & amplius, præfecto illi Othone filio in Hiſtricum vſque ſinum penetrauit. Contra quem Cianus princeps nanium numero aliquanto inferior, ſed animi præſtantia, & ſuorum virtute multo ſuperior, iuxta Salborion Hiſtrię promontoriũ congreſſus, vario quãuis interdum marte victor euaſit: diſiecta vniuerſa claſſe, triremíque regia cum ipſo

Othone capta. quare Venetias rediens triumphantium more, ſiquidem vniuerſa ciuitas gratulabunda ad portum vſque illi occurrit, omitto nunc Othonis à principe liberaliter dimiſsi gratia, Fridericum patrem Alexandro Pontifici & Venetis reconciliatum, Fridericum ipſum Venetias appuliſſe, ab Alexandro & principe Venetíſque omnibus benigniſsime exceptum ínque aurea Diui Marci æde, ſacris ritè procuratis, non multo poſt pace cum Pontifice & Venetis inita in Germaniam lætum redijſſe. Extat adhuc marmor peruetus in eo loco, vbi pugnatum eſt, cũ elogio rei tam præclarè geſtæ monimentum. ne vmbellam, ne candidum cereum, ne reliqua principi in publicum prodeunti ornamenta ab Alexandro tradita, cum tubis argenteis, ne ius aurei annuli in mare certo die proiiciendi, ne publicas literas plũbo ſignando, aliáque multa ad hanc rem facientia commemorem.

De Andrea Contareno Duce.

IGNOSCENT mihi cæterorum principum manes, quãdo ab Ciano Duce tot relictis interim in medio principibus, qui alioqui clari, illuſtréſque fuere, optiméque

que de Republica ſunt meriti, ad Andreã Contarenum Ducem hac in parte trãſeo. Poterat hic iam multo etiam ante declarari Dux, ſi quidem totius ciuitatis ſtudia in eum inclinabant, verum præſagio admonitus futurum, vt ſuo principatu ſua patria in ſummo diſcrimine verſaretur, id conſtantiſsimè ſemper tenuerat, quinetiã quum in Marci Cornelij loco animorum omnium propenſio extaret, ille in Patauinum agrum ſeceſsit, obſcuréque ibi agens quoad eius fieri potuit deliteſcere ſtuduit. Cęterũ abſens creatus Dux cum nullis precibus flecti poſſet, vt ſuſcipere rempub. vellet. Cæterum cognatorum & affinium interuentu, qui publicè ad eum ſunt miſsi minabundi illi perpetuum exilium, & bonorum omniũ publicationẽ, niſi annueret, venit tãdẽ animi dubius, quũque in medijs aquis vniuerſa ciuitas illi occurriſſet, fauſtis in primis acclamationibus motus tanto omniũ ardore ad autores patres acceſsit, veniáque petita ſuæ contumaciæ, vel erroris, ducis dignitatem iniit, quã poſtea tam conſtanter tutatus eſt, vt quanuis Pannonum Rex, & Cararienſis Princeps Patauinus & Aquilcienſis antiſtes, Ligúrque in primis ipſe Venetam libertatẽ,

noménque penitus opprimendũ ſuſcepiſſent, ipſe tamen conſtantiſsimè ad extremũ defenderit. Nam victo Piſano Imperatore maritimæ rei ab ipſis Genuenſibus ad Polam, amiſſa non multo poſt Clodia, prouiſiſque ante omnibus domi prudentiſsimè, ac penè diuinitus, quæ in rem præſentem facerent, ipſe iam ſenio confectus non dubitauit claſsi præeſſe, quæ inſtructiſsima iam parata erat ad ipſam recipiendam Clodiam. Nauim igitur cõſcendens ſeuiẽte hieme comitatus Thadeo Iuſtiniano & ipſo Victore Piſano, & Ioãne Barbadico, aliíſque ex patricio ordine, qui ſtrenuam in eo bello nauarunt operam, nam Carolus Zenus aberat, qui paulò pòſt cum ſua claſſe admonitus periculi aduenit, ſic Clodiam vrbem obſedit, vt quanuis Ligur hoſtis claſſem ſuam ſępe oſtentaret, & Cararius Princeps in medijs ſtagnis non deeſſet reliquis ſocijs eos in primis adiuuantibus, quũ præterea decem armatorum ferè millia ipſam tuerẽtur vrbẽ, ſeptimo tandẽ poſt mẽſe cã expugnarit, ipſéque præſens omnibus nulli vnquam ſe periculo ſubtraxerit: in patriam calendis Iulijs reuerſus, memorabilẽ triũphũ egerit, tanta omnium ordinum gratulatione, tantóque omnium

ſtudio, vt parū abeſſet, quin numinis præcipui loco vniuerſa ciuitas coleret, intérq; medias aras, & ſacram ſupremam eius diē venerabundi exciperent.

De Carolo Zeno.

ADMONVIT nos Caroli Zeni recēs nomen, vt illū ſuo Principi iure optimo ſubtexeré, qui ſeruādę reip. Venetæ inter pręcipuos duces, terra maríq; Cōtareno duci ſemper affuerat. Is igitur, Petro Zeno patre natus, qui inter clariſsimos ſuæ tēpeſtatis rei maritimæ Imperatores maximè floruerat de quo mihi ſuo loco dicendū erit, quaſi hæreditarium decus paternæ laudis aſſerens, exacta iuuēta maritimis rebus pręcipuā nauauit operā. Quare ſeruata Tenedo inſula, mox aliquot nauibus præfectus magnis grauibúſque incommodis Genuēſem hoſtem imprimis affecit: cum præſertim Bichinioneam cœteam nauim Genuēſium, quam vnā populus ille maximam ad eam diē extruxerat, plurimíſq; bellatoribus ornarat, ipſe Carolus ſuis triremibus aggredi non dubitauit, præſertim quū ſciret eam ita pretioſa merce onuſtá, vt quingentorum aureorū milium numero ſupe-

raret, ea igitur non ſine magno certamine capta, in quo graui etiam vulnere affectus ille eſſet, captiuis inde Genuenſibus abdu ctis magno numero (nã Florentini mercatores ſtatim ſunt omnes dimiſſi, qui in eadẽ naui erant) omnẽ pecuniæ vim ad Principem ad Clodiam tunc agentem, idoneo maximè tempore numerauit, nec ſibi ſuiſque prȩter Bichinioneæ nauis cognomentum, vendicatum voluit. Cȩterũ & aliquot inde poſt annos rei maritimæ præfectus Imperator Omnibucialdum Franci ſanguinis Imperatorem, qui Genuenſi claſſe tunc præerat iuxta Methonem adortus ſic debellauit, ac vicit, vt duplici vulnere in pene & manu confectus, non prius deſtiterit quàm victum in fugam verterit plurimáſque naues cœperit. lȩtus igitur, & triumphans domũ reuerſus magno totius ciuitatis gaudio exceptus eſt à Principe Senatúq; omni, mox ab vniuerſa ciuitate domũ deductus procuratoria etiã dignitate, quæ apud nos vna ampliſsima, donatꝰ eſt.

De Petro Lauretano.

ERIT mihi nũc extremus, quãdo recẽtior eſt eius memoria, Petrus lauretanꝰ duplici triũpho maxime inſignis, & prior ille qui-

dem ad Callipolim oppidum Turcarum claſſe memorabili prælio victa, diſiectáq;, calendis Iulij menſis, vt nobis triplici de cauſa feſtus ſit dies. Victoria ſcilicet celebri eo die de Patauinis parta, & Andreę Contareni Clariſsimi Ducis reditu, & ipſius Petri Lauretani tam præclaro facinore. Alter verò triumphus nõ minus clarus illuſtríſque, quum ipſius Petri Lauretani auſpicijs, & ductu Genuenſis claſsis in Rapalitano ſinu victa ſuperatáque omnis eſt, capto Franciſco Spinula Duce, qui domi ſuæ nobili ſtirpe natus, egregíjſque factis illuſtris cum aliquot conſiliarijs ſuis Venetias captiuus eſt ductus, qua victoria nihil opportunius Venetis accidere hoc tẽpore potuit, quando inſoleſcens Ligur victo nauali prælio Alphonſo Arragonum Rege prope Caietam, captóque ferri iam æquo animo à nemine poſſet.

De Andrea Gritto.

QVID Andreæ Gritti, nõdũ principis dignitate inſigniti triũphum memorẽ? qui ſua induſtria, ſuáque virtute vrbe Patauio recepta, Venetias reuerſus, ea eſt omniũ ordinum gratulatione exceptus vt cuiuſuis Romani principis triumphũ facilè vicerit?

Externa.

NON poſſum non Belliſario primum hunc locum inter externos tribuere, qui tamē ſub Iuſtiniano Principe poſtremus omnium veterem illam Romanorum triumphandi conſuetudinem retulerit. Primum enī de Perſis à ſe victis, memorabilíq; bello ſuperatis, tum verò de Gilimetre Vādalorū Rege, quem triūphali curru in vrbem Cōſtantinopolim captiuū induxit vniuerſáque Africa in poteſtatem rédacta, poſtremò de Totila Gothorū Rege omníq; Italia ſuo ductu de Barbaris recepta, cū vrbe ipſa Roma memorabiles triumphos egit.

De Caſtrucio Caſtracane Lucenſi.

OBSOLEVERAT iampridem in terra Italia, vetus ille celebris triumphā di mos, qui in vrbe Roma cęptus, multíſq; annis fœliciter confectus, ſuis Imperatoribus virtutis eorum præclarè rebúſque ab hiſce bello geſtis teſtimonium reddiderit, quod poſteri etiam tantæ laudis cupiditate incenſi libentius ſequerentur, ſed mox Roma ipſa reliquáque (proh nefas) Italia à Barbaris vexata, vix vnus ſupererat, qui tantæ gloriæ, & decoris meminiſſet. Cæ-

terum Caſtrucius Lucenſis princeps præter alias animi virtutes inſignes, hanc vnam Italico nomini Princeps reſtituit. Nam quum diu bellum cum Florentinis gereret, vno tandem memorabili prælio cum Raymundo Cardionio eorum duce fœliciſsimè functus, ad Altum Paſſum (ſic enim locum illum appellant) eo capto Lucam vrbem triumphali curru Raimundo inter captiuos, præeunte ingreſſus eſt, quaſi verò barbaro homini inſultare, ſimúlque eum admonere vellet ſupereſſe adhuc Romanæ vrbis aliquod veſtigium, ſi modò per Italici ſanguinis homines ab Italico Imperatore militaris res gereretur.

De Blaſio Acſareto Genuenſi Duce.

NVNQVAM certe adduci potero, vt in hac ipſa commentatione mea, quam inſtitui, non veræ virtuti, & laudi teſtimonium perhibeam. Blaſius igitur Acſaretus delectus à Genuenſibus Imperator aduerſum Alphonſum Arragonum Regem, qui Neapolitanum regnum vendicare ſibi omne ſtudebat, eum medio mari ad Caietam adeptus, tanta virtute, & fœlicitate cum eo pugnauit, vt quãuis Rex nauiũ numero ſuperior eſſet, reíque gerẽdę ipſemet

cum fratre præeſſet fuſa diſiectáque omni claſſe, captáq; cum ipſo Rege prætoria naui, & ipſum Alphonſum, & fratrem cũ nõ paucis principibus viris in triumphum duxerit, quæ victoria multo fœlicior Genuenſi reipublicæ, ſi ea moderatius aliquanto, atque prudentius vti ſciuiſſent.

De Roberto Malateſta Ariminenſi Duce.

NIL poterat Innocentio Pontifici Maxi. fœlicius, commodiúſque accidere, quam ꝙ eo bello cõtigit, quod illi cum Alphonſo iuniore Ferdinandi Regis filio gerẽdum fuit, ſi modò in ipſa fortuna rei ab illo bene geſtæ plus conſtantiæ affuiſſet. Robertus enim Malateſta miſſus à Veneto Senatu ad ipſum Pontificem, qui ſuppetias illi laboranti ferret cõtra Alphonſum ipſi inſultantem, & iuxta mœnia vrbis Romæ licentius agentem, ſic cum Alphonſo congreſſus eſt, vt quamuis ille inſolentius ageret, Turcico etiã milite adiutus, quem Hydrunte capto ad ſe traxerat memorabili prælio inito victoria penes Robertum ipſum ſteterit, quare ille triumphantis more vrbem ingreſſus iucundiſsiméque ab ipſo Pont. & patribus, ac populo ſuſceptus

eſt, vt tamen in illo merito hoc aliquantũ doleas, quòd intra triduum poſt victoriã tam celebrem, vita functus, diu illi frui tãta fœlicitate non licuit.

De Cenſoria nota. Cap. IIII.

NON poſſum non vehementer eos precari qui noſtratia hæc legerint, vt quãuis cenſoris authoritatem ſuperciliúmque duûm hominum in Ro. vrbę quandoque obſeruarint, ſi in Venetarum rerum relatione eius magiſtratus, qui magiſter morúmque veterum cuſtos, quos Cenſores Roma. ciuitas meritò dixit, appellatio, noménq; ipſum cenſoris deſideretur, quum omnia quàm ſimilima, re ipſa mihi referenda ſint, quæ ad vitam, moréſque optimos tuendos ciuitatum ſpectare imprimis videatur. fuerint igitur Romæ cenſores duo hoc nomine dicti, qui veteres ciuitatis mores corrumpi minimè paterētur, quod facilè accidere poterat in his hominibus, qui cum militari Imperio foris Remp. gererēt noménque ſibi ampliſsimum & opes quęſiiſſent. Nos treis aduocatores multos iam annos habemus, quorum cēſura, leges imprimis obſeruari præcipiuntur, vt ſi quid contra eas ab aliquo, vel tantillum atten-

tatum fuerit, ipſi ſimul tres vel ſinguli ius habeant ſummum intercedendi, deducendíq; crimen ad ſe delatum, vel ad quadraginta virale cõſiliũ. vel ſi quid grauius cõtra leges admiſſum fuerit ad ſenatum referunt, vt tamen ſi eis etiam id videatur in maiori cõſilio totius ciuitatis interim agãt vt cum ipſis aduocatoribus intercedendi poteſtas ſumma conceſſa traditáque ſit de capite, rêque aliena referendi, nihil tamen per ſe ſtatuere ipſi valeant ad extremum, ſed conſiliorum arbitrio ſuffragationéque reus aut cõdemnetur, aut abſoluatur, quod infraſcripta capita facilè declararint.

De Thoma Viardo.

ERIT igitur mihi in hoc cenſorũ (vt ita appellarim aduocatores noſtros) ſupercilio Thomas Viardus patritij vir ſanguinis primum referendus, qui ducẽteſimum, & amplius ab hinc annum, quum ad ſinũ Dalmatiæ tuendum præfectus cum decem triremibus miſſus eſſet, nec ex Reipub. dignitate rem adminiſtraſſet quippe qui ſex triremes à Genuẽſib⁹ capi paſſus, per ſummam ignauiam fugerat, aduocatorum intercesſione de conſilij ſententia in carcerem primùm coniectus, mox maximi con-

ſilij ſententia condemnatus eſt, vt per annum in carcere ageret, quo peracto, in exilio vitam duceret, extra Veneti Imperij fines, id, quod ſi quandoque violaſſet deprehenſus in carcere publico vitam finiret.

De Victore Piſano.

POTERAT fortaſſe Victori Piſano rei maritimæ Imperatori infœliciter cum Genuenſibus ad Polam cõgreſſo venia tribui, niſi Reipu. dignitas & ſalus omnibus aliis rebus anteponenda viſa eſſet aduocatoribus, qui tunc erant. Illi igitur accepta clade cum ſtatim interceſsiſſent, noméque illius ad magnum cõſilium detuliſſent, auctores fuere, vt abrogato illi Imperio (tametſi partim hoſtium inſidijs, partim præfectorum quorundam ſegnitie, qui in tempore non adfuerant ſuperatus) carceri mãciparetur, qui tamen non multo poſt republica ita expoſcente carcere ſolutus veteríque dignitati reſtitutus præclaram operam Andreæ Contareno Duci, inter alios præſtitit, vt fuſo fugatóque Genuenſi ſæpius hoſte, Clodiáque vrbe recepta, Dux ipſe triumphans in Patriam redierit, Venetúmque nomen in hunc vſque diem florentiſsimè vigeat.

De Michaële Attendulo.

PRAEERAT is Gallico bello, quod Venetis cum Mediolanenſibus gerebatur, vniuerſis copijs Imperatorio nomine, qui cum exercitu toto profectus, vt Carauagiũ Sortię obſidiõe ſolueret infœliciſsimo ad eam diem rerũ euentu rem geſsit, nam fuſus, fugatúſq; à Sfortia ipſe, & ſiue dolo, ſiue fortuna ſemel inclinante, rẽ nullo modo ſiſti ſeruaríq; poſſe ratus, Brixiæ mœnibus fugiens cum paucis ſeſe incluſit: qua tanta clade Venetus Senatus penè conſternatus, illi Imperiũ abrogauit, Taruiſiúmq; in exilium miſit, ſuſpicatus non immeritò Attendulus Sfortiæ fauiſſe rebus, quod vtrique eadem foret patria, etiam quod ipſe Attẽdulus Sfortianæ factionis eſſet, quę tota res per aduocatorum cenſuram in decem virali conſilio planè peracta ſit.

De Marino Bono.

SVBNECTAM & hoc ipſum ſuperioribus, quod Marino Bono patricio eueniſſe planè mirari quis poſſet, niſi cenſuram aduocatoriam Venetijs eam eſſe pro certo habeat, quæ nihil ignaniter contra Reipu. dignitatẽ actũ pati æquo aĩo queat. Redibat igitur Marinus Bon⁹ Venetias triremis

vnius prefectus, ex Cypro inſula ad quam publico nomine miſſus fuerat, quum fortè incidit in alteram Venetam triremim, quæ naufragio facto magnam nautarum partem amiſerat, quum tamen plerique ex iis in euerſæ nauis carina ſeruati conſiſterent, auxilium ſibi opémque ferri ab eodem Marino magna voce expoſcentes, qui quidem facilè ſeruari potuiſſent, ſi propius acceſsiſſet, quod penitus ille neglexerit, omnibus non multo poſt naufragio cōſumptis. Ea res ad aduocatores delata id effecit, vt quum primum Venetias ille appulit eum ſua interceſsione reum fecerint, qui de conſilij ſententia ita damnatus eſt, vt quoad vixit ab omni maritima prefectura publicè reiiceretur, ita vt neque bello, neque pace idoneum illum eſſe cenſuerint.

De Andrea Bolduno.

QVIS nō ſeueritatem aduocatorum ſupercilíumque hoc ipſo quod ſequitur exemplo tacitus ſecum maximè miretur? Animaduerſum erat de conſilij ſententia in Andream Boldunum patricium, vt publicè laqueo vitam finiret, quem ſuo ipſo die nobiles aliquot grauiter illi inſultãtes, impudentérque ſæpe appellantes ad colũnas

vſque geminas deduxere, quod ab Aduocatoribus cognitum, ad conſilium ſtatim delatum, ſic animos omnium incendit vt patricios eos quotquot fuerant grauiter ſanè mulctarint, & alioqui factum id vſque adeo impudentiæ, inſolentiæque plenum videri poterat, cum morituro patricio tam infami leto, ſatis ea pœna irrogata videri poſſet.

De Bertutio Bochaſio.

NON poſſum quandoque facere quin vehementiſsimè in lachrymas erumpam, cum Venetorum res geſtas domi foriſque vetuſtiores lego, Ex iis vnum hoc exemplũ plurimum admirationis hiſce allaturum nõ dubito, qui Venetam vrbem incolant, cum in Bertucij Bochaſij recens hoc exemplum inciderint. Agebatur tunc vrbis Venetæ annus milleſimus ducéteſimus ſeptuageſimus quartus, quum patritij ordinis Bertucius ipſe domum in agro Meſtrino emit, quod ſanè factum contra publicã legem, Aduocatores adeò iniquo animo tulere, vt delato ſtatim ipſo Bertutio ad cõſilium illũ omnibus ſententiis damnarint, domúmque ipſam in publicũ redegerint. Quo ſanè exẽplo omnes qui hodie Vene-

tijs viuunt admoneri poſſunt, ſic Venetorum animos in maritimã rem fuiſſe propẽſos, vt domũculam emptã in continenti ab Bertutio ferri æquo animo non poſsit.

De Antonio Grimano poſtea Venetiarum Duce.

SED quid ego hæc tam vetuſta conſectẽr? quum ætate noſtra, vnum præcipuè extet exemplum, in quo ius ipſum aduocatoriæ notæ, acréque imprimis ſupercilium eius magiſtratus declarari poſsit? Fuit igitur Antonius Grimanus clariſsimus vir, qui in ciuitate diu inter Principes habitus procuratoria etiam dignitate inſignis, maritimæ rei iterũ Imperatorio nomine præfectus, bello turcico, quod cum Paxaite gerebatur, rem non ſanè fœliciter adminiſtraſſe ſit viſus, qua ex re aduocatores tres viri illuſtres, Nicolaus Michaël, Paulus Riſanus, Marcus Sanutus ad patres retulere, vt abrogato illi Imperio, domum ille in publica cuſtodia interim habitus rediret, publicóq; carceri includeretur, quoad re ipſa cognita planéque perſpecta, per maius conſilium, de eius capite ſtatueretur. Quare publico iudicio damnatus, & procuratoria dignitate perpetuò pri-

uatus, inſulámque Crexam relegatus eſt. graui etiam indicta pœna ſi finibus exceſſiſſet. Qui tamen Romam ad Cardinalem filium clam profectus, & non multo poſt patriæ reſtitutus, procurator primum, tandem verò in Lauretani Clariſsimi Principis locum ſubrogatus eſt: memorabile planè exemplum poſteritati futurus.

Externa.

SECVTI nos igitur vetus propoſitũ noſtrum ſuſtituemus quædã hac in parte Romanæ vrbis exempla quæ in Valerij commentarijs nõ habetur haudquaquam pœnitenda.

De Scipione, Naſica, & M. Pompilio Cenſoribus.

PRAEFVIT ſua ætate Scipio cognomento Naſica, cum Marco Pompilio collega Reip. cenſor, qui quum equites cum eodem Pompilio de ciuitatis more cenſerint animáduertere tranſeuntem equitem nitidum in primis, & præpinguem ſtrigoſiori tamen equo, & planè macilento inſidentem, qui ab eiſdẽ cenſoribus interrogatus, cur ipſe cute tam nitida incederet equo pręſertim tam male habito, ita reſpondit

ſpondit, quid miremini tantopere, quum ego me ipſum curem, Statius verò libertus equum? quo reſponſo inſolétiore, moti cenſores, & illi equum ademere & inter ærarios adſcribendum iuſſere: addita ad hæc cenſoria grauiore nota, ne in publicis demandandis magiſtratibus, ius illi eſſet vnquam ſuffragij ferendi.

Aliud exemplum.

De Marco Attilio Regulo & P. Curio Philone cenſoribus.

EST & illud Marci Attilij reguli, & P. Curij Philonis cenſorum iudiciũ memoria non indignum, qui bello punico ſecundo, quum quatuor milia iuuenum dilig ētius aſſeruaſſent, qui Reipub. operam ſuam in re militari nullam exhibuiſſent, quo tempore Annibal maximè Italiã vaſtaret, eos omnes indignos, qui ſuffragium ferre poſſent cenſuerũt, quare meritò laudemus cenſores eos, qui talem multam illis irrogarunt, quibus vita pluris ęſtimata ſit, quàm patriæ dignitas, & ſalus.

De Fuluio Flacco.

EXTAT, & Fuluij Flacci cenſoris in fratrem non contemnendum exemplum, ad

quem cum delatum eſſet, fratrem ſuum tribunum militum legionem, dimiſiſſe, ſine conſulis iuſſu, ſenatu mouendum cenſuit. Quo enim pacto probari quis poſsit, qui in ſuum Imperatorem, & conſulem ita inſolenter ſe gerat, vt ſummi Imperij ius contemnat?

De cenſorum origine.

NON erit opinor ab re ſi quando toties cenſoriæ notæ mentio hoc capite incurrit, de huiuſce magiſtratus origine incrementóque breuiter aliquid perſtringam, quod ſtudioſis hominibus non ingratum fore arbitrer. Fuit igitur Romæ à patribus primum illata mentio noui creandi magiſtratus, qui populi cenſum rectè peragerent, cui muneri conſules ipſi non ſufficerent, nec Tribuni plebis, vt in alijs multis ea tēpeſtate aduerſi patribus tetēdere. Primi igitur creati duo L. Papyrius Mugilanus, & L. Sempronius Attracinus, qui à parua origine magiſtratum exorſi, paulatim ad ſummum imperium dignitatem eam protulere, prout quiſq; præeſſet ingenio operáq; magis prẹſtitiſſet. Cēſus igitur populi primus habitus, qui iampridem cenſus fuerat, tum morum diſciplinẹque publi-

cæ, & priuatæ ratio ſeueriſsimè acta, hinc vectigalia procurationi eorũ ſubiecta. Senatus equitúmque centurię eius magiſtratus ditioni obtemperaret, mox publicorũ priuatorúmq; locorum omnium cura habita: poſtremò ſcribarum publicarúmque tabularum obſeruatio imprimis retẽta, nihilque denique noui vel publicè vel priuatim quod ad religionem præcipuè pertineret, quiſquam innouare auderet, niſi prius arbitrio cenſorum res cognita foret, quam formulam ſi diligẽtius ſpectes, haud ineptè à me factũ quiſpiam dicet, ſi in Venetarum rerum hac relatione pares fermè Venetos Aduocatores Cenſoribus Rom. eſſe dixero: & hæc ſatis pro re.

De maieſtate. Cap. IIII.

NEMO ſibi ita perſuaſerit, quum de hominum maieſtate hac in parte agetur, qui etiam ſine tribunalis faſtigio, ſinéque apparitorum copia, & tacita quadam veneratione honorem ſunt adepti, quaſi verò ſupremo illi numini aliquid à me detrahatur, cui meritò, & prima maieſtatis laus ab optimo quoque ſemper vendicata fuerit, ab ipſo igitur primum hæc deducta

appellatio in Populi Rom. Imperiiq; magnitudinem, defluxit: vt qui eius populi dignitatem, & ſecuritatem aliquo modo violaſſent digni grauiſsima vtique pœna haberentur. Tranſiit poſtmodum nomen hoc ipſum in eos viros, qui domi foriſque de Repub. optimè meriti, etiam ſine ſecuribus in ſumma omnium ſuorum ciuium veneratione vixere, vt ab ipſo Valerio dictum ſit, illabi tacitè in mortalium animos cum admiratione honorem, etiam ſine honore aliquo populi ſuffragijs demãdato.

De Petro Gradenico Duce.

QVIS non iure optimo in Petro Gradenico duce (vt ſuperiorum ducum memoriam hîc non repetã, qui ſuis locis commodius referentur) maieſtatem hanc affuiſſe perpetuò dixerit? qui ciuili ſeditione atrociſsima tam fœliciter tâmque conſtanter oppreſſa, in animis hominum ſumma cum laude viuebat, nec verò moriens hac ipſa tacita maieſtate fraudatus eſt, ſiquidem nemo hodie Venetas res diligentius euoluit, qui non illius manes conquieſcere in cœlis optet, ſæpéque etiam monumentum ipſius in Diui Cypriani ſitum libens inuiſat.

De Petro Lauretano.

QVANTA verò in Petro Lauretano maieſtas fuerit non poſſum certè nō imprimis iucundè, & perlibēter hoc in loco referre: vt igitur omittam, rem aduerſus Turcas fœliciter ad Gallipolim geſtam, idque Iulij menſis calendis, nec victoriam imprimis memorabilem ex hoſte Genuenſi ad Rapalum partā in pręſentia memorauerim, erit enim hiſce ſuus locus, vt merito hunc Claudio Marcello perſimilem dixeris. Nam vt ille primus Annibalē vinci docuit, ſic iſte de Turcis primus trophęū inſigne patriæ peperit, quum nauali pręlio Liguſticam claſſem ita oppreſsit, vt captū Frācíſcum Spinulam Imperatorem & aliquot viros egregios, Venetias ducendos miſerit. Quis non ex hoc, quod memorabimus facinore ſummam in illo maieſtatē extitiſſe dixerit? Conuenerat Venetias ex Ilirico, & Hiſtria multitudo ſanè perditorum remigum ingens, quæ padanæ claſsi præeſſet iam paratę, inſtructęque aduerſus Philippum Mediolani ducem, cum nocte quadam tria milia & amplius ex his cibo potúque graues in aream Marcianam irrumpentes iam olitorias, panitiáſque ta-

bernas diripuerant, imminebántq; monetariæ officinæ, vnde etiam magnam vim auri exhauriendā ſperarent: quúmque iam impetus eorū & vis neque principis imperio, neque magiſtratuū minis ſiſti iam poſſet, fortè ita accidit vt tunc Petrus Lauretanus D. Marci procurator ędes Marcianæ areæ ſubiectas incoleret, qui non ſanè adhuc valens audito ſtrepitu ſonitúq; geſtarum rerum cognitóq; periculo ciuitatis domeſtica veſte indutus in forum deſcendit, cuius aduenientis nomine audito tantum turba illa perterrita huc atque illuc dilapſa, ſtatim aufugit pacatáque omnia reliquit, & erant alioqui proximè naues iam paratæ. Quod igitur non principis non magiſtratuum, non apparitorum vis efficere potuerat, Petri tantum Lauretani exauditum nomen facilè impetrauit, cum interim aliquot ex his ſupremo ſupplicio affectos nauium malis appēderit: quod æquo animo tuliſſe ebrios inſigne quoque exemplum fuerit: vt viri maieſtas celebrior illuſtriórque eſſet.

De Andrea Contareno.

SEQVETVR hunc Andreas Contarenus dux longè clariſsimus, qui quum ſæ-

pius iudicio x l. virûm ad dignitatem hãc euocaretur,ſemper illis reſtitit, nouiſsimè Marco Contareno duce vita functo, quũ omnium vota in ſe vnũ inclinare videret, vrbe ſtatim exceſsit,fundúmque Patauini agri in quo deliteſceret petijt. Verùm cum vniuerſa ciuitas illum ſummæ rei pręficere ſtuderet, nunquam tamen adduci potuit vt Rempublicam capeſſeret, ac in vrbem rediret. Cæterum miſsis à Senatu cognatis eius, qui & bonorum omnium amiſsionem interminarentur, niſi quàmprimum patriã reuiſeret, motus ille priuatæ rei periculo ad ſuos reuerſus, occurrente etiam in ſtagnis ciuitate cum ſummo gaudio, tandem aſſenſus eſt, vt princeps declararetur. Quã igitur maieſtatem in hoc homine affuiſſe dicas, qui toties ſummum illum dignitatis gradum recuſarit, quem alij omni ſtudio expetunt? Cæterũ & Genuẽſi bello, quod illi calamitoſiſsimum accidit eandem maieſtatem ita ſemper retinuit, vt penè ſolus patriæ libertatem & veterem maiorũ gloriam ſuſtinuerit, qui demum moriens in Diui Stephani ædem illatus eſt, præclaro hodie monumento, quod viſitur, Gentilis Contareni opera extructo.

De Victore Piſano.

ENITVIT verò vel in primis in Victore Piſano ſpecimẽ hoc maieſtatis, qui poſt Polenſem cladem carceri incluſus, publica vniuerſæ ciuitatis acclamatione ſummóque conſenſu à patribus eſt emiſſus: qui quum lares ſuos viſens, ad Diui Ennini, gratias duci & patribus egiſſet, deducente eum populo ordinéque patritiorum frequentiſsimo, pugno etiam percuſsiſſe nauarchum dicitur, qui eum hortaretur, vt animaduerſo tantum in ſeſe mortalium omniũ ſtudio, vt abrogati ſibi imperij carcerîſque iniuriam vlciſci vellet: illud elogium addens, quacunque occaſione bonũ ciuem Patriæ dignitatem, & ſalutem præponere rebus omnibus debere.

De Carolo Zeno.

NON ſum dubius, vt qui noſtratia hæc quandoque legent Venetorũ exempla, ſuſpicentur aliquid à me, vel Patriæ nimio amori datum, vel præſtantiſsimorum ciuium memoriæ nimis benignè cõſultum. Quibus ego ita planè reſpondeo, vt diligentius ſcripta Sabellici peregrini alioqui hominis euoluant, aut Veneta monimenta quæ hodie extant, accuratius perlegant:

tunc facilè intelligent, noſtrum hoc ſcribendi ſtudium ſimplex in primis, & verax fuiſſe. Tantum verò à me laboratū ne rerū geſtarum memoria vrbis tam præclarę penitus intercideret. Tu igitur Carole Zene huc mihi adſis: qui tantam tibi propter res præclarè geſtas gloriam & laudem comparaſti, vt Galeatij Vicecomitis principatum ea tempeſtate ampliſsimum, per decē annos quib9 illi præfuiſti nihil te vno melius, nihil prudentius, nihil illuſtrius fuerit, vt te in patriam redeuntem omnes inſubres ægerrimè tulerint, ſupplicéſq; Galeatio Principi legationibus vndiq; miſſis inſtiterint, vt te, omnimodo retineret, nec ab ea procuratione abire ſineret. Quid quòd ipſo Carolo in patriam redeunte rebúſque pace bellóque præclarè geſtis florente, legati Genuenſium, qui publico nomine Venetias venerant, priuatim domum illius, ædem ſæpe ſubiere, ſermonémque cum eo familiarem miſcere ſoliti erant, atque etiam domo quandoque exeuntem in publicum benigniſsimè comitari. Tametſi meminiſſent Genuenſem claſſem, ſępe Caroli Zeni virtute victam: Bichinoniam nauim eiuſdem Caroli auſpicijs captam, Clodiam conſilio & opera illius præci-

puè receptam, victum nauali apud Methonem prælio memorabili Bucicaldum, qui Gallici vir ſanguinis tunc rem Genuenſiũ adminiſtrabat: vt iure optimo Camillum alterum dicere poſsis hunc ipſum.

De Franciſco Foſcaro duce.

NON indignabitur (opinor) Franciſcus Foſcarus dux ſeſe tam prȩclaris imperatoribus Venetis annumerari, qui quũ Reip. quinque & triginta annos præfuiſſet, patriámque ipſam ſuo imprimis conſilio, & authoritate fœliciſsimè adminiſtraſſet, abrogato illi Imperio publica authoritate, principis tamen maieſtatem deponere non potuit. Nam deſcendens in publicum principis omni ornatu ridenti perſimilis ab vniuerſis qui aderant ita exceptus eſt (aderat autẽ ferè vniuerſa ciuitas) vt Principis maieſtatem faſtigiúmq; ſupremȩ maieſtatis ſuſceptum in eo priuato crederes, quinetiam intra triduum illum defunctũ Paſchalis Maripetrus Dux ſuffectus, & vniuerſa ciuitas, funebri pompa ſic deduxit, vt nihil omnino de ducis dignitate illi ademptum videri poſsit: decoratus etiam elegantiſsima Bernardi Iuſtiniani oratione, quæ hodie quoque extat.

EXTERNA.

De Diuo Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi.

VT non defuerit vetus illa maieſtas in noſtris olim Imperatoribus, & regibus hinc Carolis, & Ludouicis, illinc Ottonibus, & Fridericis, in his tamen non diutius morabor, qui tametſi clari pacis bellíque artibus fuerint, ſeculorúmque omniũ memoria digni, hác ipſam maieſtatis laudẽ quæſitam partámq; illis titulo magis regię, aut Imperatorię poteſtatis, quàm alterius rei quiſpiá ſuſpicari poſsit. Veniam igitur ad eos qui chriſtianã pietatẽ profeſsi, nihilq; tale ſibimetipſis vendicantes propter egregias eorum virtutes, præcipuúmq; religionis cultum ſummũ maieſtatis honorẽ ſibi cõpararunt. Primus autem in hoc numero fuerit mihi D. Ambroſius Mediolanenſis antiſtes, vitæ ſanctitate, & excellenti doctrina clarus imprimis & illuſtris. Quum igitur Arbogaſtis in Gallia maximis bellis fœliciter geſtis, gentibúſque domitis quàmplurimis pacem in vniuerſa Gallia peperiſſet, principes quoſdam inuitaſſe dicitur, à quibus ille rogat' eſt, an Ambroſiũ antiſtitem noſceret. Quibus ille ſtatim

reſpōdit nō modo illū noui ſed quā familiariſsimè eum in terra Italia colui. Quo reſponſo accepto, ſtatim illi, ecquid verò miremur, tam inſignes partas eſſe victorias, qui præſidem hunc tam propicium tibi feceris, qui tanta gratia apud deum valet, vt nihil non impetrare poſſe à deo credatur, etiam ſi ſolis curſum auertere moraríq; vt in ſacris bibliacis libris Ioſue, velit?

De eodem Ambroſio.

SED quid miremur in Barbarorum animis hominum tantum ſpecimen maieſtatis affuiſſe? quum idem Ambroſius Theodoſium Imperatorem Mediolani agentem magnóque agmine aduentantem ab aditu templi præſens repulerit, quod ille Chriſtianos homines non paucos indicta cauſa Conſtantinopoli interfici iuſsiſſet, quod factum vſque adeo omnium qui aderant animos mouit vt ſumma illa in Ambroſio maieſtas, veluti vox de cœlo demiſſa cunctos perterrefecerit, ſed & ipſe Theodoſius cum ſumma animi æquitate domum redierit: ſibi conſcius illatæ iniuſtæ cædis nimium ſubitæ. Quare legis in Chriſtianorum perniciem latę factique pœnitens ſui, non multo poſt conciliatus ab Ambroſio

& templum iniit & benignè ab eodem excepus eſt.

De Moyſe Aegyptio Heremita.

PVTET quiſpiam fortaſſe aliquid dignitati Epiſcopali in Ambroſio eſſe tributum, quę ſumma ſemper dignitas apud nos meritò habita ſit, ſed quid ille nobis reſpõdeat quum Moſis Ægyptij heremitæ pręſens exemplum legerit? Ferunt enim Iuſtiniano principi Mainam floruiſſe Sarracenorum Reginam, quæ nulla ratione vnquam adduci potuit, vt cultu Chriſti fidéque ipſa ſibíque ſubditi populi ac gentes imbuerentur: quanuis per vniuerſum terrarum orbẽ longe latéque noſtra hęc pietas diffuſa eſſet, quę tamen non multo poſt audita perceptáque Moſi Ægyptij fama, ad Iuſtinianum principem ſcripſit, neque ſe neque ex ſuis quenquam precibus flecti, aut minis deterreri potuiſſe, vt abiecto idolorum cultu Chriſtianum dogma reciperet: nunc verò ſeſe enixè petere ſummoperéque precari Iuſtinianũ ipſum, vt Moſem Ægyptium heremitam ad ſe mitteret, futurum pollicita, vt eo præſente ipſa ſuíque omnes veram pietatẽ cõplecterentur, quod etiam breui poſt ſubſecutum ſit.

De Paulino Nolano Epiſcopo.

VASTAVERANT vniuerſam Italiam Vandali ex Carthagine claſſe profecti Gẽcerici eorum Regis auſpicijs. Romæ igitur Cãpaniæque in primis infeſti Nolam vrbem præter cæteras expugnarant, ciuéſque omnes & matronas puberéſque captiuos in Africam, cũ Paulino ipſo vrbis antiſtite abduxerãt. Id quod poſtea cum Gẽcericus reſciuiſſet, qui Paulini pietatẽ, ſanctitatem prius nouerat, euocatum ad ſe qui ignotus latebat, priuati hominis ſpecie, ita affatus dicitur, ecquid Pauline fruſtra credidiſti te apud nos virtutémque egregiam tuam latere, aut in obſcuro eſſe potuiſſe? tu igitur ſaluus incolumíſque in patriam redito, Nolaníque omnes quotquot apud nos ſunt tecũ læti tecta templáque ſua fœliciter reuiſant, tibíque tuóque deo gratias agant aſsidui, quod reſtituti per me in patrium ſolũ ſint, ego naues neceſſariáq; omnia parari iubebo, quæ vſui ſalutíque veſtrę fore cenſuero. Tantam maieſtas vnius viri apud regẽ Barbarum valuit, vt ipſius gratię Nolani omnes libertate ſint donati.

De Simoneto Camerinate Heremita.

DECERTARANT longo difficilíque inter ſe bello Veneti, & Franciſcus Sfortia Mediolan. dux: quos ad ineundá pacé, neque Ponti. Max. authoritas neque regum principúmque Italiæ preces flectere vnquam potuere: cum Simonetus Camerinas ex heremitica familia Sfortiæ duci familiaris & notus, & Venetijs quandoque cōmoratus, negotium hoc ſuſcepit. Erat autē hic propter vitę ſanctitatem in ſummo cultu & veneratione. Venetijs igitur ſoluens Mediolanúmque profectus tentato prius Sfortiæ Ducis animo, cui ille negare nihil eſt auſus, ſtatim Venetias rediit, principe igitur & patribus ipſis facilè perſuaſis, pax inter eos inita eſt, vnde hodie cœnobium in ſtagnis Murianum petentibus extat. D. Chriſtoforo dicatum perpetuóque pacis nomine dictum: tantum recta religio veræque pietatis cultus in mortalium animis ſæpe valet.

De Franciſco Sfortia primo Mediolanenſi duce.

OCCVRRERVNT Scipioni in Limernino agro agenti latrones: vt eum ſalutarent, & viſerent, qui ſecundo punico bello poſt res præclarè bello geſtas Cartha-

ginem imperij æmulam tributariam populo Romano fecerat. Occurrerunt & Franciſco Sfortiæ Mediolanenſes ad Briuium hoſtes, quibus ille obuiam profectus inermis capitéque detecto tantum authoritate, oríſque maieſtate apud illos valuit, vt abiectis armis, omnes ſeſe illi ſubiecerint. Manúſque ipſius apprehendentes oſculati ſint, vt non multo poſt mutato conſilio Ducem illum in vrbem deductum cũcti ſalutarint.

IOANNIS

IOANNIS BAPTISTÆ EGNATII,

LIBER TERTIVS.

Caput primum, de Indole.

EFFECIT prouidentiſsima in homine natura, multa quidem in eo ſumma admiratione digna, illud verò vel præcipuum fuerit, quod ſæpe in pueris & adoleſcentibus incunabula quædam virtutis, & vitiorum ſic effinxit, vt ab illis ſpes quædam certa futuræ probitatis emanet: hanc in nobis vim quotieſcũque extet latini indolem dixere. Et quamuis inſignia etiam vitia appareant in nonnullis, nos tamen de hac ipſa agemus, quæ ad virtutem ſpectat, principémq; locum iure optimo ſibi vendicabit Andreas Dandulus Dux.

De Andrea Dandulo duce.

QVANTA in hoc adoleſcente extiterint huiuſce virtutis incunabula, qualiſue indoles, tametſi literarum monimẽtis, quæ nulla tunc in terra Italia erant, proditum

ſit:quis tamen in hoc ipſo non maximè inſignem indolem affuiſſe dicat?qui Dādula familia natus Venetijs lōgè clariſsima, primus bonis artibus & literis inſtructiſsimus fuit. Idémq; admiratione virtutis tam illuſtris tres & triginta annos natus Dux in ea ciuitate dictus eſt, quæ ſenili ætati ſemper plurimū detulerit, tunc verò iuuenē hunc oībus ſenibus antepoſuit. In hoc principe multa fuere alia quę poſteritati ignota minimè fore dubitem, ſingularis prudētia & bonitas optimo cuique præcipuè fauens, literatos omnes, qui tum in terra Italia nō multi erant, maximo amore, & omnibus officijs proſecutus eſt, vt tamen vnum Frāciſcum Petrarchā reliquis omnibus prætulerit, cui Venetias venienti publicæ datæ ſunt ab eo ædes, quæ nunc in cœnobiū Sancti ſepulchri abiere. Ad hæc ſi quando in publicum Dux ipſe prodiret honeſtiſſimo loco ſemper ſecum habere voluit, vt etiam de ipſius Franciſci ſcriptis proditum hodie legitur.

De Carolo Zeno.

IS quū puer adhuc eſſet Petrū Zenū patrē apud Smyrnā à Turcis interfectū amiſit, ceterū diligētiſsimè à ſuis educatus, quū decimū ætatis annū ageret ī Galliā duct⁹ corā

Ponti. Max. orationem eã habuit, quæ admirationis plena audientium omnium animos repleuit. Ille verò ab hac indole animi & virtutis adoleſcens factus, quum Auenionẽ iterũ petijſſet à Põtifice Patrẽſi ſacerdotio ampliſsimo donatus eſt, ad quam vrbem nauigãs Turcas iuuenis acie à ſe victos fœliciſsimè repulit. Verùm nõ multò poſt variis iactatus cũ laude caſibus in patriámque poſtea reuerſus, rei maritimæ ſic operam dare cœpit, vt non multo poſt, à ſenatu Veneto claſsi præfectus, eas res geſſerit, quas loco ſuo ſatis commemorabimus, vt certè ſi quis rem totam æſtimare æquis animis voluerit, hunc ipſum libertatis, qua hodie fruimur, autorẽ præcipuũ profiteri non dubitet.

De Laurentio Iuſtiniano primo Venetiarum Patriarcha.

SVCCESSIT Caroli Zeni tam inſigni virtuti iure optimo Laurentius Iuſtinianus vir omnium virtutum genere longè clariſsimus, is Patre Bernardo, Quirina matre natus, eo potiſsimum die, quo Princeps Cõtarenus Genuẽſi bello victor Clodiaque recepta in patriã triumphans redibat, cum ſumma ciuitatis lætitia exultanti ma-

tri præſagio fuit, & ſuis oĩbus, quaſi nouũ ſydus ciuitati futurus, de ipſa patria oĩ ex parte optimè meritus: affuit igitur illi puero pręcipua quędã indoles ſummi ingenij & bonitatis, tãtũ, taléq; ſpecimẽ, vt cũ adoleſcẽs adhuc domi in præcipua ſanctitatis opiniõe ageret, vt vndeuigeſimũ ętatis annũ natus, Mariníq; conſobrini ſui veſtigia ſecuturus, Diui Gregorij cœnobium quod in alga dicitur ſit ingreſſus. Ab hac tam inſigni animi indole excitata vniuerſa ciuitas, Caſtellanæ diœceſi præfecit, mox verò primum Patriarcham ſacris omnibus rebus præeſſe voluit: qui ita planè vixit, vt omnibus exemplum ſummæ pietatis ſemper fuerit, doctrina verò tam inſigni floruerit, vt quotienſcunque vacaret, tam legendo, quàm ſcribendo celeberrimus in hunc vſque diem habeatur, ſi quis modò ſcripta illius, quæ hodie impreſſa extant diligentius euoluerit. Qui denique moriens, inter diuos relatus eſt, cuius obitus dies Ianuarij menſis octaua fuerit: ſi quis latius mores huiuſce ſanctiſſimi viri noſſe cupiat librum Bernardi Iuſtiniani de eius vita ſcriptum legat, ſed & monumẽta ab eodem Laurentio literis tradita non negligat, quæ plura ſunt.

De Leonardo Iuſtiniano fratre.

VT in Diuo Laurentio ſummum religionis ineundæ ſpecimen à puero indoléſque extiterit, ſic in Leonardo fratre minore natu iam tum adoleſcente, literarum, eloquẽtiæq́ue ſtudium enituit: vt adhuc iuuenis, & vix alterum, & vigeſimũ ætatis annum agens, in Caroli Zeni funere, eam habuerit orationem, quæ hodie quoque extet cũ ſumma omnium qui interfuerunt admiratione. Extat quoque Diui Nicolai ab hoc eodem vita, è Græcis fontibus hauſta, Latinis hominibus donata, quam perlibenter omnes Latinæ linguę cupidos lecturos nõ dubitem. Extant eius epiſtolæ aliquot, elegantiæ ornatúſque ſummi plenæ, quæ doctis hominibus non poſsint non ſummopere placere. Legi quandoque ad Franciſcum Barbarum, qui tum Brixiæ præerat, epiſtolas, legi ad Ciriacum, & Bernardum filium cum mea maxima voluptate. Is verò in Repub. diutius verſatus in ſumma dignitate, ad procuratorium etiam faſtigium conſcendit; vt ſi diutius vixiſſet facilè ad ſupremæ dignitatis gradum euehi potuerit. Iuuat hîc quoque meminiſſe Marci fratris eius, qui primus Bergo-

menſis prætor à Veneto Senatu creatus, tãtum autoritate valuit, pro ſumma animi moderatione, rerúmque vſu, ac ſapientia, vt Philippi Ducis teſtimonio, qui hoſtis Veneti nominis acerrimus tunc erat, & cum Venetis grauie tum bellum gerebat, non poſsit non clariſsimus eſſe. Siquidem quum de Senatu Veneto, Marcóque Iuſtiniano fortè ſermo incidiſſet, publicè profeſſus eſt audientibus multis, plus eſſe in Marci Iuſtiniani toga præſidij (quę tamen haud ſatis precioſa foret) quàm in trecentis cataphractis, quos Veneti haberent, militib9. Qua ex re ſi quis mihi Scipiões duos totidémque Catones Romanos obiecerit, non dubitauerim tres huiuſcemodi patres illis opponere.

De Franciſco Foſcaro, qui poſtea Dux fuit.

ELVXIT in hoc adoleſcente tantum virtutis ſpecimen, tantáque indoles, ingeniíque vis, vt quum non multo ante Foſcara familia reuocata ab exilio foret, in quo natus tunc eſſet Franciſcus Foſcarus, re familiari non admodum opima, & grandi, tunc adoleſcens Riuoaltũ de ciuitatis more ad menſam Priulam, quæ tunc celeber-

rima in vrbe haberetur, frequens adiret, quē intuitus Nicolaus Priulus menſæ prę-fectus, totiúſque oris ſpecimen admiratus, ſermonémque cum eo frequentiorem conſerens, non dubitauit eius animum attentare, an de vxore ducenda quandoque cogitaret. Cæterum quum ille reſpondiſſet, nec rem ſibi ampliorem eſſe, nec eam ætatem, quæ ſatis eſſe videretur vxori ducendæ, liberíſque gignendis, poſtremò conditionem illi obtulit, ſeſe illi ſuam filiam daturum. Quod ille admiratus, illudíque ſeſe ſuſpicans, vtinam, inquit, dignus eſſem tanta cognationis amplitudine, quę me, & reliquam familiam in primis honeſtaret. Atqui non multis poſt diebus, amicis, affinibúſque aduocatis, totiúſque rei conſilio patefacto, filiam Franciſco deſpondit, ſuperaddita dote pro tempore ſatis ampla. Ex qua affinitate celebrior mox factus, ad ſummum dignitatis gradum propter ſingulares eius virtutes eſt aduectus.

De Bernardo Iuſtiniano.

QVIS q̃ſo me nō iure optimo grauiter accuſaret, ſi Bernardū Iuſtin. Leonardi filiū hîc nō attexerē? qui relictus à patre adhuc

adoleſcens tantam indolem præ ſe tulit, vt nemo non qui eum ſemel vidiſſet, planè aſſereret eum in omni virtutũ genere pręſtantiſsimum fore. Id quod planè & euenit, ille enim Græcis, Latiníſque literis inſtructiſsimus varijs ampliſque magiſtratibus, & legationibus à Repub. ornatus, ſic ab omnibus excipiebatur, vt numẽ quoddam ĩ homine latere crederetur. Quare & procurator creatus, tanta bonitate humanitatéq; in omnes eſt vſus, vt adhuc exemplum illius veluti oraculum, ab omnibus præferatur. Scripſit ille ſumma diligentia, & fide Venetas res pluribus libris, quos vt propoſuerat ad ſuam vſque ætatem abſoluere non potuit. Scripſit etiã, de diui Marci corpore Venetias tranſlato libros duos. Sed quis non admiretur eius orationẽ, quã in funere Franciſci Foſcari Ducis adhuc iuuenis habuit, quis non perlibenter epiſtolas eius legat? quis & librum de beati Laurentij vita ab eo ſcriptum non accuratius euoluat? Certè ſilẽtio inuolui minimè debet, quod ingraueſcente ætate ſi quãdo in publicum non prodiret, ſi quid fortè grauius in Repu. conſtituendum eſſet, nihil omnino perageretur, niſi prius miſsis Senatoribus, qui eius de vniuerſa re ſententiam

explorarent ad ſenatúmque referrent: vidi ego puer ſemel illum toga purpurea & veſte, & capitis pileo proinſignitum, ſpectauíque nō ſine ingenti admiratione, & corporis proceritatem, & vultus ipſius (quantum per ætatem mihi licuit) maieſtatem, ſummáque in omnes qui eū adirent (quod nūquam obliuiſci potero) benignitatem. Audiebam certè conſtantes hominum rumores, qui eius vitę ſanctitaté, domeſticáq; totam viuendi diſciplinam in cœlum tollerent, quando quotidie ſacris omnibus ipſe intereſſe curabat, omnéſque ad veræ religionis pietatem, tanquam certæ ſalutis portum adhortaretur.

De Orſato Iuſtiniano & ipſo D. Marci procuratore.

FINEM huic parti imponet Orſati Iuſtiniani ſpectatiſsima indoles: qui iam tum puer facilè omnibus occurrentibus oſtendebat, quanta eius probitatis, & virtutis ſpes Reipub. futura eſſet, ſi diutius illi ſupereſſe licuiſſet: nec verò fefellit ille, receptum in hominum animis de ſe præſagium: quippe qui iuuenis triremis vnius præfectus clariſsimum virum Petrū Lauretanum Imperatorem ſecutus, eius victo-

riȩ maximè memorabilis,quam ad Drapalum Imperator ipſe Lauretanus ſibi patriæq́ue peperit,Orſatus autor princépſq; ſit habitus. Tāta enim animi magnitudine in hoſtilem triremē inuectus eſt, tanto robore decertauit,vt ea facilè oppreſſa viam reliquis fecerit hoſtes facillimè opprimendi: nec minus pacis artibus domum reuerſus poſtea floruit, multis enim legationibus inſignitus,illa verò præcipuè claruit, quam in Mantuano concilio, quod œcumenicum Pius Pont. indixerat, peregit. Quare mox in patriā reuerſus imperatoria primum totius maritimæ rei dignitate, procuratoria quoque ornatus eſt,in qua ſupremum clauſit vitæ diem.

De Hermolao Barbaro.

TE VERO Hermolae ſplendidiſſimū ætatis noſtræ lumen quomodo in hūc album non euocarim?qui certè à puero tā-tam indolem,virtutíſque ſpecimen tuis ciuibus præ te tuleris,tantū literis,boníſque artibus dies noctéſque impenderis,vt Themiſtium ipſum vix adoleſcētia egreſſus latinitate donaris. Iam verò iuuenis factus præterquam Ariſtotelis Rhetoricos libros elegātiſſimè verteris, doctiſſimas etiam in

eoſdẽ lucubrationes ædideris. Quid Dioſcorides in tãta rerũ varietate tantáq; difficultate fœliciſsimè cõuerſus?Latiníſq; hominibus cum ſumma omnium vtilitate donatus? innumeráq; alia ſcripſeris Venetijs agens,omnéſq; qui te audire vellent libenter excipiens,multa ac varia perlegens. Plinium tamen ipſum de manibus tibi nunquam excidere paſſus es, cuius caſtigationes in lucem æditæ facilè arguant,quantũ ingenio,quantum induſtria doctrináque omnes alios præſtiteris. Vtinã verò Deus ipſe tibi longiora vitæ ſpatia tribuiſſet,fructum certè vberiorem Latinæ literæ Græcæque percepiſſent: vt meritò & præſens ætas,& poſteritas omnis nunquam te ſatis laudare poſsit. Non poſſum non hîc Tetraſtichũ illud aſſcribere, quod Romæ tua ſumma cum laude hodie ſub colle hortorum ad Fluentanam portam in ſepulchro tuo ab omnibus certatim legitur.

Barbariem, Armoleos Latio qui depulit, omnem
Barbarus hic ſitus eſt, vtraque lingua gemit
Vrbs Venetum vitam,mortem dedit inclyta Roma.
Non potuit naſci nobiliúſve mori.

HOC quidem præterire nequaquam debeo, te minimè id petētem, ſed planè inuitum ab Innocentio Pont. Max. propter ſingularem virtutis, probitatíſque tuæ opinionem Aquileienſi ſedi eſſe præfectum, id quod & ſi Senatus Venetus ægrius tulerit, tibi tamen non ſummæ laudi, admirationíque eſſe non potuit.

De Hieronymo Donato.

POSSEM ingrati in patriam animi, ſimul & inuidi in egregiam ingenij virtutē forſitan accuſari, niſi ſtatim poſt Hermolai Barbari memoriam Hieronymum Donatum adiunxiſſem, qui & ipſe Patricia familia lōgè clariſsima æditus, eadem fermè ætate in primis floruit. Fuit is à puero tanta indole tantáque virtutis ſpe, vt iam tum præſagirēt omnes qui puerum illum inſpicerent, ſumma omnia in eo futura celeberrimáque pollicerentur. Accidit verò vt Hermolao ipſe adoleſcens adoleſcenti iungeretur, eſſétque vterque longè familiariſsimus, ſiquidem ingenij præſtantia par in hiſce erat, literarúmque ſtudium bonarum, idémque ardor gloriæ in vtroque & laudis. Cęterum Iuuenis adhuc Luſitanica legatione functus, quū in patriā redijſſet

ſumma ſua cum laude, mox Gallicam legationem ſuſcipiens Francorum Regi gratiſsimus ſemper eſt habitus, cum propter morum præcipuam elegantiam, tum propter corporis oríſque ipſius maieſtaté, interim verò accidit vt Iulius Pőt.Max.Veneto nomini infeſtiſsimus, ſocietate cum Chriſtianis principibus ac regibus inita, Venetam rem, Imperiíque maieſtate oppreſſerit penè ac funditus euerterit. Quare legatus ad Pont. profectus, cum Clariſsimo viro Dominico Triuiſano Procuratore,& reliquis,non modò irati Iulij Pont. faces in Venetos extinxit,ſed eundem amicum factum ita ſibi reconciliauit, vt paulò pòſt ipſe Pőt.in eos Principes arma pro Venetis mouerit,Venetáque reſpu. magna ex parte iura ſua receperit. Fuit auté Hieronymus ipſe ſic Latinis Græcíſque literis inſtructus,ſic eloquentia ornatus,vt nõ facilè quempiam alium ſuæ ætatis hominé illi præferas. Reliquit ingenij ſui monimenta non pauca, quæ profectò non ſine admiratione à nobis legi poterant,niſi publicis curis variíſque negotiis diſtrictus abſoluere non potuiſſet. Extat tamen hodie liber aduerſus Græcos ſcriptus, quo gẽtis leuitatem in primis arguit, qui Pon-

tificis maximi ſacroſanctæ poteſtati abrogare auſint, & libellus è Græco in Latinũ verſus Alexandri Aphrodiſei de intellectu. Superſunt & duę eius epiſtolę & prior quidem illarum ad Maximilianum Cæſarem, qua illum adhortatur, vt Gallorũ regem dimittat, altera terręmotũ Cretæ inſulæ latius deſcribit, cui tum ipſe præeſſet.

EXTERNA.

De Conſaluo cognomento Magno.

NON indignabitur ipſa Italia Hiſpani ſanguinis virum, alioqui præclarum & in eadem terra Italia rebus maximis geſtis illuſtrem, hoc in loco à me referri. Is igitur eſt Conſaluus Magni cognomine meritò pro rerum geſtarum gloria dictus. Cordubæque in Hiſpania genitus, præclara ſanè familia. Qui puer tanta indole ſtatim excelluit, vt quanuis Alphonſus frater eius natu maior floreret, illi tamen omnia omnes adhuc puero tribuerent, ſperarentque pro certo futurũ, vt clariſsimus planè euaderet, haberentq; vnę Hiſpaniæ qué & militari gloria, & pacis artibus cæterarũ omnium gentium regibus, & imperatoribus obiiceret. Hic igitur à Ferdinãdo Rege in Italiã miſſus, Neapolitanũ regnũ Arrago-

niæ familiæ Ferdinandóq; ipſi facilè reſtituit iuniori Alphonſi regis filio. Iterũ ſuo Ferdinádo. Idé regnum à Gallis occupatũ poſt præclara ædita facinora, victoriáſque inſignes ex hoſte partas aſſeruit, quod in hũc vſq; diem Hiſpaniæ reges obtineát, & quanuis militari laude ſua tempeſtate prę-ſtiterit omnibus, tanta etiam religione ac pietate in Deum, tanta munificentia in potentiſsimos Duces, ac milites, tanta amicitia, & charitate amicos omnes ſuos coluit, vt vel hoſtes ipſi ab eo ſint benigniſſimè excepti. Ea demum probitate fuit, vt regnum ſibi vendicare potuerit niſi fidem ſemel Ferdinando Regi datam nunquam violandam ſtatuiſſet. Vixit in Hiſpania aliquot annos in ſumma nominis celebritate. Sexageſimum verò & alterum vitæ annum agens in quartanæ morbum incidit, ſenili ætati maximè grauem, quum apud Loxam Granatenſis Regni oppidum in ocio ageret, ibidem mortuus eſt, atque in Granatenſem Vrbem præcipua regiáque funeris pompa delatus. Cuius ſepulchrum in æde Diui Franciſci erectum à multis in hodiernum vſque diem viſitur, non tam religionis ergo, quàm monumenti ſpectandi gratiâ.

De Franciſco Sfortia Mediolanenſium duce.

FVERE Sfortiæ rei militaris Duci ætatis ſuæ præſtantiſsimo mares aliquot liberi, ſed ex ijs Fráciſcus filius, iam tum puer tam fœlici Diuináque indole, vt nemini etiam ex improuiſo occurreret, cui non ille admirationis plenus eſſet. Delectabat.n. oẽs, vel eius aſpectus, vel inceſſus, vel ipſa oratio pudoris plena, atq; modeſtiæ. quare illũ pater Sfortia cæteris fratribus antepo nens, adoleſcentem adhuc cum aliquot ex familiaribus ac domeſticis fideliſsimis, in Appuliam miſit, qui Ioannæ regnum aduerſus Arragonios tueretur. Accidit verò memorabilis res ea tẽpeſtate, vt quotquot eum ſecuti eſſent, qui rem militarem præci puè callerent, Fráciſcum desererẽt, aduerſus quos mouens Franciſcus magnam militum manum omnes non multò poſt viuos cœpit, veniámque ſumma benignitate cõceſsit, intérque ſuos, vt antea eſſe prin cipes voluit, quæ res patri Sfortiæ ſignificata iratus vehementer ſcripſit ad filium, vt de omnibus ſuppliciũ ſumeret, quibus lectis ille literis parumper ſubſiſtens animo, mox nuncium interrogare cœpĩt, quo

vu.tu

vultu pater id ſibi præcepiſſet,quúmq; irato maximè,ille reſpondiſſet. Ego verò,inquit,pacatum illius animum libentius expectauerim, nihil vereor factum à me approbaturum eſſe patrē, poſtquam illi ira reſederit, id quod planè ita euenit. Mox enim ad militarem rem conuerſus iuſſu patris aduerſus Braccium,qui Aquilam vrbē iampridem obſidebat,comparato exercitu eſt profectus,nec multò poſt vrbis obſidio ſoluta eſt. Victúſque Braccius ipſe Francisci auſpicijs, & cæſus hinc in Ciſalpinam Galliam Martini Pont.etiam conſilio cōtendens, ad Philippum Mediolani ducem venit, cuius primo aſpectu, grauitatéque orationis captus Philippus, ſic eum amare foueréque cœpit, vt nō multò poſt Blancam filiam illi deſponderit,Cremona vrbe illi tradita,vſus opera illius Philippus aliquandiu (incredibile dictu) quantò Philippi res melior ductu auſpicijſque Franciſci etiam aduerſus nos ſit facta. Mox irato aduerſus eum Philippo, vti etiā de generi morte cogitarit, ad nos tranſijt. Venetáq; ſigna ſecutus rē in Gallia penè collapſam reſtituit interim Philippo mortuo, victiſq; apud Carauagiū memorabili prælio noſtris, victor Mediolani Principatum

ſibi peperit, Alexandróque fratri Piſaurũ vrbem, cum aliquot caſtellis, oppidíſque dono dedit. Illud præter cætera in hoc vno memorabile, quòd multis prẹlijs ſemper victor abijt, quum illi ſubinde nō cum quolibet hoſte res fuerit, ſed in terra Italia rem geſſerit, Braccianis præcipuè aduerſæ factionis infeſtis. Vt tu denique Franciſcũ hunc ipſum dictatori Cẹſari ſimilem certè dixeris, ſiue animi vigorē, ſiue conſtantiam. Siue celeritatē in agendis rebus igni quodam volúcrem, ſiue benignitatem in omnes expendas.

De Laurentio Mediceo.

HABVIT certè Florentina Ciuitas viros ſemper varijs virtutibus egregios, vt Dantem Aligerium, vt Franciſcum Petrarchā, vt Donatum Aczaiolum interim præteream, ſed nihil eſt Medicea familia clarius aut illuſtriꝰ. In hac verò gēte, quis neſciat Laurentium iam tum puerũ altæ diuinæque indolis vt nouũ aliquod ſydus in terris effluxiſſe credas, quod terræ Italię lumen pręcipuum afferret? Omitto igitur in hoc adoleſcente patris Coſmę fortiter toleratum exilium, omitto ſummam ſemper in eo pietatem, prætereo doctorum & bo-

norum hominum ſemper expetitam amicitiam, eorúmque operam Laurentij liberalitate ſemper honeſtatam. Quis verò neſciat optimas quáſque artes, & literas Græcáſque in primis eius munificentia reſtitutas? Ille enim Chryſoloram Græcum hominem eruditione inſignem, ille Argyropilum Florentinũ magnis præmijs inuitatos perduxit. Marulium Sicinum præcipuè fouit. Virum nulla non laude dignũ Angelum Politianũ extulit, in primis verò Picum Mirandulanum ad ſeſe adſciuit. Pulſaque mox Pacciorum factione Florentinam rem planè placauit, filiúmque Leonem, & Clementem ex fratre nepotẽ Pontifices maximos reliquit. Non poſſum nõ & illud eius facinus maximè memorabile hoc in loco ſubtexere: diſsidẽte enim Ferdinando Aroganio à Florentinis, eóſque bello premente, ídque ipſum in Laurentij odium, atque inuidiam, non dubitauit ille Neapolim petere, ſeſéque in primis regi offerre idque pro patriæ dignitate, ac ſalute tuenda. Quo ſtatim viſo, auditóque tanta admiratione regis animum impleuit, vt mox reuocatis ex Hetruria ducibus, & pacem Florentinis in Laurentij gratiam reddere ſit confeſſus, &

vnum Laurentium ſemper ſibi amiciſsimũ eſſe voluerit. Vtinam Petrus eius filius paterna veſtigia ſecutus, ab eius diſciplina nunquam diſciuiſſet.

De Pico Mirandulæ duce.

ADMONVIT nos Laurentij Medici excellens à me repetita indoles, vt Ioãnis Pici cognomento Mirandulæ, obliuiſci minimè poſsim, aut debeam, qui quidem à puero tantũ animi, corporíſq; dotibus excelluerit, vt merito ab omnibus Phenix appellaretur. Nil enim omnino illi defuit, ſiue corporis ſpeciem, ſiue animi ingeniíque indolem requireres. Memoria verò tanta fuit, vt ad verbum longiora hominum dictata, & orationes redderet, non ſine audientium ſtupore. Exacta igitur adoleſcentia, per omnes virtutis numeros, Iuuenis ſcripſit libros cõtra Aſtrologos, tanta, in tanta copia rerum, fœlicitate, vt iam pudere ſui ſtudij hac in parte omnes poſſit quicunque aſtrologorum vanitati aliquãdo fuerunt addicti: ſcripſit libros ſeptẽ Heptapli titulo, quibus res oẽs diuinas ita complexus eſt, vt nihil his libris ſublimius, nihil eruditius eſſe poſsit: nec tu Apologeticum aſpernaberis, vbi cauſam ſuã

ita defendit, vt planè nihil reliquiſſe reliquis videatur, quod in ea cauſa dici poſsit. Ita ingenij ſublimitate, artiúmque bonarum omnium cognitione excelluit. Cæterum quod modò ſubnectam, haud minus memorabile ſit, quòd vitæ tertium ac trigeſimum annum non attingens, hæc omnia ſumma, ac planè perfecta præſtitit, quaſi verò deus ipſe tacitum quoddam in terris numen non diutius eſſe voluerit, & præcipuè per ea tempora, quibus ſub aduentum Caroli octaui Gallorũ regis, Italia omnis bello ardere cœpit. Agè igitur Pice nunc, & pro me, & reliqua Italia patrocinium apud deum ſuſcipe, vt veterem indolem hominibus Italiæ, quo celerius fieri poſsit reſtituat.

De Roberto Malateſta Ariminenſi Principe.

FVIT multos iam annos Malateſtarum familia iam inde ab Othone tertio, pacis bellíque artibus inſignis, vt igitur Carolos Pandulphos omittam, Robertus certè Sigiſmũdi filius ætate noſtra longè clariſsimus fuit, cuius indoles tanta, talíſque ſemper eſt habita, vt omnes qui puero ipſi occurrerent, non poſſent illũ ſine admira-

tione ſpectare. In illo duplex virtutis ſpecimen liquidò cernentes, & ſummæ probitatis, & rei militaris excellentem gloriam. Vt facilè illi euenerit, vt iuuenis adhuc ac penè adoleſcens, poſt patris obitum Appollionem Vrſinũ maximis copijs inſtructum, quem Pont. Max. miſerat, ipſe multò paucioribus inſigni prælio vicerit. Mox verò adultus & vir, factus à Venetis Imperator, Romanis miſſus Ferdinandum Neapolitanum Regem pugna maximè memorabili ſuperauit. Captis principibus non paucis, regéq; ipſo effugato, qui etiã Turcarum manũ validiſsimã Hydrunte aduocatam ſecũ haberet, vt illius fatum nõ poſsis nõ plurimum dolere, ꝙ triduo poſt tam celebrem pugnam vita functus ſit. Vt facilè Carolos ſuos militari laude, & vitæ ſanctitate Robertus ſuperare potuerit, cum ſumma Malateſtarum familię laude & gloria.

De fortitudine. Cap. II.

SEQVETVR indolis exempla à me repetita virtus ea à noſtris hominibus partim corpori partim animi vi attributa, quã fortitudinem appellamus, præcipuam ſecum laudem & gloriam conſecuta eſt, & de corporis quidem robore, ita reddentur

à nobis exempla, vt ea, quæ animis inſidet mortalium immortalis, æternáque iure optimo præferatur.

De Ordelapho Faletro duce.

NON deerant antiquorum ducũ in hoc genere laudis exempla, ſed à medijs temporibus incipientes palmam Ordelapho Faletro duci principẽ tribuemus. Qui dux poſt non pauca egregia facta, ad Iaderam vrbem aduerſus Hungaros, qui eam oppugnabant fortiſsimè pugnans in prima acie contra illos occubuit, vt tamen Veneti ipſi reliqui, principis ſui cadauer, intra vrbem retulerint. Quod poſtea Venetias relatum, vniuerſa ciuitas magna pompa extulerit, inque æde Diui Marci, quod hodie quoq; viſitur, marmoreo ſepulchro ſepeliendum curauit.

De Petro Zeno.

QVIS tibi Petre Zene ſecundum inuiderit iure locum eſſe à me tributum, qui clara, antiquáque familia Zena patricij ſanguinis ortus, poſt multa & præclara belli facinora ędita, demum imperator vniuerſæ claſsis, cum pontificio legato

aduerſus Turcas miſſus, quum eos vniuerſa maris poſſeſsione breui eieciſſes, mox in continentem cum vniuerſis copiis deſcendens, magna Ætoliæ & Ioniæ partẽ Chriſtianæ pietati vĩdicaſti, nec multò poſt recepta Smyrna, Turcíſque omnibꝰ eiectis, mutato fortunę curſu, quum illi ſubitò reparatis viribus impetũ in eadem feciſſent, re ſubitò nunciata cum litatorio ſacro intereſſes, neque tu æquo animo diſcedere inde ſtatuiſſes, niſi peracto ſacro. Tum verò illis occurrens fortiſsiméque pugnans deſertus ab omnibus tuis, in eo, quem cœperas loco occidiſti, & retentæ pietatis nobile poſteris exemplum & egregiæ fortitudinis inſigne nobis monimentum.

De Carolo Zeno.

NON diſiungam à Petri Zeni Caroli patris ſine piaculo memoriam ipſius filij, qui paternę virtutis hæres, tot & tanta facinora præclarè ædiderit, vt illuſtrare patris memoriam meritò poſsit. Hic igitur primùm ad Methonem Genuenſem claſſem, cui Bucicaldus Franciſci ſanguinis præerat, vir fortitudine & corporis robore ea tempeſtate maximè inſignis, non ſine ingenti diſcrimine ſuperauit, quum tamen

pedem clauo ſagitta affixus,ſua manu fortiſsime belli aleam ad extremum vſque, ſuſtinuerit,victórque euaſerit.Ille etiam Bichioniam nauim magnitudinis inuſitatę & militum copia inſignem ſuis triremibus, quibus præerat, vulnera aliquot pectore excipiens,expugnarit,tanta gaza auróque onuſtam Venetias deductam, vt inde aliquid publicæ ſpei ad rem bene gerendam reipub.affuerit. Nec ſuæ virtutis mox oblitus imperator à Principe Senatúque rei maritimæ declaratus Clodiam vrbem munitiſsimam Genuenſium præſidio ipſis hoſtibus extorſerit, vulneribus nõ paucis acceptis, & vno præcipuè gula transfixus,vt omnes moriturum illum crederent, ſiquidem tanta ſanguinis vis inde fluere, vt nõ facilè ſiſti poſſe crederetur. Fuſo tandem fugatóque Ligure hoſte,réque Veneta priſtinæ dignitati reſtituta, ſenex etiam non deſtitit quin inſignem laudem aſſequeretur: Cypri inſulæ regno à Genuenſibus vindicato, regíque ſuo fideliſsimè reſtituto. Ita demum ſeſe in omni vita geſsit, vt rectè in primis facturos crediderim omnes, qui Venetias inuiſunt ſi monumentum eius ad Cæleſtinam ædem frequentes adierint tanti viri cineres venerabundi,

perpetuóq; Caroli Zeni fortitudinem celebrarint.

De Henrico Dandulo duce.

ECQVIS nõ meritò dixerit in hoc ipſo ſummam animi fortitudinem robúrque extitiſſe? qui primum ad Manuelem Bizantium Imperatorem legatus miſſus, ab eodem penè excæcatus eſt, quòd liberius aliquanto cum eo locutus eſſet, obiecta oculis candenti lamina: tum verò dux creatus, inito fœdere, & amicitia cum Gallorum aliquot ducibus, qui de Hieroſolymis recipiendis inter ſe conuenerant, rebellantem Iaderam iam quartùm, fortiſſimè diu oppugnãs recepit. Qua recepta Alexium puerum Iſacij Bizantini Imperatoris filium reſtituendum in Imperium curauit. Gallorum Ducibus ſocijs, auſpicijs poſtea ſacris ritè peractis, ſuo ductu Bizantium adnauigans, cum claſſe ducentorum & amplius nauium puerum Alexium non ſine ingenti certamine à Venetis primum mœnia vrbis tranſeuntibus patrijs faſcibus reſtituit. Nec tamen multò poſt Alexio puero & patre cæſis, à Murciphlo, quum ille maieſtatem imperatoriam ſibi vendicaret, Gallis principibus & Venetis

neglectis in eũdem arma ſumpta Bizantiũque eo fugato, receptum, inde Gallus Imperator primum creatus, Thomáſq; Maurocenus Veneti ſanguinis primus Patriarcha dictus, Romaníque Pont. dignitas inter Græcos tum primum aſſerta, Cretáque inſula Veneto nomini vẽdicata: quod niſi eiuſdem principis mors immatura cõtigiſſet, Veneti Imperij gloria longè maxima, & Imperij fines lõgius quoque prouecti forent.

De Sebaſtiano Ziano duce.

QVANTA fuerit huiuſce principis animi magnitudo, quod rectæ pietatis ſtudium tuendæ, facilè omnibus cõſtare poterit. Id quod certiſsimi veterum annales, & noſtri, & cæteri prodidere. Is nãque Alexandrum III. Pont. tota ferè Europa exulem, latentẽ tamen, & obſcurum Venetijs excepit, nihil omnino veritus Friderici Ænobarbi Imperatoris in illum inſectationes, & acerbiſsima odia. Quinetiam Othonem eius filium intra Adriatici ſinus fines cum ſeptuaginta, & amplius nauium claſſe inſultãtẽ multò minore nauiũ numero ipſemet aggreſſus, ſic vicit, & fugauit (non ſine tamen difficili certamine, ac pu-

gna) vt capta diſiectáque claſſe Othonem viuum ceperit, quem Venetias ad Alexádrũ Ponti. deduxerit, in quo certè iuuene laudare veræ religionis ſtudiũ poſsis, quippè qui legatus ad Patrem miſſus, pollicitúſque re infecta ſe ad Pont. rediturum, genitoris animum ſic reconciliauit, ac flexit, vt depoſito irarũ æſtu Fridericus ipſe Venetias venerit, vt Alexandto Pont. ad veſtibulum aureæ ædis ſedenti ſe ſubmiſerit, pedéſque ſit oſculatus. Mox Romam redeuntem ita comitatus eſt, cum ipſo principe, vt nemo reconciliata gratia inter vtrúmque non ſummopere lætaretur, qua de re latius in noſtris Cæſaribus ſcripſimus.

De Franciſco Foſcaro Duce.

HIC eſt Princeps ille, quem nemo non magnopere laudet, qui Veneti imperij fines in continenti protulerit ſummáque animi magnitudine bellũ cũ Philippo Mediolanenſiũ Duce, per aliquot annos fœliciter geſsit. Cæterum eo mortuo præualéte Franciſco Sfortia Mediolanenſiũ Duce, apud Carauagiũ memorabili prelio victus ab eo, vt penè nullus euaſerit, eam animi conſtantiam, fortitudinémque præ ſe tu-

lit, quam belli initio, ſemper approbarat. Nam conuocato ſenatu magna vi auri, & argenti profuſa, cōuerſus ad patres ipſos, nihil eſt, inquit P. C. quòd ad vnam pugnam licet calamitoſam territi deſperetis, vt vel Philippi ipſius hoſtis exemplo bene ſperare de ſumma rerum debeatis, qui à nobis ad Maclodium fuſus, captis ferè ducibus omnibus exercitum ipſum facilè reſtituit: agite igitur meipſum ſecuti, pecuniam huc conferte quo numeroſiorem veſtrûm quiſque poſsit, infra enim triduum copias omnes noſtras reparandas polliceor. Quod certè mox ita ſubſecutum eſt, vt victor ipſe Sfortias pacē vltrò petierit, admirans tantum Veneti Senatus animi robur, & fortitudinem.

De Stephano Contareno.

QVOD verò tibi Stephane Contarene virtutis huiuſce teſtimonium perhibeam? qui pręfectus Benacenſi claſsi, poſt ipſum Petrum Zenum ſtatim domum petijt, apertâque ianua, euocata vxore, de inferiore loco, ad eam verſus appara inquit mihi, quæ ad claſſem in Benacū publico nomine profecturo, neceſſaria fore intelligis. Nam breui poſt aut campani ęris ſonitum

de Marciana turri victoriæ me duce partę certũ nunciũ audies, aut mortuũ me accipies. Quod non multò pòſt adeò fœliciter ceſsit, vt deuicta hoſtiũ claſſe, captiſque nõ paucis ducibus, Benacique lacus vniuerſa ora in poteſtatem Veneti imperij redacta, res Veneta ſtatim fœliciter ſit geſta, vt certè fateri mihi neceſſe ſit, aut vnum hunc Stephanum æterna laude eſſe colendum, aut certè non facilè quempiam alium illi præferendum: Siquidem patriæ ipſi debere nos omnia, ſuo hoc exemplo omnes docuerit.

De Petro Gradonico Duce.

NON poſſum non in cœlum tollere Petri Gradonici Ducis factum memorabile, cuius poſteritas omnis obliuiſci nec poſsit nec debeat, qui nunciata Baiamuntis Teupuli de improuiſo cõſpiratiõe ſęua imprimis, & immani, animo forti, & conſtanti ſtatim præcepit, vt aduocarentur paſsim patritij ordinis viri, & plebei, qui tanti ſceleris expertes eſſent, quo facto Campani æris ſonitu exciti omnes, cúmq; ipſo Petro Duce in aream Marcianam deſcendentes, aduenienti Baiamunti ex diuerſis locis fortiſsimè occurrerunt, quum igitur aliquan-

diuin eo ipſo loco pugnatum eſſet cæſiſque cõiurationis aliquot Principibus, nõ prius deſtitit ipſe contendere, quàm ex omni parte coniuratos in fugam vertiſſet, nec minori animi magnitudine, multos patritij ſanguinis viros, qui fugerant certis finibus incluſos, dato temporis ſpatio ad reſipiſcẽdũ, poſtea in gratiam recepit. Quo tẽpore Vgolini Iuſtiniani Clodienſis prętoris virtus imprimis enituit, qui quàm celerrimè audita re nauigiis inſtructis Venetias aduolauit, qui magno adiumento noſtris pugnantibus fuerit, ſed, & parta victoria decretum publicè eſt, vt decemuirale cõſilium poſthac crearetur, vt Reipu. ſumma eius imperio ſubeſſet, quod in hodiernum diem fœliciſsimè viget. Illud certè nõ pigeat poſteritatem omnem à me admonitã eſſe, huiuſce principis creationis diem, qui fuit Catharinæ dicatus inter feſtos Venetijs annumeratum. Vtinam verò mortui illius dies anniuerſariis ſacris coleretur.

De Andrea Contareno Duce.

QVANTA autẽ in hoc ipſo Duce animi conſtãtia, qđ robur affuerit, declarat antea nõ recepta huiꝰ principatus dignitas, quæ

illi ab vniuerſa ciuitate demandabatur, poſtremo verò quum in locum Marci Cornarij principis vita functi ſubrogaretur, declarat eius ab vrbe in agrum Patauinum ſeceſsio. Vaticinio enim quodam acceperat, fore vt ſi dux crearetur, patria ipſa in graues calamitates īcideret, quare quū nec cognatorum literis, nec publicis, iam Dux dictus abſens reuocari poſſet, quanuis illi denunciaretur fore, vt bonorū publicatione, & perpetuo exilio damnaretur, vix cognati cuiuſdam aſtu perſuaderi potuit, vt vrbem ſui viſendi cupidam ſaltem inuiſeret, & pręſens ipſe data dignitate ſeſe abdicaret. Reuerſus igitur hoc animo, cum vniuerſam vrbem ſibi occurrentē in ſtagnis animaduertiſſet, omnéſque exclamantes eum ducem audiret, vix tandē adduci potuit (magiſtratuū etiam minis interiectis) vt dignitatem ſuſciperet, in qua nō multo poſt, Genuenſi funeſtiſsimo bello tanta animi fortitudine ſe geſsit, vt non victus Piſanus Imperator maritima pugna ad Polàm, non expugnata ab hoſte Ligure Clodià, non acerbiſsima in vrbe fames, non rei pecuniariæ defectio, animum eius vnquam fregerit, quin ipſe aliquot familijs in patritium ordinem acceptis, claſſem cōſcenderit,

ſcenderit, maior iã natu ſæuientéque hyeme Clodiam obſederit, eámque ipſam vrbem, ipſemet expugnandam curarit, triũphánſque ex hoſte in vrbem redierit Calẽdis Iulijs, qui dies nobis feſtus eſt, in memoriam rei fœliciter geſtæ, & Principis Clariſsimi memorabilis reditus.

De Leonardo Lauretano duce.

VEREOR certè ne ſi qui noſtratia hæc legerint, fortaſſe aliqui ſuſpicentur, datum à me Lauretanæ familiæ aliquid plus iuſto, attributúmque clariſsimi principis erga me amori, & beneficentiæ. Cæterũ non dubito in memoria tam recentis, celebríſque exempli plures fore, qui ſimplicem, nudámque veritatem retẽtam à me in hoc ipſo opere conſtantiſsimè prædicent: quis enim quadrageſimum, ab hinc annum natus Venetiis, & in ipſa terra Italia nõ meminit Abduanæ pugnæ, omnium maximè memorabilis, qua potẽtiſsimus Ludouicus Francorum Rex omnium regum, opibus etiam Iulij Pont. & diris in nos ſuccinctus ad Abduam congreſſus eſt, vbi exercitus noſter fuſus, captique duces ſunt, hinc imperium omne continentis amiſſum, qui

nuncius vbi Venetijs cognitus eſt, ſic oẽs perterruit, vt nihil ampliꝰ bonę ſpei ſupereſſe videretur. Cęterum Lauretanus princeps cõuocato ſtatim ſenatu, ſic conſtãs, ſic animi magnitudine excellẽs apparuit, vt in meliorem ſpem omnium animis conuerſis, non multò pòſt Patauium ſit ab hoſte receptum, eáq; vrbs à Maximiliani Cęſaris, & Gallicis armis oppugnata ſit, cum ingenti principis laude defenſa: breuíque poſt, amiſsi Veneti imperij maxima pars recepta. Tacebo reliquas principis laudes, ne cui in præſentia, quod in principio diximus, obtrectandi relinquatur locus.

De Petro Mocenico duce.

FLORVERE ſemper in hac ampliſsima Rep. clari celebríſque nominis in re maritima duces, atque imperatores, ſed (vt veteres alios omittam,) quis dubitet Petrum Mocenicum non æterna memoria dignũ? Qui Nicolao de Canali rei maritimę Imperator ſuffectus, Eubœa inſula iam ante amiſſa, ſic vniuerſam Græciam ſua animi fortitudine, Othomanicis armis oppreſſam, reſtituit, vt non multò pòſt, & Naupactum Turcarum penè armis expugnatum ſeruarit: Cyprum inſulam Veneto

nomini, Corneliæque familiæ adiecerit, mox Scodram ſua præſentia,ſuóque animi robore iam deploratam,ſic incolumē præſtiterit,Turcicis armis iampridem oppreſſam,vt Veneto imperio planè conſtituto, domum rediens mortuo Nicolao Marcello Duce, princeps ipſe alterum Mocenicæ familiæ decus, declaratus ſit.

De Aloyſio Molino, diui Marci Procuratore.

QVIS me non iure optimo ingratum,vel etiam impiū dicere poſſet,ſi te Aloyſi Moline præterirem?tantámque animi tui fortitudinē ſilentio inuoluerem?Is enim tempore omnium periculoſiſsimo, quū Principes fermè omnes Iulij Pontif. Max. indignationē ſecuti, in Veneti nominis perniciem coniuraſſent, iam iámque nos imperij noſtri finibus eieciſſent, conſternatis omnium noſtrûm animis,iámque rebus omnibus deſperatis,vnus de vrbe Patauio recuperanda ad ſenatum cōſtantiſsimè retulit.Cuius ſententia,quum à principe ipſo cæteriſq; omnibus exploderetur,ille tamē tāta animi fortitudine ac robore perſtitit, atque id omnino eſſe faciendum con-

tendit, vt tandem in eius ſententia ſenatuſconſultum factum ſit. Quod quidem conſilium vt ab illo fortiſsimè cœptum eſt, ita quoque fœliciſsimum habuit euentum, nã ea vrbe recepta mox maiori animo de alijs recùperandis excogitatum eſt, vt meritò hæc ciuitas tanti viri manibus perpetuò debeat.

EXTERNA.

De Abraamo.

NEMINEM fore arbitror, qui modo Chriſtianam pietatem animo ſit complexus, & noſtratia hæc quandoque per ociũ legerit, qui nos accuſet, quòd primas fortitudinis partes Abraamo tribuam, quem fidei noſtræ, ac pietatis præcipuum autorem ac facilè principem nos in primis fateri deceat. Is nanque adeò forti animo obſtitit, vt quum olim Aſſyrij vniuerſum fermè orientem ſibi vindicaſſent. Chananæorúmque terram omnem cum ingentibus copijs aggreſsi oppreſsiſſent, Sodomis etiam captis, & euerſis, paucis admodum ille comitatus, quos delegerat, Aſſyrios ipſos ad alterum Iordanis fluuij fontem in fugam verterit, prædámque omnẽ receperit, tã inſigni laude ducis fortiſsimi, ac cõ-

ſtantiſsimi,vt primũ ſibi locũ hac in parte meritò vendicet, & quòd tantas hoſtium copias memorabili prælio vicerit,& quòd ſolum ipſum à ſe inceſſum, & Loth fratrẽ priſtinæ ſuæ libertati aſſeruerit, Loth fratri ipſius filio cum reliqua omnium captiuorum ſuorum manu recepto.

De Dauide Rege.

TE VERO Dauid Rex cur non meritò Abraamo ipſi non ſtatim ſubiiciã? qui Ieſſe natus patre, pecoríque cuſtodiendo ab eo pręfectus,adoleſcens, adhuc non dubitaris Goliathi Philiſteo,detrectantibus cæteris Iudæis ſingulare cum eo certamen,ꝙ corporis magnitudine,& robore præſtare animaduertebant, occurrere, tantáque animi magnitudine cum eo pugnare,vt vno lapidis ex funda ictu immaniſsimum hoſtem proſtraueris. Quare Philiſteus hoſtis quamprimum tuis auſpicijs profligatus Iudęorum imperio tuis potiſsimum auſpiciis ſit ſubiectus.

De Rolando.

PRAETERIBO ſciens, ac volens, Ionathæ Saulis Hebræorũ regis filij memorabile facinus, fortitudiníſque ſummæ in

igne exemplum, fuſi fugatíque ingẽtis exercitus eiuſdem vnius opera, præteribo etiam ſine piaculo Barionæ auſum, qui in tantam hominum multitudinem non dubitarit vnus ferrum ſtringere. Cæterum ad recentiora illuſtria fortitudinis exempla transferam ſtylum. Rolandi certè virtus excuſauerit me, quæ tametſi fabuloſis poëmatis ſit vulgo iactata, conſtat tamen Caroli Magni Francorum regis auctam gloriam, immortaléque Chriſtianæ pietatis nomẽ huius virtute latiſsimè celebratum. Nam aduerſus hoſtes fidei noſtrę fortiſsimè ſemper dimicauit, innumeráſque Maumethicæ ſectæ vnius opera profligatas gentes compertum eſt, qui tamen poſtea aucta Chriſtiana in primis re, exceptus inſidiis intra Pirenæum ſaltum, cum multis aliis fortiſsimè pugnans ita cecidit, vt ne nuncius quidem tantæ cladis ſuperfuerit.

De principio, & Tarunte fratribus.

GLORIETVR vetus ipſa vrbs Roma, ſuo Horatio Coclite, & iure optimo glorietur, quum ſolus ille Porſenam regem, eiúſque copias in ponte ſuſtinuerit, donec iuſſu ſuo ponte interrupto armatus, & in Tyberium prȩceps incolumis ad ſuos eua-

ſerit. Sed quis geminos fratres Principiũ, & Taruntem non dignos æterna memoria cenſeat, qui Totilam Gothorum regem Romam obſidentem (quæ illis erat patria) fortiſsimis animis ſuſtinuere, quouſque ſeruata vrbe vterque conſtantiſsimè pugnantes multíſque confoſsi vulneribus non ſine ingenti Gothorum admiratione conciderit?

De Gothifredo Bolionio, & fratribus.

QVIS neſciat Maumethico delirio omnem Arabiam primùm, mox vniuerſum ferè orientem ſic armis oppreſſum, vt Hieroſolyma quoque ipſa in Maumethanorum ius, ditionémque peruenerint, & (quod magis doleas) diutius in eorum ſeruitute fuerint, quouſque Gothifredi Bolionij opera Lotharingię ducis Balduiníque Euſtatij & fratrum virtute, incredibili vi recepta expugnatáque ſint? Nam ex turri lignea, quam ipſi ad muros admouerant, Principes ipſi fratres viam militi aperuere, per quam ingreſsi noſtri poſtea omnes, nõ ſine ingenti labore vrbẽ ipſam Chriſtiano nomini vindicarint: qua in re Gothifredi ipſius magnitudo animi maximè celebranda ſit, qui rex primũ creatus nunq̃ adduci

potuit, vt auream coronam capiti ſuo imponeret, in qua vrbe ſpinea corona redimitus CHRISTVS obierit.

De Balduino fratre Rege Hieroſolymorum ſecundo.

SVCCESSERAT Gothifredo, Balduinus frater in regnum, quũ Calypha Ægiptius ingentibus copijs per occaſionẽ com paratis, Hieroſolymitanum regnum ſuæ ſuperſtitioni vendicare ſtuderet: quo tempore Balduinus Rex parua ſuorum manu coactus eſt cum illo in finibus regni congredi. Aderãt enim illi vix equites ducẽti, & ſeptuaginta, pedites verò, nongẽti, cæterum tanta virtute Calyphæ congredi auſus eſt, Deum ipſum auſpicem ſecutus, vt hoſtibus mox in fugam conuerſis, occiſiſque ex his equitum quinque milibus, reliqui omnes fuſi, profligatíque ſint.

De Teia Oſtrogothorum Rege.

NON eſt mihi prætereũdus Teias Oſtrogothorum Rex, qui apud Nuceriam cum Narſete eunucho, Italię libertatis aſſertore, fortiſsimè dimicãs, quum ſcutũ, quo tegebatur ſagittis hoſtilibus perfoſſum eſſet, vt nequaquam illo ſe tueri poſſet, idipſum

ſponte abijciens, cedere loco noluit, ſed ſcutũ repetens à ſuis aliud fortiter eo recepto pugnaret, in veſtigio occubuit, hoſtilem impetum minimè ſuſtinere valens.

De Symone Montisfortis Comite.

QVAM pauciſsimos inuenias ea tempeſtate, qua Symon Montisfortis Comes floruit, qui fortitudine, animíque magnitudine comparari illi poſsint? Dux enim electus à Pont. Regéque Francorum aduerſus Toloſanos, & Albios, cæteróſque ferè Narbonenſis Galliæ populos, tam præclare, & fortiter rem geſsit, vt & hæc in hunc quoque diem Symonis Mõtisfortis nomine & memoria celebrentur: ſæpe igitur cõgreſſus acie hoſtes prælio vicit memorabili, oppida munitiſsima cœpit, ipſóſque omnes populos ad ſanitatem veterémq; Chriſti pietatem, quam hodie ſanctè quoq; colant redegit. Capita autem ſceleſtiſsimæ huius hæreſeos, & principes, erant Toloſates, & Albij. Vnde Albiorum hæreſis dicta, qui flagitioſiſsimè de Pont. Ro. de Epiſcopis, ac ſacerdotibus ſentirent, eos ſceleratorum omnium duces, Eccleſiam inferorum ſedem, legitima matrimonia, impiorũ amicitias appellãtes, quũ ipſi interim pro-

miſcuos cõcubitus, Venerémque nefariam expeterent. Non prætericrim tamen illud ſilentio Calaguritanũm Dominicum, virum ſanctitate præcipuum Symoni comitem aſsiduum fuiſſe, nec ab illo niſi re tandem perfecta, ne tranſuerſum quidem vnguem diſceſsiſſe, qui aſsiduis precibus cũ alijs religioſis pluribus viris Deum ipſum inſtãter fatigarẽt cũ vera pietatis religiõe.

De Sordello Vicecomite Mantuano.

DETVR & hoc Mantuanæ Italicæq; virtuti cũ ipſius corporis eximio robore, in hac cõmemoratione ſingularis eius fortitudinis, quippe qui quinque & viginti equites ex prouocatione ſingulari certamine deuixerit, intra Italiæ, fines. Hinc Lutetiam Pariſiorum profectus, tres eodem die equites ſuperauit, Britannos duos, Burgundionem vnum, quæ res tantæ celebritatis eſt habita, vt nomẽ Italicũ hac facinoris tã præclari memoria, apud Britãnos, & Gallos multũ celeberrimum extiterit.

De Ioanna virgine Gallica.

NON accuſauerint nos, opinor, qui noſtratia hæc legerint, ſi poſt illuſtriũ virorũ, ducúmq; repetita à nobis exẽpla, mu.

liebre quoq; decus, ac robur quod longè maiorē admirationē pariat omnibus ſubtexerimus. Quis enī credat puellā, vix xv. annos natā Galliarū regnū à Britānis ferè omne oppreſſum, ſua vnius virtute, ac liberali aſſertū manu? Hęc igit Ioāna nōīe pucella à Gallis cognomēto dicta, Gallorum Regi (quod incredibile videri poſsit) perſuaſit, vt ſeſe ducē ſequeretū, futurū pollicita, vt Aurelianū acerrima Britānorū obſidione cinctū, ipſa ſolueret, quod ita planè accidit quāuis humerū ſagitta trāsfixa, reliquos adhortaret vt ſeſe vnā fortiſsimè pugnantē intuiti de victoria minimè dubitarēt, ſed à Britāno hoſte regnum vindicare ſtuderēt, quare aucti animis Galli, & Aureliā recepere, & Troiā vrbē (quod nemo ferè credebat) puellæ vnius auſpicio recepere, vnū opus ſupererat recuperādę Pariſiorū vrbis, in qua regni totius ſumma poſita erat, in hac ipſa obſidēda pari fœlicitate vſa, vrbē ipſam quāuis à Britānis inceſſam, nō ſine ingēti labore priſtinę Gallorum libertati reſtituit, & (tametſi vtrūque crus ſagitta perfoſſa) prima muros tranſcēdit. Ceterū Rotomagū cōtendens quum eam vrbem aliquandiu fruſtra obſediſſet, ab Angli eruptione facta capitur. Eam per

ſummũ gaudiũ captam, tãquam ſimulatæ religionis ream cõparata ingenti pyra cõcremarũt, Galli verò tantæ virtutis libertatíſque receptæ, memores eam vbíque pictam, veluti familiare numen colunt.

De Maria Puteolana.

NON poſſum nõ Frãciſci Petrarchæ teſtimonio etiam atque etiã plurimum attribuere, qui Mariam Puteolanam laudibus in cœlum tollit, quæ puella domeſticis ſeditionibus excitata, relicto penſo, ac calathis, gladium, & haſtam, virili ſumpto habitu, ſumpſit, primáque in acie ſemper verſans fortiſsimè ſemper dimicarit: illud etiã multo memorabilius acceſsit, quod inter militaria ſaga, viróſque ſemper agens, virgineum pudorem, quáuis longè pulcherrima, nũquam vſque ad mortem amiſerit, id imprimis cupiens, & agens, vt ciues omnes ſui in ſumma concordia agerent, patriæque dignitatẽ præcipuè admirarentur.

De Frãciſco Sfortia Mediolani duce.

FACIT Franciſci Sfortiæ ſumma virtus, militaríſque rei gloria fortitudóq; animi, vt relicta interim fœminarũ commemoratione, & laude, claudam hac in parte virili explicatione pulcherrimum hũc for

titudinis locum. Quis igitur neſcit Franciſcum hũc ipſum, & viuente patre Sfortia, & eo mortuo longè maxima fortitudinis exempla, animíq; magnitudinis edidiſſe? quamuis aliquot fratres natu maiores haberet. Illud igitur primum ſummæ fortitudinis exemplum in hoc fuerit, quod Bracchij ſummi Ducis vincendi, ad Aquilam author fuerit, omnibúſque poſtea prælijs, quęcũque ſuo ductu, auſpicióq; geſſerit victor ſemper ex his redierit. Taceo reliquas eius præclaras, illuſtréſque victorias, quas propria virtute ſibi peperit, certè duas nõ omiſerim, priorẽ ſcilicet illã maximè memorabilem, qua noſtras copias Mediolanẽſium Imperator ad Carauagium fuderit, alteram, qua Mediolani principatum, ſibi ſuíſque peperit. Illud quoque in preſentia non omiſerim fuiſſe illum memorabili inſigníq; prudentia, atque modeſtia Principem, vtinam verò eius liberi quemadmodum principatus hæredes fuere, ſic paternarum virtutum æmulatores extitiſſent, viueret enim in hunc diem Sfortianæ domus decus, ac gloria cuius terra Italia obliuiſci nunquam poſſet.

De Andrea Lamponiano.

FECIT clariſsimi omnium Principis recèns commemoratio Galeatiíque eius filij, & ſucceſſoris interitus memorabilis, vt Andreæ Lamponiani magnitudinem animi præſentémque vim nunquam prætermitere potuerim: quum præſertim in calce huiuſce relationis, infixum eorum, qui hæc quandoque legent animis, hoc facinus eſſe voluerim. Is igitur Ioannes Andreas, Lamponiana familia celebri inter Mediolanenſe ſæditus, cum illum pertæderet nimiæ in Principe viro præſertim in matronas libidinis, quin etiam deluſus ſæpe ab eodem enixè petente poſſeſsionē ſibi tribui Miramondani ſacerdotij, quod à Pontifice iuſto titulo acceperat, conſilium inijt cum Hieronymo Olgiato Mediolanenſi ciue, aliquôtq; alijs de eo interficiendo. Die igitur diuo Stephano dicato ſub Chriſti ſeruatoris noſtri natalicia ſacro litatorio intento pluribus vulneribus intercimentes oppreſſerunt: nec ſatellitum cohors, nec nobilium virorum comitatus deterruere, ſed ipſe Ioannes Andreas in templo dum fugit prolapſus, iter matronas cecidit multis vulneribus cōfoſſus, reliquiq; cōiurationis ſocij, in tanta rerum trepidatione capti, móxque acerbiſsimis ſuppli-

eijs omnes affecti. Lamponiani verò cadauer per totam vrbem fœdè diſtractum eſt: vt hunc Ro. Scæuolæ penè parem duxeris.

De Patientia. Caput III.

SEQVATVR ſuam veluti præcipuam parentem fortitudinem patientia, quæ ab ea diſiungi nunquam potuit, adeóque inſita radicibus fortitudinis eſt, vt illud mirum, incredibiléque penè dictu ſit, quare nos ſuperiorum exemplorum memores, vnum hodie adſcribemus, quo neſcio an memorabilius vllum vnquam fuerit, ſiue Græciam ipſam, ſiue Romanam ciuitatem accuratius euoluas. Erat Clemens Ponti. Maxi. Veneto nomini imprimis infenſus, quod Ferrariam vrbem vni ſibi obnoxiam, Veneti ad ſeſe traxiſſent, quare Pōt. diris Venetos omnes proſecutus, vt multi inde Veneti occubuerint, maximáq; bonorum omniū pars noſtratiū vbiq; inuenta diſtraheretur, cui rei tam infeſtæ, & diſcriminis plenę, paria remedia ſunt adhibita, vt infeſtiſsimus Pont. in nos animus ali quo modo leniretur. Verū inter alios oratores ad eum placandum miſſos profectus eſt Franciſcus Dandulus ſummæ vir prudentiæ, ſummæque in patriam charitatis,

qui cum multa & varia tētaſſet, grauéſque contumelias à Pontifi. diu pertuliſſet, nouum omnino, neque antea vnquam auditum facinus eſt aggreſſus. Cœnāti enim in atrio ſuo Pont. ſeſe quadrupedem proſtrauit grauíque catena ferrea, ceruices inuoluit, quæ res Pont. animam ſui nouitate ſic perculit, vt cum proiectum illum tam deformi habitu proſpexiſſet nō potuerit nō illum abiecta prius catena, ſtātem ad ſe reuocare, Venetóque omni nomini veniam tribuere, Venetiáſque ipſius patriæ loco ſemper poſthac colere, traxit inde Franciſcus Canis cognomentum, quod perpetuū viuenti illi etiam dum dux eſſet, fuerit.

De Antonio Venerio duce.

SVBROGATVS abſens fuerat Michaëli Mauroceno Duci Antonius Venerius, qui tum Cretam inſulam ſummo cum imperio teneret, qui Venetias ſub idus Ianuarias rediens, magno totius nobilitatis, & populi plauſu in diui Nicolai Phano, quod eſt in littore proximum exceptus eſt, vnde mox Bucentoro naui in ducarium vectus, aliquot annos Veneti imperij maieſtatem, mirum in modū auxit, pacis præcipuè vrbanæque tranquilitatis ſtudioſus, ad promerēdámq;

merendámque mortalium gratiam imprimis factus, vna tantum ad Tenedum inſulam belli cura fuit, quo tandem fœlici euentu, compoſito mox ad omnes pacis artes animum intẽdit. Cæterũ, quod ad rem inſtitutam attineat, patientia tanta fuit, vt Aloyſium filium in carcerem miſſum, criminíſque cõuictum, quod cornua bubula Patritiæ puellæ ianuis affixerat, quaſi exprobraturꝰ illi malè ſanos amores, ęquiſſimo tulerit animo. Quinetiam laborãtem eundem in carcere peſte, nunquam educi paſſus eſt: tametſi vniuerſa ciuitas ad id ipſum hortaretur. Quem adoleſcentis filij caſum acerbiſsimum vſque ad vitæ finem conſtantiſsimè pertulit, cum ſumma optimi cuiuſque laude.

De Franciſco Foſcaro duce.

NIHIL vnquã lætius, aut iucundius accipere viſa eſt Veneta ciuitas, quàm Franciſcum Foſcarum ducem Thomę Mocenico ſubrogatum, quod præter patrium morem declarãt in area Marciana haſtarũ ludi & aurigationes frequẽtes æditæ, & certè multa in eo viro erant, quæ maximè admirari poſsis. Virens videlicet ętas vix 50. annum ingreſſa augendi Veneti Imperij

intra Italiæ fines, mira cupiditas: tãetſi con
ciones multæ Thomæ Mocenici Ducis in
hunc vſque dié extent illi ex profeſſo ad-
uerſantes: atq; vtinam ea tu ne oracula di-
xeris, ſiquidé rei vſus nos etiã in præſentia
doceat, rei maritimæ curam fuiſſe cæteris
præponendam. Non defuit ſumma illi li-
beralitas, non in dicendis in Senatu ſentẽ-
tijs incredibilis eloquentia, non animi in
aduerſis conſtantia, & præcipua quædam
de qua nũc agimus patiẽtia. Quod duo ei⁹
præclara alioqui in hoc genere pręcipua
facinora facilè declarent: & illud quidem
prius, quod Iacobum filium ſuum præſtã-
tis iuuenem indolis captũ, æquiſſimo ani-
mo tulit, vt etiam cum in eculeo ille tor-
queretur, patérque non procul abeſſet, vt
exaudire exclamantis vocem poſſet, eo-
dem tamen vultu fuerit. Obiiciebatur au-
tem illi, Andream Donatum tunc præfe-
ctum decẽuiralis conſilij domũ noctu re-
deuntem luménq; pręferentem, eius conſi-
lio non longè à domo interfectum eſſe:
quod poſtea falſum eſſe deprehenſum eſt,
Alterum eſt, quod cũ quatuor & triginta
annos Reip. dux pręfuiſſet viuenti illi pu-
blico patrũ decreto abrogata eſt dignitas.
Quã rem ille adeò patienti animo tulit, vt

principis veſtibus indutus, læta in primis fronte, in maxima populi frequentia, deſcendens ex palatio, domum redierit. Cui ſuperſtiti, Paſchalis Maripetrus dux ſucceſsit, quod antea nunquam acciderat.

Externa.

POTERAM & Veneta complura, & innumera alia ex Chriſtiana pietate ſumpta in hoc loco reponere, ſed à Valerij Max. veſtigijs, quantum mihi licuerit, non abſcedens aliquot externa ſubnectã, quæ patientiæ præcipuæ cuiuſdam virtutis in homine futura ſint exempla. Eſt enim hæc virtus, non modò veterum ſcriptorum, ſed & recentium noſtratium in primis teſtimonijs celebrata: quæ in aduerſis maximè ferendis cum ſumma laude eminet, ab ipſa fortitudine tanquam ab matre profecta, cũ ita ferimus ea quæ nobis aduerſa ſunt, vt non frangatur animus, non excãdeſcamus, non deum ipſum accuſemus, quod nepharium ſit, non homines, qui malum inferãt conuicijs inceſſamus, ſed humanæ conditionis memores, quæcunque euenerint, æquiſsimo feramus animo.

De Barbara virgine Nichomedienſi.

NON poſſum certè, non Barbaræ puellę virgini principem hac in parte deferre locum, quæ à patre Dioſcoride deducta, nullis blanditijs, nullíſque minis adduci vnquã potuit, nec à Martio prætore, vt Chriſti pietatem negligeret. Quod admiratus Martius, cohortationémq; patris etiam ſecutus, leuioribus primum tormentis, mox etiam grauioribus præ animi indignatione puellam ipſam affecit, vt modò pedibus ſuſpenſam, modò brachijs, nũc etiam vberibus ſubiecto interim igne, conaretur illam ab ſententia auertere. Sed nunquam Barbaræ patientiam ſuperare, vinceréve potuit, quin etiam læto vultu in patrem conuerſa, ridentíque ſimilis patrem ſuum adhortata, vt à tanto in deum ſcelere temperaret, tantum abfuit, vt patrem filia lenierit, vt illam propria manu interemerit. ô Barbarum immanémque hominem, dignũ cuius nomen nullis monumentis vnquam celebretur. Eſt igitur Venetijs diuę Barbaræ meritò ara poſita, quam ſanctiſſimè inuiſimus, eiúſque dies mortis nobis ſacer, vt ea potiſsimũ die iuuenes aliquot patricij, in patrum principíſque collegio ſorte extrahantur, qui in maioribus comitijs ius ferendi ſuffragia habeant: ſi modò

vigeſimum ætatis annum expleuerint.

De duabus Boëmis mulieribus.

ACCESSERINT ad Barbaræ virginis memorabilem inſignémque patientiã quæ ex animi vera virtute profecta ſit, duę Boëmiæ fœminæ, hoc in loco à me repetitæ, quæ prępoſtera quadam animorum obſtinatione poſt Venceſlai Boëmorum Regis mortem, varijs cruciatibus affectæ, nunquam reuocari potuere, vt Adamiticæ hæreſeos obliuiſci vellent. Hâc autem hæreſim introduxerat Gallus quidam, hoc nomine ex Picardia huc profectus, ſceleſtiſſimam, & flagitioſiſsimã, qui ſe eſſe ſimulans adoptiuũ dei filium, alterúmq; Adamum è cœlo miſſum, qui ſuaderet hominibus ac fœminis, vt nudi omnino ingredi vellent, fœminarúmque concubitus communes eſſent. Cum innumeros in inſula Linifij amnis coëgiſſet, nunquam, ab incœpto deſtitit, ſed à Giſca cum ſuis omnibus oppreſſus. Duæ tantum ſuperſtites fuere fœminæ, quæ aſſeruatæ propter partum, etiam æditis in lucem filijs, nunquam à tam peſtilẽti propoſito varijs ſupplicijs affectæ auerti potuere, donec mortuæ ſui memoriam reliquerunt.

De Hieronymo Olgiato Mediolanenſi.

TE verò Hieronyme Olgiate Adoleſcentem Mediolanenſem vix duo & viginti annos natum, quánam in parte reponam, planè neſcio. Patientiam certè tuam, & in ferendis tormẽtis animi magnitudinem, non poſſum non maximè prædicare in cœlúmq; tollere: qui publicè tortus in curru, cum duobus alijs cõiuratis, nullum vnquam ſignũ turbatì animi ædidiſti, ſed per medium à carnifice falce diſſectus, facinus tuum & ſociorum coniurationis laudando, animã expiraſti. Quod ſi pro Chriſtiana pietate tuẽda, aliquóve facinore honeſtiori ſuſcepto tam forti animo te præſtitiſſes, certè in diuorum noſtratium numerum, referri iure optimo potuiſſes. Sed quis laudaret legitimi principis interficiendi conſilium abs te tãdiu initum eſſe? tantáque audacia tentatum, aut vt in templo, inter ipſa ſacra cum Ioãne Andrea Lamponiano, & reliquis ferro palam eũ principem peteres, quo mortuo non terra Italia ſolùm, ſed vniuerſa Europa mirum in modum turbata ſit?

De duobus iuuenibus Antiochenis.

QVIS vos geminos Antiochenos iuuenes laudare ſatis vnquam poterit? qui imperante Diocletiano delati, quòd Chriſtianam pietatem fouerent, quum varijs tormentis torquerentur, nunquam adduci potuere, vt veritatem animis receptam vnquam abnegarent. Cæterum quaſi crederet impius præfectus ſi mitius ageretur, fore, vt de ſententia decederent, parato ingenti ſacrificio, ignéque de more accenſo, eos ad Aras adduci iuſsit: qui ridentes cõuerſi ad ſacrificij ineundi autores, nos, inquiũt, facilè vobis demonſtrabimus in præſentia, quanta ſit in nobis Chriſtianæ pietatis vis. Statímque iniectis in ſubiectũ ignem manibus vterque, non prius abſtraxere, quàm carne, & oſsibus eorum conſumptis, nihil omnino ſupereſſet. Quos tu igitur Scæuolas obieceris, quos Regulos mihi iactaueris, quum duorum iuuenum facinus tam memorabile legeris, quúmque hæc noſtratia euolueris exempla? Quorum innumera manus tibi legenda occurrit, vt quandoque mirari habeas temporum noſtrorum calamitatem.

De ijs, qui humili loco nati, clari euaſere. Cap. IIII.

NVLLVS à me expectet hac in parte, vt patricij ſanguinis viros repetam, qui in tāta equalitate ſimul iampridem agant, vt nō poſsis tecum nō mirari in vno eodémq; ordine tantam per tot annos concordiam, & in tāto ciuium nobilium numero ſummum ſemper tranquillitatis, & pacis ſtudium: vt nemo ex patricijs obiectare alteri obſcuritatem ſui generis audeat. Vtar igitur plebei ordinis exemplis, qui ſecundus in ciuitate ſit, vt eorum quoq; poſteri ſua laude, gloriáque minimè careant.

De Beltrando.

FVIT Marini Faletri principatu Beltrādus nomine, vir plebei ſanguinis, ſed tamē ipſi duci Faletro nō mediocri familiaritate coniunctus. Quum igitur dux ipſe nefario ſcelere in patritium omnem ordinē (cauſas autem tanti ſceleris tunc repetere, nec temporis, nec loci fuerit) coniuraſſet, vt ipſe ſolus regnū potiretur, Beltrandū hūc ipſum conſpirationis cōſcium, comitémque aſciuerat, ſexagintáque plebeis hominibus præfecerat, qui præſcripta die in curiam venientes, cāpani æris ſonitu coacti in patricios omnes ferrum ſtringerent,

omnéſque necarent. Hoc tam immane facinus Beltrandus, pridie q̃ res patraretur, ad Nicolaum Leonem patricium, & compatrem ſuum detulit, ſiue pœnitentia ductus, tam immanis auſi, ſiue ſpe maioris præmij illectus. Ad hunc nuncium conſternatus Leo, dilig~etius Beltrando domi aſſeruato, aliquot ſanguinis patritij viros in priuatam ædem cogit, réque planè patefacta per indicem, decemuirûm conſiliũ vocat noctu: quorũ authoritate ſtatim innumera manus coacta, qui rei conſcij fuerant ſupplicio ſtatim affecti. Tum ſumma luce dux ipſe conuictus ſceleris, dignitate ipſa primum eſt priuatus, mox & ceruices illi meritò publicè abſciſſæ: quibus omnibus ritè confectis, conuenientes ipſi partes Beltrando indici primum veniam tribuũt: inde donec vixerit millenis aureis annuis donant, ędéſque illi Marini Faletri Ducis ad apoſtolorum phanum dono dant, & (quod ampliſsimum erat) cum ſuis hæredibus in patritium ordinem eſt aſcitus. Cęterum dum quadam animi peruicacia, faſtúque, patres vt ingratos paſsim accuſaret ſæpe admonitus, nec ab incœpto deſiſteret in exiliũ moritur, qui dum locum ipſi non ſeruat præſcriptum, Illiriúmq; ipſum

frequentius oberrat, tandem interfectus obijt.

De Raphaële Careſino.

MELIORE Fato, Fortunáque vſus Raphaël Careſinus plebeius, & ipſe, primum in ſcribarum ordinem adſcriptus, mox etiã propter ſingularem animi vim & ingenij induſtriam, principatum eius ordinis adeptus, tantum conſtantia ſua, fidéque reliquis præſtitit, vt mox ab Andrea Contareno duce in patritium faſtigium ſit aduectus, gratiſsimúſque in patres ipſos dum ſuperſtes fuit, fœliciter non multò poſt obijt.

De Iacobo Pariſoto.

QVIS non iure optimo dixerit Iacobum Pariſotum duobus iſtis adnectendum eſſe, qui & ipſe obſcuro loco natus, dũ puer adhuc nauticæ rei vacaret, paulatim per omnes dignitatis gradus in maritimis rebus euectus, à Petro Mocenico clariſsimo rei maritimæ Imperatore in ſummum principémque locum aduocatus, quem Arabico verbo armiratum appellamus, ita ſe geſsit, vt nullius poſt Imperatorem ipſum clarius, illuſtriúſque nomen, in tota claſſe

haberetur. Huius igitur forti fœlicíque opera Mocenicus imperator ſemper vſus, Caramanica expeditione contra Turcas ſic excelluit, vt huius potiſsimum ductu, Corycos vrbs Ciliciæ primum, mox ſeleucia ab Turcarum manibus erepta, cum ipſa Sichino aliíſq; aliquot caſtellis. Prætereo morum huiuſce] facilitatem animíque præſtantiam, inſignémque munificentiam, celebrémque imprimis moderationem, vt nulla non laude dignus apud poſteros habeatur. Vtinam ſupereſſent ex eadem familia qui teſtes huiuſce tantæ virtutis hodie viuerent.

De Antonio Siculo.

TE VERO Antoni Sicule cognomento (ex ea enim inſula oriundus eras) Venetiis ortum educatúmque quis non maximè miretur, quum facinus abs te æditum maximè memorabile acceperit? Is enim maritimis artibus à primis annis imbutus, quum apud Calcidem ageret captus à Turcis diu cum illis ſeruitutem paſſus erat, omniáque eorum publica, priuatáque munia diligentius explorarat. Liberatus igitur à tã graui iugo lætus ad Mocenicum tũc claſsis Im-

peratorem adit, pollicetúrque illi ſeſe paratum ad naualia incendenda, quæ Calipoli ampliſsima inſtructiſsimáque erant. Verſatum ſeſe in ijs locis ad aliquot annos ea mente, & animo, vt Chriſtianæ pietati, & Veneto nomini in primis prodeſſet: petere igitur ſe ab illo, vt paratis, quæ tantæ rei neceſſaria eſſent, ſeſe dimitteret. Qua re cognita imperator ſtructo ſtatim nauigio venalibúſque pomis referto (ſic enim illi placuerat) ſuperato facilè Helleſpõto Calipolim appulit, mercatoríſque perſonam ſimulans, qui ea poma venderet, aliquot dies cũcta perluſtrans tandẽ noctu perfracta naualis ipſius porta ignẽ ſecum, & picem deferẽs magnã partem armamentarij eius incẽderat, quum vigiles Turcę tectorũ fragore, flammęq́; ſonitu exciti, eò conuolant, quod quũ ille cognouiſſet, ſtatim correpta fuga ad nauigiũ redijt in aduerſam Helleſponti ripam nauigaturus. Cęterum imprudens correpto nauigio picis incendio, quæ ſupererat, nonnullis flammis pereuntibus enatando cũ aliquot euaſit, in proximáque ſylua ſe abſcondit, interim quum Turcæ incendij authorẽ perquirerẽt facilè enatãtibus pomis nauigiíque reliquijs coniiciunt hunc vnum fuiſſe,

qui tantum facinus patraſſet, quem ſtatim inſecuti per proximam ſyluā vegiſtijs extantibus, captum ad Subbaſſam adducunt Calipolim, quem ille ad Othomanũ principem deducendum quamprimum curat, ratus non numeris eſſe ſui, vt in hũc ipſum animaduerteret. Ad hũc igitur adductus, interrogatúſque cur tantum facinus auſus eſſet, magna animi conſtantia reſpondit, mirari ſeſe, qui ex Chriſtiano homine hoc quærat, an neſcis inquit te vnum eſſe, quẽ Chriſtiani homines meritò ſummo odio perſequantur omnes? an verò diſsimulare potes acerrimũ tuũ in nos odium? qui pietatem noſtram tot annos crudeliſsimè inſectere? qui tot regna tot vrbes nobis ademeris? qui tot populos tot gentes interemeris? qui denique noſtrę pietatis finẽ vnũ tãtũ cogitas? in tuos quoq; ipſos ſumma ĩmanitate. Prĩceps eius orationis vim iã nõ ferẽs tantáq; indolẽ in vno iuuene admiratus diſſectũ mediũ interfici, in publicũq; proiici iuſsit: hac re cognita ſenatus Venetus & ſuperſtiti fratri annuũ ſtipendiũ ſtatuit, & ſorori, quæ Venetiis agebat, dotem imprimis honeſtam annumerari voluit.

De Maumethe.

NON poſſum certè ſine grauiſsimo & acerbiſsimo dolore animíque cruciatu ſceleſtiſsimi, & flagitioſiſsimi hominis ad præſens meminiſſe: quippe qui nulla virtutis ſpecie, ſed dolo, peſsimíſque artibus tantum ſibi nominis, & celebritatis vendicauit, vt non Aſiæ ſolum, & Aphricæ vniuerſæ, ſed & magnæ Europæ parti perſuaſerit pro Deo ſe eſſe colendum. Is verò inter Arabas obſcuriſsimis parentibus ortus, tũ à puero ducendis, locandíſque Camelis, operam impendens, viduæ nuptijs auctus Sergium noſtratem monachum ſibi fortè adiunxit, à quo vno perſuaſus, nos de Chriſto ridicula prodere: Iudæos verò, qui tum latè vagabantur, maximè impios, ꝙ innocentiſsimũ virum ſupremo ſupplicio affeciſſent, ſic ad regnũ gentis primum aſpirauit. Quod vt facilius efficeret, diuinitatem ſimulandam ſibi duxerit. Duplici igitur hac arte vſus, faciléque leuiſsimæ primum omnium genti re approbata, armis coacta latronum manu, principatũ gentis, in qua natus erat occupauit: hinc copijs auctis bellum in Perſas mouit, vt tamen prima acie victus, tum Sænitharum Arabum opibus adiutus, qui ab Heraclio Byſantino principe deſciuerant, victor.

Tantum iam illi imperij fortuna elargita eſt, vt non ſolùm gentes omnes ad orientem poſitas ditioni ſuæ ſubegerit, ſed hac tãta labe vniuerſum orbem infecerit. Qui tãdem inter ſcorta veſatus aſsiduè, veneno conſumptus eſſe creditur. In quo homine, neſcias quid potiſsimum admirere, caliditatem primum ingenij, & vafritiam, an gẽtis illius tantum ſtultitiam, an noſtrorum principum (quod verius ſit) negligentiam atque ſocordiam, qui ingraueſcentis tanti mali primordia non perſpexerint, aut adultam tantam orbi labem armis (quod facilè factu fuerat) tum non oppreſſerint.

De Tamberlane Scytha.

ECQVIS non ſecundo loco, cum Tamberlanis nomen opéſque audierit, non maximè miretur, fortunæ in hominum genus debacchantis luſus? Certum enim exploratúmque eſt hunc puerum in Scythia inter paſtores editum, educatúmque: qui adoleſcens ætate perſuaſis illis vt pecora venderent armáque ſumerẽt, ingenti mox eorum manu ſuccinctus, quam omnem iureiurando interpoſito ſibi obſtrinxerat, proximas vrbes occupauit. Tamen Perſarum regnum inter fratres diuiſum, auctis

mirum in modum rebus ſuis. Oppreſsíſ-
que etiam aſtu, & dolo regijs fratribus, a-
deò ſuum imperium auxit vt oriente bre-
ui ſubacto LXX. milium militum nume-
rum in caſtris ſemper expleuerit. Paxai-
tíque Turcarum principi congreſſus ad
ſtellam montem, qui maximis copijs illi
occurrerat, memorabili prælio vicerit, cæ-
ſis omnibus eius copijs, eóque capto, quẽ
in cauerna adſeruandum ita voluerit, vt
eo adducto, quotieſcunque equum con-
ſcẽderet, collum eius pede premeret. Mar-
cantam poſtea vrbem à ſeſe Perſas condi-
tam innumerabili hominum multitudine
notſ. repleuit. Illud interim præterire minimè
debeo, moris illi fuiſſe, vt quotienſcunque
vrbem aliquã inuaderet, vt primo die tẽ-
torium album exponi ſibi iuberet, quaſi
verò ſignificaret dedentibus ſeſe ciuibus
nihil omnino nociturum: quod ſi in alte-
rum diem facere neglexiſſent, tum rubrũ
tentorium exponi curabat, veluti ſangui-
ne omnia repleturus, quod ſi in tertium
etiam diem obſtinati perſtitiſſent nigrum
fumoſúmque explicabat, veluti igne, fu-
móque quicquid ſupereſſet cõſumpturus,
quod diligenter aſſeruari perpetuò vo-
luerit. Huc adde CL. annos vix expletos
quibus

quibus ille tantis præfuerit rebus nec ſobolem tanti imperij in poſteros ſuos trãſmiſiſſe.

De Othomano primo Turcarum principe.

ETSI prior ætate Othomanus fuerit,nõ indignabitur tamen ſe Tamberlani poſtpoſitum. Hic enim agrarijs parentibus ortus principio generis obſcuriſsimo, breui tempore latronum in Bythinia, quæ ſedes illi fuerat,comparata manu,vexare proximum quémque cœpit, mox etiam Caſtellum extruere haud longè à Pruſia auſus, tantas vires ſibi aſſumpſit, vt Græcorum etiam rebus infeſtus, partem multò maximam Aſiæ ad ſe ſuóſque traxerit. Orchaníque filio poſt XX & VIII. imperij ſui anno hærede relicto, ingentes opes, & Bythiniæ fermè totius ſceptrum reliquit, id quod ſecundo Cæſarum noſtratium libro legere etiam latius poteris.

De Sfortia.

IVCVNDIVS & legent alij hæc noſtratia, & ego in hiſce referendis maiore cũ voluptate certè verſabor, nec verò vetuſtiſſima terræ Italiæ decora repetam,ſed quæ auorum noſtrorum memoria, clara illu-

ſtriáque ſunt habita poſteritati lubens tradam. Dederit igitur exordium Iacobus Mutius Cotoniolæ natus, quod oppidum togatę Gallię iuxta Æmuliam viam hodie quoque viſitur, obſcuris parentibus, ruſticæque vitæ aſſuetis. Qui militarem ſecutus artem adhuc iuuenis robore corporis inuicto, in quo vis præcipuè vulgata eſſet Sfortia ab omnibus inde dictus, Sfortianę familiæ poſtea cognomentũ indidit. Is ſub Boldrino prima ſtipendia faciens qui tunc in Italia clarus, illúſtríſque militiæ Imperator eſſet, breui ſic euaſit magnus & celebris, vt ad Ioannam Reginam Neapolitanã profectus poſt Baldrini mortem, breui ab eadem copijs omnibus prę-fectus, regnum ita fœliciter adminiſtrauit, vt partis ex hoſte trophæis ampliſsimis, multis ab ipſa oppidis in Appulia ſit donatꝰ, cuius regnũ quoad illa vixit, Sfortiæq; paruit fœlix ſit habitũ. Celebris igitur aliis atque aliis victoriis, Frãciſco filio relicto, qui paternæ virtutis æmulus Mediolanenſem principatum primus adeptus eſt, dum ad Ternũ annẽ tranſiret aduerſus Brachium contendens ſubmerſus interiit.

De Franciſco Carmaniola.

NON poſſum certè Franciſcum Carmaniolã prę̃terire ſic appellatũ, ꝙ agrario patre ſuilloque gregi intento æditus ſit iuxta Carmaniolam oppidum: qui Philippo Mariæ Mediolanẽſi principi charus in primis fuit, nam militari re tam clarus illuſtríſq; habitus eſt, tametſi adoleſcens, bobus reliquóque pecori alendo intẽtus primum, vt ab ipſo Philippo duce Imperator creatus, breui Imperium illius mirum in modum auxerit & ornarit. Nec à pacis ſtudijs abhorrens, compoſitis bellis Genuæ, vrbi cũ ſumma ſua laude præfuerit. Vnde tantum inuidiæ flamma mox in illum inualuerit, vt inconſtantiam principis veritus relicta etiam Mediolani vxore ad Venetos tranſfugerit, autor præcipuus apud Venetũ Senatũ belli aduerſus Philippum ſuſcipiẽdi, qua de re tunc in primis agitaretur. Præfectus ergo vniuerſis copiis Imperatoris nomine in Philippum mouens, clarus multis victorijs, & præcipuè Maclodienſi trophæo inſignis, quum in ſuſpitionem veniſſet quaſi reconciliata gratia cum Philippo, iam ad illum pararet transfugere, captus, Venetiáſque ductus, pœnas meritas dedit, ſupremo ſupplicio ab ipſis Venetis affectus.

De Nicolao Picinnino.

QVIS diuinam prouidentiam in rebus humanis omnibus non præeſſe fateatur, quum acceperit Nicolaum Picinninũ de breuitate corporis ſic cognomento dictũ, qui Lanio patre apud Peruſium æditus, cuius etiam ignoretur nomen, tantũ poſtea militari laurea clarus euaſerit, vt neſcias quem illi præferre in hoc genere poſsis: nam & in Hetruria aduerſus Florentinos, & in Vmbria Picenóque cõtra ipſum Franciſcum Sfortiam, eundémque in Ciſalpina Gallia Venetorum imperatorem ſic ſe geſſit, vt quanuis variante interdum fortuna omnium iudicio rei militaris peritiſsimus haberetur, vt planè principatum illi tribuerent, qui tamen poſtea poſt exanclatos pro Philippo principe immenſos labores, vt parum abfuerit, quin Philippus ipſe imperiũ amitteret, ni Picinninus ipſe ad maxima quæque audenda ardens Philippi rẽ ſuſtinuiſſet, qui mox ab eodem alienatus mori ipſum Picinninum Mediolani cœperit.

De Ioanne octauo Romano Pontifice.

PRAEERVNT omnino ſacrę res(vt par eſt)prophanis. Sed quando earum rerum commemoratio poſtremò loco repetita legentiũ memoriæ tenacius inhæret, faciliúſque inſidet, & admirationem multo maiorem cogitantibus affert, nihil veritus vltimum locum hac in parte his attribuerim. Occurrit igitur primus Ioannes VIII. Romanus Ponti.qui ſexum virilem mentitus, mulier nanque apud Anglos nata erat, Athenáſque cum amatore ſuo profecta virili habitu ſumpto, mirum in modum in omni literarum genere profecit, vnde mox Romam contendens, quum diſputando ſepéque orando magnam ſib ingenij, & eloquentiæ famam comparaſſet, mox in locũ quarti Leonis ſummo omnium Cardinalium ſtudio ſubrogata, annos duos, menſéſque quatuor vixit, nõ ſine omnium ſtupore. Donec facta grauida, dum circumuenta doloribus, Diui Petri Baſilicam peteret iuxta Neronis Coloſſeũ peperit, tanta Pop.Rom. acclamatione exorta vt moriẽté ſtatim loco exaugurato collocarint: variant tamen vti video ſcriptorum multorum ſentẽtiæ, qui ne Pont. dignitati detractum aliquid videatur, factum hoc conſtantiſsimè pernegant.

De Ioanne XXII. Pont. Max.

NON eſt, quod in hoc Pont. fallaciam aliquam, muliebrémve aſtum affore ſuſpicemur. Certè tamen inter Gallos cerdone patre natum nemo negauerit: qui tenuiter educatus mox apud diuerſos præceptores ingenij fœlicitate excellẽs iuxta ac clarus apud omnes fuerit. Hic pontifex creatus apud Auenionem cum Ludouico Bauaro Imperatore Germano apertas inimicitias exercuit, diríſque Põt. perſecutus eſt, quod ille ſe Imperatorem citra ſuum aſſenſum diceret: variè tamen iactatus, aliquot pſeudopontificibus à Ludouico in eius locum ſuffectis, quũ multos ſibi vitę promitteret annos, recẹntis cubiculi ruina oppreſſus, pontificiæ dignitatis octauo menſe interijt, non ſine ingenti labore inter ipſas ruinas viuo adhuc inuento.

De iis qui à Parentibus claris degenerauerunt. Caput V.

De Baiamonte Teupolo.

NON poſſum non ſine ingenti ſummáque animi moleſtia mei, in præſentia meminiſſe viri huiuſce patritij ſanguinis, du-

céque patre orti ad tantum facinus animũ adieciſſe, vt libertatem patriæ opprimeret tyrannidéq; eã ſibi vni vendicaret. Cæſo clariſsimo omnium duce, cæſiſque Senatorij ordinis viris ferè omnibus, qui ſibi obſiſtere auderẽt, vt meritò hunc alterum Catilinã dixeris, qui tam claris maioribus æditus, ab eorum nobilitate degenerarit & (quod magis quis miretur) non defuerint multi Patritij ordinis, qui Baiamuntem ipſum autorem tãti ſceleris ſecuti ſint. Is igitur certa die aream Marcianam magna manu ingreſſus, principem ipſum & reliquos patres obuiã habuit, qui rem totam antea reſcierant, qui conſtantiſsimè illi occurrentes adiuti etiam Vgolini Iuſtiniani, Clodiæ prætoris opera, qui cum multis Venetias aduolarat, fortiſsimè pugnarũt, eo igitur fuſo fugatóque, cæſiſque nõ paucis nobilibus libertas in ſuo gradu conſtitit, qui poſtea ſupplex facti tam nefarij petita venia reliquíque omnes qui conſcij fuerant, partim ſecuri ſubiecti, partim perpetuò exilio damnati.

De Marino Faletro duce.

QVIS verò, non maximè Marini Fale-

tri Ducis ſimul admiretur, & doleat, qui abſens dux creatus in Andreæ Danduli locum, dum legati munere apud Pont. fungeretur, Venetias rediens ſummo omnium gaudio exceptus eſt. Inito igitur principatu non multo poſt leuibus ſanè de cauſis nefarium cōſilium inijt, ſui muneris oblitus, ſimul & memoriæ clariſsimorum Vitalis, & Ordelaphi antea Faletrorum Ducum, vt patriam libertatem opprimeret, ſolúſque ipſe cæſis patribus regno potiretur. Quæ res diu occulta tandem per Beltrandum Plebeium alioqui hominem, coniurationis vnum & ipſum conſcium, & autorem, ad Nicolaum Leonem Patricium primis tenebris defertur, qui ſtatim rem tantę atrocitatis audiens & Marco Cornario, & Iacobo Cōtareno ad ſe vocatis omnia pandit, quorum conſilio, & decem viris quàm primum adhibitis, & magiſtratibus nō paucis in priuatam domum conuocatis, coniurationis capita ex plebeis quā primum nō pauca capiuntur, ſupremóq; ſupplicio his affectis ad Principis ædes conuolát, quem & ipſum capitali pœna damnarunt. Nec multo poſt Patritij ordinis aliquot, & reliquis multis rei conſcijs partim exilio, partim morte damnatis, tantum patriæ ocium,

quietémque reſtituunt, Marco Cornario Rempub. ducis nomine ex publico decreto gerente.

De Beltrando.

NVNQVAM certè Plebeium hunc hominem huc inſeruiſſem, niſi quòd ſuo indicio Marini Faletri Ducis facinus detexerit, veniáque impetrata quando conſilij particeps fuiſſet, donatus ſit in ſingulos annos millenis aureis, & ædibus ad Apoſtolorum ædem, ducis ipſius magnificentiſsimis. Inſuper (quod maius fuit) in Patriciũ ordinem aſcitus eſt. Quod quum ingrato planè animo accepiſſet, palamq́; vt ingratiſsimos mortalium patres accuſaret, ſæpe admonitus vti incepto deſiſteret, tandem ſui propoſiti pertinaciſsimum, in exilium ad decem annos Raguſium reiecere, quod quum ille minus ſeruaſſet in Pannoniam iter intendens interfectus eſſe dicitur. Huius exemplo facilè admoneri quiuis poteſt multis ſæpe mortalibus id accidere ſolere, & præcipuè ijs, qui obſcuro loco nati ſunt, vt fortunam ſibi nimium arridentem ferre nequeant.

De Conſtantino Cauaſcia.

PLEBEI ſanguinis hominem, nunc quoq; ſuperioribus adijcere non dubitarim, qui in ſcribarũ ordinem aſcitus, mox decem virorum conſilio præpoſitus, minimè veritus eſt publica cõſilia publicis hoſtibus prodere. Qua re à patribus explorata, ipſe ſui conſcius maturius fugam arripuit, quem adhuc ſuperſtitem eſſe audio. Indignum planè Cauaſcia familia, & parentum ſuorum, quamuis popularium laude, indigniſsimum certè eo ſcribarum ordine: vt quum Andreas Grittus, qui eo die abfuerat, decemuiralibus arcanis illũ eſſe præfectum audiſſet, melius, inquit, cum eo actum eſſet, ſi collo laqueum inuoluiſſent.

EXTERNA.

De Franciſci Sfortiæ filiis.

VENDICAVERIT ſibi iure optimo principem locum hac in parte Franciſcus Sfortia, qui Mediolani principatũ Philippi Soceri ſui morte legitimis hęredibus vacuum propria virtute recepit, ipſumque principatum vſque ad mortẽ ſic ſuis moribus, domeſticáq; diſciplina, ſuis charus cæteris adimirandus ad multos annos rexit, vt nõ facilè dixeris, quem veterum, aut re-

centiorum Principum, ſiue regum illi prę-
ponere poſsis. Bello enim longè clariſsi-
mus Dux, ſempérque ex hoſte victor a-
deò clarus extitit, vt dictatori Cæſari par,
Marcello ipſo ſuperior fuiſſe videri poſ-
ſet. Pacis autem artibus dom eſticáque di-
ſciplina adeò illuſtris, & cælebris, vt ex-
emplis ſuis virtutes omnes pietatem ſcili-
cet, & prudentiam, iuſtitiámque ipſam,
fortitudinémque animi exornaſſe, auxiſ-
ſéque videri poſsit. Vt quicunque optimè
principatus, imperiáque regere ſtudent,
hunc vnum ſequi & imitari debeant. Sed
quis liberos eius ſiue Galeacium illius ſuc
ceſſorem, ſiue Ludouicum, Mediolani e-
tiam ducem, hoc parente dignos cenſeat?
Nam & Galeacius libidine furens, nulláq;
virtute excellens, meritò ab Andrea Lam
poniano cæſus in templo videri poteſt, &
Ludouicus nulla religione, nullóque pie-
tatis ſtudio, fuſus, fugatúſque à Ludoui-
co duodecimo Francorum rege, captus de-
nique amiſſo principatu intra Francorum
cuſtodiã obijt. Nec verò Alexãder Piſau
ri princeps quamuis militaris rei ſtudioſus
dignus hoc patre numerabitur. De cæteris
præter vnũ Aſcaniũ quid dixerim neſcio.
Nãq; ĩmaturo fato iuuenes functi mortiſ-

que acerbitate, variiſque caſibus iactati, nulla paternæ virtutis veſtigia poſteris relinquere potuere.

De Alphonſo Rege eiúſque Liberis.

VT Hiſpani ſanguinis Alphõſum regẽ, quiſpiã fortaſſe dixerit nõ indignabitur tamen Italia hunc vnum veluti alumnum ſuum ad ſeſe trahere. Nanque Neapolitanum regnũ adeptus, fuſis fugatíſque Gallis, talem ſeſe Principem in illis terris geſſerit, vt Chriſtiana pietas, verę́que religionis cultus in eo ſemper excelluerit. Nã de eius iuſtitia fortitudinéq; animi, liberalitatéque, cæteríſque virtutibus, quis vnquã dubitare potuit? verum Ferdinandum eius filium licet non legitimo matrimonio natum, Regémq; mortuo illi ſuffectum, quis in album patris illum vnquam retulerit? aut quis dignum Alphonſo patre iudicauerit? niſi ſi quis eum regni ſucceſſoré aſſerat, cuius filius Alphonſus haudquaquam auo ſimilis tandem à Gallorum Rege Carolo vita Regnóque priuatus eſt.

De Ludouico Pio Gallorum Rege.

ENITVERE certè in hoc ipſo Rege

præcipuè quædã animi dotes,vt magni Caroli ſobolẽ in eo verè agnoſcere poſsis,vnde præter cætera Pij cognomentum ſibi aſciuerit,huius verò liberi, & auo, & patre diſsimiles, nulla non infamia notari poſſunt, quippe qui patrem ſuum in cuſtodia habuerint,exutúmque Regno clauſum tenuerint duriori cuſtodia, donec fremente vniuerſa Gallia,& Germania inuicti tamẽ patrem liberum dimiſerint,qui recepto regno multis virtutis exẽplis abundarit Stephano & Paſcali Pont.Maximis ad ſeſe venientibus tanta benignitate,& munificentia receptis, vt in hodiernum vſque diem cõſtans memoria benefactorũ illius duret.

De Henrico Tertio.

NON accuſauerit me, vt opinor Germania mea, ſi Henricum Tertium in hoc albo repoſuerim, qui Henrici ſecundi filius, quum patrem clariſsimum Imperatorem ſortitus eſſet, à Patris veſtigijs diſcedens, quamuis militari laude longè celeberrimus omnis humanitatis & pietatis expers, crudelem immanem in omnem ſeſe exhibuit,qua immanitate vſque adeo præſtitit, vt Henricus eius filius arma ſumere in eũ ſit coactus,captúmq; à ſe patrẽ

perpetuo carceri mandare in quo & mortuus eſt. De quo latius ĩ Cęſaribus noſtris libro tertio egimus.

De Vinceſlao Boëmiæ Rege Caroli quarti filio.

NEC ipſi mihi Boëmi, niſi fallor, inſultauerint grauius, ſi Vinceſlai regis eorũ Germanorúmq; Imperatoris hoc ĩ loco meminero. Is auo patríq; haudquaq̃ ſimilis, nec quicq̃ eorũ indolis referens, quum imperij res omnes negligeret, luxui delitiíſq; totũ ſeſe dederet, primùm à Sigiſmũdo fratre, tum procerum omnium acclamatione, qui ferre tam ignauum principem non poſſent, Imperiali dignitate priuatus eſt, ſubrogatúſque illi Robertus Bauarus principum omnium conſenſu.

De fiducia ſui. Cap. VI.

De Petro Zeno.

NVNQVÀM ſanè dubitauerim Petro Zeno in hac parte laudis principem locũ tribuere, qui maritimæ rei Imperator cum Pontificio Legato Smyrnam clarum olim Homeri natalibus oppidum, & totius Ioniæ olim caput, tunc à Turcis cum reliquo tractu Aſiatici littoris poſſeſſum, non du-

bitauit aggredi: quinetiam Turcis ipſis cõ greſſus, qui occurrens magno agmine victor acie, vrbem quoque ipſam expugnarit, in qua ipſa quum diutius moraretur publicæ rei cauſa, dum litatorio ſacro intereſſet, nihil ſibi metuens iuſsis militibus ſuis occurrere tumultuantibus Turcis, nunquã adduci potuit, vt ſacrum ipſum dſereret, quare à magna Turcarũ multitudine ſuis oppreſsis hoſtem inſultãtẽ, in templúmq; irrumpentem nõ extimuit. Itaque cùm põtificio legato ſuperante eorum multitudine in ipſo templo cæſus Deo Opt. Maxi. gratiam agens alta voce, expirauit.

De Carolo Zeno eius filio.

PATERNAE virtutis æmulator Carolus, quum à Senatu reuocaretur ex Græcia, vt laboranti patriæ præſens opem ferret, haudquaquam dubitauit patriæ mandatis obtẽperare, & hoſtem Ligurem quocunque poſſet incommodo interim afficere. Itaque magna ſui fiducia rediјt, & vt Clodia Vrbs facilius ſua opera expugnaretur Bichinoniæ Naui Liguſticæ, omnium ea tempeſtate longè maximæ cum ſuis triremibus iam pugnare non dubitauit. Quare fœlicem ſortitus euẽtũ longo,

cruentóque certamine fatigatus, inſuper etiam vulneratus, ad Andra m Contarenum ducem reliquóſque patres adnauigauit, magnáque vi auri argentíque, quam ex ea naui capta cœperat, quum Principem & Senatum donaſſet, inde ſua virtute, & ingenti fiducia dux & auctor fuit, vt expugnata Clodia ſua in primis opera & conſilio, Ligur hoſtis victus leges à Venetis acciperet.

De Andrea Contareno duce.

DEBENT Venetiæ multis variíſque nominibus ipſis ducibus, qui octingenteſimũ iam ferè annum Reip. magna ſua cum laude præfuerunt: ſed duos in primis omni memoria dignos cenſuerim, Petrum videlicet Gradonicum, qui Teũpulanam coniurationem quaſi improuiſam ſua virtute oppreſſerit, & Andream Contarenum, qui variis à regibus & principibus vexatã Remp. & à Ligure hoſte penè oppreſſam capta expugnatáque Clodia, ingenti fiducia liberarit. Quis enim neſciat noſtrarum rerum ſciens, abſentem illum, & inuitum ducem eſſe dictum, & poſt varias ingentéſque clades, quas Reſpub. paſſa eſt, principatum in ſui veſtigio ſtabilitum? vt certè author

author eſſe poſsim & natalis vtriuſq; ducis publicè per annum celebrandi, & eius diei funus perpetuò colendi. Nam ſeptuagenario maior Andreas minimè dubitauit claſsi vniuerſæ præeſſe, & ſæuiente in primis hyeme, Clodiam obſidere, in qua octo millia Genuenſium erant, qui eam tuerentur. Qua tandem potitus Vrbe ductu auſpicióque ſuo Calen. Iulij in vrbem victor redierit, pace cum omnibus hoſtibus firmata.

De Petro Gradonico.

ERIT & ſuus Petro Gradonico Duci iure optimo loc⁹, qui ſumma fiduciæ vſus, quum repente nunciatum illi eſſet, nihil tale expectāti, Baiamontem Teupulū craſtina die in aream Marcianam deſcenſurū, armatorúmque ingenti manu ducem & reliquos patres interfecturum, vt ad ſe vnum patriæ tyrannidem traheret, miſsis ſtatim nuncijs per vrbem ad patricios euocandos, & literis ad Iuſtinianum Clodiæ prętorē ſcriptis, vt quàm celerrimè fieri poſſet, præſidio libertati eſſe vellet, ea fiducia Baiamonti aduentanti occurrit, vt eo victo cęſiſq; nō paucis Reip. dignitatem & charitatem vnus ſuſtinuiſſe videri poſsit.

De Franciſco Foſcaro.

CELEBRIS eſt noſtratium rerum monumentis, & aliorum ſcriptis ad Carauagium clades, quam Franciſcus Sfortia Mediolanenſiũ Imperator nobis intulerit lõgè calamitioſiſsima. Nam & fugatus noſter Imperator, & capti legati duo, qui caſtris præerant patritij ordinis ex more, & vniuerſus exercitus fuſus profligatúſque eſt, quàm paucisſimis omnino fuga ſeruatis. Id quum Venetias nunciatum eſſet, tantum abfuit, vt in conſternata ciuitate Foſcarus ipſe dux præcipuè Gallici belli author conciderit animo, vt ſtatim aduocato Senatu veſtem purpuream indutus, vultu etiam lætiore, magnáque auri vi profuſa, patres ipſos ſit adhortatus, vt nequaquam humilioribus animis, aurum & argentum domeſticum, & ipſi in publicum offerrét, fore pollicitus, vt intra triduum Venetæ copiæ recuperarentur omnes, memorabili tamen euentu, quando Franciſcus Sfortia victor, pacem à Venetis petierit, & Mediolanenſium principatum Venetorum in primis opera adeptus ſit.

De Leonardo Lauretano duce.

EXTANT adhuc plerique ſuperſtites, qui conſtanti fide dicere teſtimonium poterunt Lauretano principi, quanta fiducia fuerit illius, quum nuncium tam fœdæ cladis accepiſſet, qua ab Ludouico Gallorum rege iuxta Abduam amnem affecti ſumus, vt certè ſi quis ſecum animo reputet & Veneti principatus dignitatem ea tempeſtate, & reges omnes Chriſtianos & principes, & Iulium ſecundum Pontificem irarum in nos plenum, non poſsit non in primis commoueri animo, ad tantam rei nouitatem, atque etiam ſecum tacitus admirari principis egregij virtutem, boníq; euétus, qui poſtea ſubſecutus eſt, fiduciam. Nam quotquot prius habuerant ciuitates intra togatam Galliam & Venetiam omnẽ cum ipſa vrbe Patauio amiſerant Veneti, & in Piceno Arimino Rauennáq; & ipſa Fauentia põtifici reſtituta. Appuliáq; magna ex parte à Ferdinando Hiſpaniarum Rege recepta, vix ſpes erat, etiam Patauio recepto maioris alicuius imperij in poſterum futuri. Cæterum fuit ea principis Lauretani fiducia, & virtus egregia, vt tandem recuperato magna ex parte imperio, fœliciter in hunc vſque diem res Veneta ſibi

conſtet. Ipſe quidem memini ad tam horrendæ cladis nuncium totam noctem attonitum conſtitiſſe peruigilem, meminerũt & alij, qui oppugnatam vrbem Patauium à Maximiliano meminerint, principum etiam Chriſtianorum præſidijs fulto, ſunt qui ſonitum tormentorũ in Patauina mœnia ad aream vſque Marcianam exauditũ in hunc vſque diem horreant, qui hoſtes ipſos ad Margariam vicum inſultantes, nõ ſine ingenti trepidatione ex vrbe viderint.

De Aloyſio Molino diui Marci Procuratore.

QVID in præſentia Aloyſij Molini fiduciam memorem? quam ſalutaris illa, quam auſpicata Reip. noſtræ fuerit? Veneti enim intra quartam & vigeſimam diem, (quod animus meminiſſe horreat) omne continentis imperium continuata clade amiſerãt, vt iam tãtis elatus victorijs hoſtis Venetijs ipſis inſultare videretur. Perterrita ciuitas, recuperandi in poſterum imperij animum planè deſponderat. Vnus hic in tanta rerum omnium perturbatione ingenti fiducia de vrbe Patauio recuperãda (quippe quæ vna recepta afflictas Veneto-

rum opes multum ſubleuare poſſet) ſententiam dixit, qua Senatus ac reliquæ ciuitatis animos mirandum in modum erexit. Miſſo igitur Patauium Petiliano Imperatore res fœliciſsimè ceſsit. Vt nemo certè dubitare poſsit, hanc illi tantam animi fiduciam, ad Venetam rem ferè collapſam reparandam, dei Opt. Max. numine infuſam.

EXTERNA.

De Attila Hunnorum Rege.

AFFVIT certè Attilæ Hunnorum Regi ingens ſui fiducia: nam coacto primùm ingenti exercitu ad ducenta & amplius armatorum millia, quum Galliam ipſam inuaſiſſet, victúſque ab Aëro Romanorũ duce in campis Toloſanis eſſet, nõ dubitauit tamen reparatis nõ minoribus copijs Italiam ipſam inuadere, cuius vniuerſę imperio facilè potitus eſſet, niſi interuẽtu Leonis Rom. Pontificis territus potius quàm perſuaſus ab incœpto deſtitiſſet, vt tamen vniuerſam Venetiam, & vniuerſam Carnorum oram fœdiſsimè vaſtarit, Aquileia ipſa vrbe clariſsima per triennium obſeſſa, & ad internecionem Carnorũ ciuium expugnata & capta.

De Carolo Magno.

NEC minor quidem Caroli magni extitit fiducia ſui, qui inuitatus à Romano pōtifice nimium Longobardis infeſto, propter eorum inſolentiam, non eſt veritus in Italiam deſcendere eo animo, vt Longobardos ipſos omni Italia expelleret, qui vniuerſam Italiam ducentos & amplius annos armis vicerant, atque domuerãt: quod incœptum fœlici ſucceſſu non tamen ſine periculo & graui labore capto Deſiderio rege, expugnatáque Papia fœliciter tandem illi ſucceſsit, recepta omni ferè Italia & pace Romanæ eccleſiæ reſtituta.

De Genuenſibus & Piſanis.

QVIS neſcit in ipſa terra Italia geminas olim fuiſſe ciuitates Piſas videlicet Hetruſcas & Lyguſticam Genuam? Quæ inter ſe finitimæ, vtraque tamen ingenti ſui fiducia mari & terra bella diuturna geſſerint. Cæterum illud memorabile de vtraque proditum, quod cum milleſimo & ducenteſimo ſexageſimo ſecũdo à partu virginis anno, diſsidere animis cœpiſſent, ſũmóque apparatu vtérque populus bellum inſtrueret, miſsi ſunt à Piſanis Genuam exploratores, itidémque factũm à Ge-

nuenſibus eſt. Quæ res cùm manifeſta vtriſque eſſet, nec ipſe Lygur fiduciæ plenus,nec Piſanus populus dubitauit exploratoribus ipſis omnia manifeſta facere, in apertóque eſſe. Itaque certatum vtrinque eſt magnis diu viribus, incertóque marte, tandem ab vtroque populo diſceſſum eſt.

De Giſca Boëmo.

SI QVIS fortè legit Aeneæ Syluij libros,quibus ille res Boëmicas ſatis eleganter eſt complexus, cum alia mirabitur, tũ Giſcæ imperatoris nomen menti infixum perpetuò fuerit. Qui clarus multis ex hoſte victorijs & vtroque lumine poſtea captus, fuſiſque etiam ſuo ductu, profligatíſque magnis imperatoribus,ſummam ſui fiduciam moriens prætulit. Nam interrogatus à ſuis cuius auſpicijs militare poſt mortem eius poſſent, ne Huſsitica hæreſis laberetur, quam tanta virtute fiduciáque, in eum vſque diem ſeruaſſet, id reſponſum interrogantibus reddidit, quo certè nemo imperatorum, qui in re militari excelluiſſent, vnquam ſit vſus: excoriate inquit, me mortuo cadauer hoc meum, & tympanum vobis ex hac ipſa cute conficite,quo in prima acie ſemper vtamini, ſo-

nitúmque ingentem excitetis. Neque verò metuendum eſt vobis, vbi primùm hoſtis audierit; ne in fugam conuertatur.

De Philippo Maria Mediolanenſium Duce.

NE vetuſtiora exempla repetam, externáque Boëmicáque enumerē, facit Philippi Mariæ Mediolanenſis ducis ingens fiducia qui Venetis, Florentiníſque alijſque principibus bellum ſibi indicentibus, niſi à Florentinis ipſis violandis abſcederet, tales ſpiritus eámque ſui fiduciam retulit, vt bellum forti animo indictum ſuſciperet, ſæpéque etiam memorabili euentu victor euaſerit. Quod ſi duces inter ſe cōcordibus animis Picinninus videlicet Sfortia & Malateſta geſsiſſent, facilè potuiſſēt imperij ſui fines augere, & hoſtes ſuos retundere.

De Blaſio Acſareto Genuenſi.

HAVD certè dixeris, quid in Blaſio Acſareto Genuenſi tãtum excelluerit, vt Genuenſis populus hunc obſcuro loco natū, fortunáque etiam inter tabularum ſcriptores verſatum, claſsi ſuæ aduerſus Al-

phonſum Regem Caietam obſidentẽ prefecerit, poſthabitis tot claris, illuſtribúſq; viris, quibus ea ciuitas ſemper abundauit, rebúſque maritimis præcipuè excelluit. Prefuit tamen ille, & Alphonſum Regem, illiúſque fratres prælio memorabili victos fuſa fugatáque eorum claſſe, Genuam captiuos adduxit. Et ne maiore fiducia pugnaſſe illum cenſeas, Alphonſi oratoribus miſsis ad ſe, qui id maximè cuperent, vniuerſam claſſem diligenter inſpiciundam præbuit. Quin etiam & illud addidit naues aliquot plenas eſſe in ſua claſſe precioſis mercibus, quas ſi ſeipſo ab Alphonſo Rege victo capi contigiſſet, vberiorem victoriam relaturus eſſet.

De Conſtantia. Cap. VII.
De Franciſco Foſcaro.

EST hęc certè virtus inter cęteras haudquaquam contemnenda, quæ in ſummis periculis ſui ſpecimen maximè illuſtre, & celebre efficiat. Hæc igitur in Franciſco Foſcaro Veneto duce illuxit, cui abrogato principatu, (quod nunquam antea euenerat) nulla alia ſua culpa, niſi quòd cùm plures annos præfuiſſet Reip. iam ſenio confectus parum idoneus ei gerẽdæ videretur:

conſtantiſsimè vultúque penè ridẽti,purpurea etiam veſte indutus, ex Palatinis ædibus, vniuerſa inſpectante vrbe, eúmque etiam admirante deſcenderit, Foſcareáſq; ædes ſuas ad diui Pantaleonis cupienti ſimilis inuiſerit.

De Carolo Zeno.

NON poſſum non & Carolo Zeno (tametſi non ſeruata temporum ratione) tantæ virtutis teſtimonium perhibere, qui ab inuidis accuſatus quaſi pecuniã à Carrarienſi principe dono acceptam, in publicum nõ retuliſſet ærarium, carceri incluſus ea conditione, vt veniam petere poſſet, nunquam tamen adduci potuit, vt id per biennium faceret, quo toto incluſus vixit. Adeò innocentia ipſa conſtantiæ iuncta ſecurum intrepidúmque redebat, conſcius ſibi & pecuniam mutuam ab eo acceptã, & exulanti illi, quum in Gallia Ciſalpina ageret optima fide perſolutam, quum ipſe Carolus Mediolanenſem principatum, Galeacio duce ita volente ſuis penè auſpicijs regeret.

De Antonio Grimano.

HABEBIT & ętas noſtra virtutis huiuſce laudem in Antonio Grimano rei mari-

timæ imperatore, quem in ordinem redactũ ſuffecto illi Melchiore Triuiſano, captiuúmque & nexum Venetias deductũ nos & cæteri omnes vidimus, dum carcere includendus eſſet, tanta animi conſtantia præſtantem, vt vix filium Cardinalem agnoſcere videretur, qui patrem adhortaretur, vt hanc ipſam calamitatem forti animo ferret, nec dubitaret, quin in comitijs egregiè defenſus dignitatem ſuam locúmque retineret priſtinum, filio reſpõdit, ego nihil hoc tempore aliud cogito, quàm vt Reſp. iure ſuo & legibus vtatur. Nec verò multò poſt in exilium miſſus magno animo etiam caſum illum tulit vt tamen violatis exilij terminis Romámq; ad filiũ cardinalem proficiſcens, non multò pòſt ſit patriæ reſtitutus, & procuratoria primùm dignitate donatus, mox etiã princeps declaratus ſit, quo exemplo neſcio an aliud inueneris memorabilius.

De Andrea Gritto.

DEDERIT & huius virtutis exemplum memorabile Andreas Grittus, qui à primis annis à Turcis Byzantij carceri incluſus, Venetias poſtea liber ſolutúſque veniens, magnis honoribus functus, variíſq; caſi-

bus aduerſa reip. fortuna iactatus, à Galliſque Brixiæ captus eódem ſemper vultu animíque vigore ſit viſus, donec procuratoria dignitate & ducis ſublimitate donatus, princeps decem & ſex annos per ſummam conſtantiam egerit.

De Dominico Triuiſano diui Marci Procuratore.

NEMO mihi adſcripſerit, vel mendacij crimen, vel adulationis ſuſpicioné, ſi Dominico Triuiſano procuratori viro admodum inſigni, & ampliſsimis honoribus cõtinuata ſerie perpetuo functo, deq́ue me optimè merito, illíque ipſi imprimis familiari hoc teſtimonium præbuero. Quem certè per immortalem Deum teſtari poſſum triginta & amplius annos eodem ſem per vultus tenore à me viſum, nec rebus publicis adeo ſecundis elatum, nec priuatis aduerſis fractum, filijs aliquot immaturo fato etiam amiſsis, quin literis Latinis ſemper plurimùm deditus, vt quicquid illi priuati ocij, aut publici ſupereſſet, veterum monimentis lectitandis impenderet, donec poſt rem maritimam Imperatoris titulo fœliciter (vt tempora ipſa ferèbant) adminiſtratam, domum reuerſus octuage-

nario maior nequaquam mutatus deceſſerit, relicto ſuperſtite vno filio, Marco Antonio, qui & ipſe propter egregias animi virtutes procuratoria dignitate hodie fruitur.

EXTERNA.

De populo Romano.

ERIT mihi nunc tranſitus in his externis referendis conſtantiæ exemplis, vt quũ ſuperius ſingulos commemorarim viros, qui in hoc genere laudis excelluere, nunc vnius ciuitatis populum vniuerſum repetam, quod certè maximè memorabile lecturis omnibus fore mihi perſuadeã. Pop. enim Roma. Belliſarij ducis præſtantiſsimi beneficio ſuis penatibus, nataliq́ue ſolo donatus, non dubitauit robur hoc animi aduerſus Totilam Gotthorum regem præſeferre, à quo quum obſideretur ipſe, etiã munimenta vrbis frugibus iactis ſtrata eſſe dicuntur, vt deditionis ſpem omnẽ Totilæ adimerent. Quæ res tantum valuit apud Barbarum regem, vt incœptum deſerere cogeretur.

De Martino Romano Pontifice Maximo.

QVIS me iure accuſare vnquam poterit, ſi Martini Rom. Pont. inſigne ſingularis conſtantiæ exemplum retulero? Qui nulla vnquam ratione adduci potuit, vt Cōſtantio Imperatori morem gereret, qui monothelicarum hæreſim ab eo expoſceret in gratiam vnius aut alterius approbari. Verùm Martinus & ſuæ dignitatis memor, & perſonę, quam ſuſtinebat, non oblitus, adeo ſe cōſtanté geſsit, vt nō Olympiodori vrbis præfecti, qui illū carceri incluſerat, nō Calliopes Rauennatis Hexarchi precibus moueretur, quin potius æquo animo tulit ſe in ordinē redacto, lares Romanæ vrbis relinquere, & in perpetuo exilio agere.

De Geſualdo Longobardo.

NON poſſum certè non Barbaro homini & de terra Italia peſsimè merito teſtimonium reddere inuicti cuiuſdam roboris, & conſtantiæ. Geſualdus enim à Romualdo Beneuentano duce clam emiſſus, qui Beneuenti obſideretur à Conſtantio, ad Grimoaldum patrē vt obſeſſo filio ſuppetias ferret, quū nūcius patris reuerteretur iā aduentantis, magníſque copijs obſidionē facilè ad primū hoſtis occurſum le-

uaturi, captus à militibus Conſtantij, promittens fore vt ſi ſaluus incolumíſque ad mœnia duceretur rē aliter Romualdo nũtiaret, ab hoſte deductus ad mœnia exclamare cœpit, nequid Romualdus dubitaret iam enim patrem adeſſe, quod hoſtis quum audiſſet, ipſum Geſualdum inuicti animi, roboríſque iuuenem, id quod ille expectare poſſet, interfecit.

De Ignatio Conſtantinopolitano Patriarcha.

NVNQVAM ſileri me authore Ignatij Conſtantinopolitani præſidis vehemēs animi cōſtánſq; robur poterit, qui à Varada ſollicitatus omni ope & precibus vt ſeſe anathemate ſolueret, quo implicitus erat meritò, quippe qui vxore priore repudiata nurum ſuam matrimonio ſibi iunxerat, moueri non potuit vt id faceret, quanuis Varada ipſe Michaëlis imperatoris patruus eſſet, & grauiſsimum quódque malum à ſceleſtiſsimo homine expectare poſſet.

De Vigilio Tridentino epiſcopo.

TE VIGILI conſtantiſsime pater, cuius ego ſacerdotio iam tot annos fruor,

non patiar in obſcuro eſſe qui Tridentinos illos tuos ad Chriſti pietaté omni ſtudio animíque robore traducere cupiens, magnáque parte Tridentini ſoli vera pietate iam imbuta, cùm ſupereſſent, qui idolis addicti eſſent, nec vlla ratione detrahi ab incœpto poſſent, tu vno atque altero comite eò profectus, ſimulachra omnia illa ærea manibus tuis deiecisti. Quam ré indignè ferentes ſuperſtitioſiſsimi homines, nihil opinionem ſummæ religionis & pietatis de te veriti, præcipitíque quodam furore acti, in te vnum exarſere, pluribúſque ictibus corpus tuum in fruſta diſſecuere.

*

IOANNIS

IOANNIS BAPTISTÆ EGNATII,

LIBER QVARTVS.

De animi moderatione, Caput I.

DEDERIT exordium quarto huic libro præcipuè ea in homine virtus, quæ à noſtris mode ratio modeſtiáque appellatur. Quæ vel ipſo nomine dictorũ factorùmque noſtratium modum, temperationémq; nobis præſcribit, per quam pudor honeſtus, claram & ſtabilem comparat au thoritatem, hanc Græci σωφροσύνην appellant. De qua cum alia multa veteres Philo ſophi meritò prodidere, tum verò nomen ipſum à ſeruanda prudentia ipſa deductũ demonſtrat: quaſi nihil vnquam cum vera virtute laudéque geſſeris, niſi in hanc ſem per oculum detorqueas. Libentiſsimè igitur hac in parte verſabor, quod domeſticis exemplis clarorum imprimis virorum abũ dabimus. Dabit igitur exordium præclaræ huic virtuti Ioãnes ex patriciaca familia dux tertius hoc nomine, qui phano Di-

uo Cornelio & Cypriano extructo apud Medoacũ egregij operis, non paucíſq; rebus domi foríſq; præclarè geſtis, quũ diuturniore morbo laboraret, ne Reſp. Principe, qui eam gubernaret, in magna rerum occaſione careret, Petrum Candianũ ſubrogari ſibi expetijt, cui etiam principis inſignia propria manu lubens tradidit, mox ad proprios lares redijt. Iterum verò poſt Petri Candiani mortem populi precibus adactus principatu aſſumpto, nec diu principatum tenens dignitati ceſsit. Populo perſuadens, vt omnino ſucceſſurũ ſibi ducem eligerent, quo facto domum priuatam reuiſit. Quibus igitur verbis hanc in hoc vno animi moderationem extuleris? Qui omnia patriæ tribuens principatum depoſuerit bis. quod nunquam antea, nec poſtea in hunc diem contigit.

De Vrſo Patriciaco duce.

HIC ſemper ita domi vixit cum ſumma pietatis & innocentiæ conſtantiæq́ue laude, quã declaratus dux ſic ſemper obtinuit, vt monaſterium Diui Felicis ad Amianos extruxerit, in quo mortuus poſtea ſepultus iacet. Veteres ſcriptores noſtri huius liberalitatẽ in pauperes, & in reliquos

munificentiā pręcipuè cōmendant. In patriam autem tanta animi propēſione fuit, vt vndevigeſimo principatus anno ſponte ſeſe eo abdicarit, quādo prægrauante ſenectа parē huic curę ſe nō eſſe cognoſceret.

De Petro Vrſeolo duce.

NON dubito quicunque hæc legerint veniam mihi daturos, ſi longius in huius ducis rebus explicandis verſatus fuero: quippe qui domi militiæque longe clariſsimus ita vixerit, vt facilè in ſui admirationem omnes trahat. Petro igitur Cādiano duce cum ipſo filio Creſo ducarióque incenſo, magnáque Diui Marci templi parte conflagrata, hic vnus princeps ſubrogatur, magno totius populi conſenſu, qui ad ipſum Vrſeolum frequens conueniebat penitus renuentē: neque omnino ſe tantę rerum moli parē exclamantem. Victus verò tandē precibus omnium, principis ſceptrū inuitus penè ſumpſit, rémque publicā turbatam Petri Candiani interitu, & tantis incendijs conſternatam ita rexit, vt pacatiora omnia reliquerit. Sarracenos quoque interim ad vtranque Italiæ partē claſſe vagantes, qui Barrum Picentium vrbem obſidebant, & Capuam ex altera parte

vaſtabant,ſoluta prius obſidione Barrenſi, memorabili prælio maritimo poſtmodum ſuperarit. Reuerſus inde ducarias ædes & Marci euangeliſtæ templum exuſtum (vt diximus) ſua priuata impenſa in ampliorē formam reſtituit, & tabulam inſuper mira arte confectam Byſantij ad maximā arā collocauit. Diui etiam Marci corpus paucis conſcijs vbinam eſſet præcipuè latere voluit. Mox ad veterem animi moderationē,ſpectatámque virtutem rediens,compoſitis rebus publicis oībus, quoad eius fieri potuit,principatū depoſuit:noctúque Guarinum Aquitanum monachum ſecutus Romualdóque & Marino Rauennatibus monachis comitibus, vxore ac filio inſcijs, cū duobus generis Gradonico& Mauroceno in Aquitaniam ad D. Michaëlis de Cuſſano contendit. Et nequid non per ſummam moderationem egiſſe videretur, ædes priuatas ſuas,quibus ego nunc præſum Lauretani principis beneficio, diuerſoriū perpetuum eſſe voluit. Vixit denique apud monachos in Aquitania non paucos annos miraculis clarus,celebréque Petri Vrſeoli nomen, in eo terrarum tractu hodie æquè viget.

De Vitali Candiano.

PATRI Petro duci,diſsimilis Vitalis filiꝰ dux ſubrogatur,ſtatim à populo,qui Vitale patruo Gradēſe epiſcopo in patriā reſtituto Othonē Imperatorem Veneto nomini infeſtum cōciliare pręcipuè ſtuduit,nec multo poſt anno & menſibus aliquot vix expletis, prægrauāte morbo monaſticā vitam cōplexus eſt, inque D. Hilarij phano aliquot poſt dies vita functus ſepelitur.

De Aureo Maſtropetro duce.

VIX multis credibile futurum reor, quum tot Ducum noſtratium moderationē animi acceperint,vera quæ ſcripta ſunt fuiſſe credant. Cęterum annales noſtri,reliquíque externi ſcriptores, qui de rebus Venetis aliquid memoriæ mandarunt, ita ſibi conſtant,vt impium propè videri poſſit hac de re aliquando dubitatum. Poſt multos igitur annos Aureus Maſtropetrus Dux creatus quadraginta virûm ſuffragijs in Ciani locum,quem ſibi præferri voluit, quum Dalmatium bellum aduerſus Iadrēſes geſsiſſet (qui iam quartò à Venetis rebellarant) in Syriam ingenti claſſe Piſanis ſociis aduerſus Saladinū cōtēdit. Quo victo Ptolemaidéq; recepta Venetias rediit Friderico Ænobarbo vita fūcto,qui prīceps

in Saladinum terreſtre bellum præcipuè gerebat. Maſtropetrus igitur domũ reuerſus, pacis etiam multis artibus illuſtris, veterúmque ſuperiorum principum veſtigia ſecutus, Monaſticam vitam amplecti maluit, mortuúſque non diu pòſt, in Phano Diuæ crucis ſepultus iacuit. Quos igitur tu mihi Romanos principes viros, quos Græcos aut Athenienſes obieceris, qui cõferri cum his tot ducibus poſsint, hac ipſa tanta animi æquitate & moderatione?

De Petro Ciano duce.

CLARVS certè fuit & illuſtris Sebaſtiani Ciani principatus, qui Petrum filium relictum poſt Henricum Dandulum ducem, principem & ipſum habuit non minus celebrem patre. Multis igitur belli, pacíſque artibus inſignis, Cretã inſulã, quæ tunc primũ Veneto nomini ceſſerat, ſic adminiſtrare cœpit, vt Patricij ſanguinis & plebeij eò familias nõ paucas miſerit, tanquam in coloniam: variíſque etiam poſtea bellis agitatm ita moderatus eſt, vt in hunc vſque diem pacata perduret. Qui & ipſe quum fœliciter Remp. duos & viginti annos rexiſſet, florente Rep. ſpante ſua principatu ſe abdicauit, priuatáſque ædes repetens,

mortem non multò poſt oppetiit.

De Iacobo Teupulo duce.

HABEBIT & ſuum hac in parte locum nõ immeritò Iacobus Teupulus Dux, qui cum diutius oblatum principatum recuſaſſet, charitate tandem patriæ victus, non potuit non illi obtemperare. Ille igitur poſt Petrum Cianum ducem domi ſuæ ſalutatum, qui ægrotus iacebat in lectò, ducariam ſedem repetens, pluribus & maximis confectis bellis, recepta etiam Iadera, quæ iam quintùm rebellarat, legibúſque etiã Venetis in vnũ corpus redactis Vataciόque Lesbi domino nauali prælio victo, eóque Cretę littoribus ſummoto, Bizantio præterea ab obſidione liberato, hoſtium inſuper ſuperata claſſe, Gregoriúmque Põtificem aduerſus Fridericum conſtantiſſimè ſemper tutatus, vt filiũ Petrũ etiã Medi olaneſium prætorẽ captum à Friderico amitteret: vigeſimo tandẽ poſt anno & aliquot menſibus dignitate principis ſponte ſe abdicauit. Quum tamen prius, & D. Marinæ corpus ex Conſtantinopoli delatũ Venetias ſumma pietate excepiſſet, & Gemellorũ ędẽ prius extruxiſſet in D. Mariæ Formoſæ, & Diuæ Marinę finibus, vbi

extra portam maiorem ſepeliri voluit.

De Iacobo Contareno duce.

HIC pace cum Anconitanis inita, qui variante adhuc bello multa damna Venetis intulerant, poſt quintum principatus annum, quando ætate confectus, publicæ curæ parem ſeſe minimè noſceret, ſponte ſe imperio abdicauit: vt quã animi moderationem ciuitas ipſa publicè ſemper retinuerat, exemplo quoque ſuo retinere poſteri facilius poſſent.

De Franciſco Foſcaro duce.

NON deerunt vel patrum noſtrorum memoria, vel noſtra ætate recentiora virtutis huius exempla: vt hęc ipſa ab incunabulis Vrbis ad noſtra vſque tempora publicè, priuatímque, & nata, & híc perpetuo coalita videri poſsit. Celebris eſt igitur Frãciſci Foſcari principatus, qui ſuo conſilio quum Remp. fœliciſsimè diu foris adminiſtraſſet, neſcio tamen quo fato domi eandem tranquillitatem ſeruare nõ potuit. Iacobo enim filio falſò accuſato, ꝙ Hermolaum Donatum decemuiralis cõſilij præfectũ, cùm domũ noctu reuerteretur, quaſi ſibi infeſtiorẽ interficiendum curaſſet, non

poterat certè. pater quum tortũ in eculeo eum etiam audiret, nõ aliquantum cõmoueri. Verùm tanta animi conſtantia, vt ne vultu quidem hunc dolorem prodiderit, filium quoque ipſum inde perpetuo exilio damnatum, quãuis innocẽtem, æquiſsimo animo tulerit, & ſeſe etiam poſtea in ordinem redactum, quod inuidiæ maleuolorum in ſe hominum obſiſtere non potuerit, pari modeſtia, fortitudinéque animi ſuſtinuit, id quod ſuperius, quoque annotatum leges.

De Antonio Grimano.

NON habent annales noſtri exemplum vnum per octingentos annos huic ſimile, quod mox referam. Antonius enim Grimanus claro maiorum ſuorum ſtemmate, & diuitiis opibúſque & Cardinali filio maximè inſignis, quum ipſe rei maritimæ Imperator, in qua præclaras res in Apulia geſſerat, & procuratoria dignitate mox donatus fuerat, iterúmq; declarat⁹ totius rei maritimæ Imperator, quaſi ſua culpa non belli malignitate. Methonem aliáque Peloponneſsi oppida amiſiſſet, in ordinem publico decreto redactus, carceréque etiã incluſus, & mox perpetuo exilio damna-

tus maioris conſilij authoritate, neque verò multo poſt reuocatus, honeſtiſsimè eiuſdem cōſilij maioris decreto, rurſúſq; procuratoria dignitate donatus, deniq; princeps factus, ſemper eandem animi moderationem præ ſe tulit. Vt nunquam toto hoc vitæ tempore, neq; tres aduocatores viros longè clariſsimos, & in his Nicolaum Michaëlem in ſuū locum ſibi ſuffectum, à ſe reiecerit, ſed ſępe benignè ſalutatis cum alijs, qui ſibi inimici fuerant, beneficióque ſi vſu veniſſet, affectis, incredibilem laudē & ſibi & ſuis perpetuò vendicarit.

De Marco Molino D. Marci Procuratore.

CESSET nunc Romana ciuitas ſuum nobis obiectare Macedonicum Metellum, quę mortuo Scipioni viro ſibi inimico, publicæ laudis teſtimonium reddiderit, quæ homini vita functo inimicitias condonarit. Deſinat etiam glorioſa Græcia tantum ſibi placere, quòd Piſiſtratus Athenienſis Tyrannus, hominem ſibi amicum, inter pocula ſe conuitijs laceſſentem æquo animo tulerit: quando in hoc genere laudis vno exemplo vtraquę ſe-

ſe facilè victam intelligit. Erant autem Aloyſio Molino liberi ſex mares, quum quatuor immaturo fato Mortem oppetijſſent, alter per ſummam iniuriam à Marco Michaële Patritij ſanguinis homine extinctus eſt. Quem caſum (licet omnium acerbiſsimum) præterea animi moderatione tulit, vt nihil quoad vixerit in homicidam ipſum grauius cogitarit. Quin vita decedens ſuperſtiti filio teſtamento mandauit, ne fratris necem vnquam vlciſci vellet. Quique etiam quum ſibi fraternæ cædis vindicandæ facultas ſæpe vltro oblata eſſet, non ſolùm voluntati paternæ piè obtemperauit, verùm etiam (quod immenſæ, ac propè diuinæ benignitatis fuit) recōciliandam gratiam cum ipſo iniuriæ autore quàm primum curauit. Qúmque ille ſceleris reus, perpetuo exilio damnatus, extra Veneti Imperij fines eiectus eſſet: hic de eo reuocando ſupplex ad decemuiros vltrò adijt, atque enixè contendit, vt ille omnino patriæ reſtitueretur. Hāc ingenui animi liberalitatem admirati in primis patres, in eius gratiā ſtatuerūt, vt reus in agro Miſtrino liberè eſſe poſſet. Quis tantam animi virtutem ſatis vnquā laudare poterit? Quis iam

conquereretur, nimium durè eſſe nobis præceptum, vt illatas condonemus iniurias, quum hoc vnum tam memorabile exemplum legerit? Meritò igitur ciuitas minimè ingrata in demortui patris locum filiũ procuratoria dignitate ſtatim ſubrogauit, quod nuſquam ante alicui cõtigerat. Nec illud ſciens omiſerim, nihil eſſe in tota Veneta Rep. quod ad eius felicitatem conſeruandam augendámque magis conducat, quàm hanc ipſam animi liberalitatem in mutuis iniurijs condonandis.

Externa.

HAVD ſanè negarim ſupereſſe, quod veterum monumẽtis ſit proditum, ſi quis ea diligentius euoluat, plures extitiſſe cum Rom. ſanguinis viros, tum alieni ſanguinis non paucos, qui moderationẽ hanc animi cum inſigni ſua laude præſtitere. Cæterùm propoſiti inſtituti mei non oblitus in recentioribus quibuſdam, quæ celebriora mihi ſint viſa, libentius immorabor. Vendicet igitur ſibi principem locum Venceſlaus Boëmiæ Dux, ad hanc moderationis laudem poſteris cõmendandam, vel pręcipuus, qui Boleſlaum fratrem ſæpius admonitum, vt ab inferẽda iniuria temperaret,

imò verò ab eodem publicè ferro petitus, vt illum tamen ſibi occurrentem cum multis facilè tollere potuerit, dimiſſum ſemper, nunquam flexerit, vt tandem ab illo per inſidias, & principatu, & vita priuatus ſit: magno omnium exemplo, quo admoneri poſſumus improbos homines vbĩ ſemel cupiditati ſeſe dediderint, non facilè reuocari ab ea poſſe.

De Beliſſario Patricio.

CVI quæſo Beliſſarij patritij virtus non cognita eſt? qui a Iuſtiniano Principe miſſus, vt Italiam à Gothis occupatam vẽdicaret, nunquam adduci potuit vllis, vel Gothorum minis, vel precibus, vt delatum ab his Italiæ regnum ſuſciperet. Forti magnóque animo ſemper id reſpuit. Quibus non multo poſt ductu ſuo Iuſtiniani verò Principis auſpicijs penitus ab omni Italia pulſis, fugatíſque, quum ab Iuſtiniano reuocaretur in Græciam, ab ijſdémque, qui ſupererant omni ſtudio quæreretur, vt ſceptrum Gothicæ gentis reciperet, ſumma animi equitate, & modeſtia ſemper eos à ſe rejecerit. Ceſsit verò ſub principe nimis auaro, & cupido, ſimplex hic clariſsimi viri reditus infeliciter. Omni enim dignitate

ab eo priuatus Belliſſarius, oculíſq; etiam erutis, ad eam fortunæ volubilitatem redactus eſt, vt ſupplex ille quotidianum victũ petere ſit coactus ab his, qui in Sophiæ templum frequentius conuenirent.

De Carolo Manno Frangoniæ. Principe.

EXTAT quoq; Caroli manni Pini Regis fratris principíſque longè celeberrimi factum haud ſanè minus memorabile, ſed aliquanto fœlicius, auguſtiúſque quàm in Belliſſario ſuprà repetium eſt in reſpuendis Regni Frangoniæ faſcibus. Inuitatus enim vt alteram Frangoniæ partem quæ illi fratris morte obtigerat, tantum abfuit vt eam expeteret, vt omni principatu neglecto, ſtatim petens Italiam Caſsinati religioni ſeſe addixerit. In qua multos annos ſuperſtes, cum ſumma pietatis noſtræ bene piéque retentæ fama, non multò poſt deceſſerit, vt nullis vnquam regnorũ illecebris ab incepto reuocari potuerit.

De Iua Britaniæ Rege, & Gelulfo.

NON poſſunt non duo Britanni Reges me ad ſeſe trahere, Iua, Gelulfúſque, quando vterque relictis regijs infulis, for-

ti que animo, & moderato eremiticæ ſeſe vitæ ad extremum vſque ſpiritum aſtrinxere. Et quoniam quæ ſequentur exempla nõ inferiora ſunt futura, imò verò fortaſſe etiam magis miranda, à profanis exemplis ad ſacra ſeſe vertat ſtylus.

De Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo.

QVIS verò non primas Ambroſio partes tribuerit? Qui quũ Mediolano præeſſet, præfecti titulo miſſus ab vrbe Roma, vt diſsidentes Mediolanẽ. ciuium animos religionis ergô componeret, tam egregiè operam eã præſtitit, vt mortuo vrbis Epiſcopo omniũ ſtudia in ipſum inclinarint, ſperantium veræ, Chriſtianæque pietatis cultum ſine vllo fuco ab eo traditum iri. Sed quum ille ſtatim aufugiſſet, vixque concurrentis populi impetu repertus eſſet, vel inuitus ſacræ ædi præponitur. Nec verò eſt cur ego nunc tãtam animi moderationem in D. Ambroſio maiori cura laudem, quando ille omni literarum ſtudio virtutúmque genere ita ad hanc diem excelluit, vt cœlo donatus, inter quatuor religionis noſtræ Principes iure optimo annumeretur.

De Celeſtino V. Pont. qui dictus fuit Petrus Maroneo.

SVNT in hoc vno Pont. nō pauca memoratu digna. Primùm quòd Æſerniæ iuxta Sulmonem natus eremiticam vitam intra Italiæ fines ſit ſecutus, deinde q̃ Nicolao IIII. Pont. mortuo ſub interregnum pontificatus annorū duorū longè abſens, nihilque tale animo agitans Pont. dictus à Cardinalibus ſit: quod conſtanter tamen renuens ab initio, tādem Caroli Regis pre cibus ac minis victus rem ſuſcepit. In quo tanto rerum faſtigio poſitus, quum parum aptus atque idoneus tantæ rerum moli videretur, cœpit & ille cogitare, vt relicta dignitate tam graui, priuatam iterum vitam amplecteretur. Sed quum dubitaret vtrum cædere tantæ maieſtati poſſet, amicis etiā admonentibus id ne faceret, Benedictum Caietanū ad ſeſe accerſiit, cuius hominis ea tempeſtate ingenium doctrina rerúmq; vſu præſtans haberetur. Sed dum vafer callidúſque Pōtificis cōſilium probat, ea mēte quaſi abdicanti ſeſe, ille ſuccedere facilè poſſet, relicta rerum ampliſsimarum cura in ordinem ſeſe redegit, nihil cogitās, aut quid Rex ipſe Carolus maximè vellet,

aut

aut quid totius regni populi, & proceres expeterent, nihil denique memor ducenta & amplius hominum millia ſibi affuiſſe, quo ſacro die tantam maieſtatem inierit. Cæterum illud eſt quod præcipuè mireris, quòd Benedictus Caietanus Pont. in eius loco creatus, hominem ad eremum redeuntem retraxerit, & perpetuo carceri intra Sulmonenſem arcem donec vitam finiret clauſerit. Vafro admodum prætextu, ne Chriſtiana res noui aliquid præ hominis leuitate pateretur.

De Nicolao primo Pontifice.

NVNQVAM certè ſuperioribus annis defuere viri, qui chriſtianam verã humilitatem ſecuti, ex animo ſummam pietatem & religionem in omni tempore complexi, Deum tamen Chriſtúmque eius filiũ, ſanctúmq; ſpiritum ſincere in primis profiterentur. Inter hos verò quis nõ maximè laudet, ac celebret Nicolaum primũ hoc nomine Pontificem Max. qui Benedicto viro longè optimo, & ipſe ſuccedens hanc animi moderationẽ purè in primis, & piè retinuit? Vt quum ſeſe Pontificem à Senatorio, ſacróque ordine declaratum accepiſſet, ſtatim fugam arripuerit, vixque tan-

dem poſt aliquot dies inuentus, adduci potuerit, vt tantæ rei parem ſe futurum crederet. Verùm obteſtantibus omnibus deíque Opt. Max. prouidentia factum aſſerentibus, non ſine cunctatione aſſenſus eſt.

De Gregorio primo, Pont. Max.

NEMINEM vnquam fore tam auerſum à ſacrarum rerum lectione arbitror, cui nõ Gregorij hoc nomine primi Pont. religio ac pietas à me repetita probetur. Qui Romæ natus à primíſque annis ſemper inter ſacra pientiſsimè verſatus, Pelagio ſecundo vita functo, totius cleri populíque Romani conſenſu Pont. Max. eſt dictus. Inuitus verò ille miniméque aſſentiens omnium votis, ſtatim ad Mauricium principem Conſtantinopolitanum literas miſit, quibus illum rogaret obteſtaretúrq;, ne aſſenſum ſuũ (quod tunc moris erat) pręſtare omnino vellet. Quare interceptis his literis, ſcriptíſq; ab vrbis pręfecto alijs, Mauricius, cui iampridem perſpecta erat Gregorij doctrina, ac pietas ſingularis, facilè, & libenter id Romanis tribuit. Erant verò in Gregorio dotes animi huiuſcemodi, vt neſcias quem illi adhuc æui præ-

ferre velis. Tantũ erat enim in eo ſtudium ſacrarum literarum tanta veræ pietatis cura, & religionis, vt noctes diéſque in hoc totus eſſet. Nec plura de huius doctrina commemorarim, quum extent eius hodie tam præclari ingenij plura monumenta, quæ facilè omnibus probent, nihil hac indole præclarius aut diuinius nobis ſupereſſe.

De Federico Marchione Brandemburgenſi.

QVIS quæſo mihi non lubens veniã dederit, ſi à viri ſanctiſsimi commemoratione ad Federicum Marchionem Brandemburgenſem me tranſtulero? Tanta enim huius animi moderatio fuit in aſpernãdo regno, quod Poloni vltrò illi offerrẽt, Vladiſlao eorũ rege mortuo, vt non cõtentus reiectis à ſe legatis qui hæc peterent, regẽ Cazimirum fratrem Vladiſlai illis perſuaſerit eligendum, qui tunc temporis Limaniæ etiã præerat. Quod certe Federici factum, ita à nobis literis mãdatum eſt, vt admoneri facilimè poſsint homines, quantũ modeſtię, & rerum temperantiæ ſit tribuendum.

De Ludouico XII. Gallorum rege.

SEQVETVR Marchionis Federici memorabile factũ, Ludouici duodecimi Gallorum Regis non minus celebre, quódque etiã poſteritati ſit in primis comẽdandum. Nam mortuo Carolo octauo ſine liberis, quum illi ſucceſsiſſet, qui cum grauiſsima geſsiſſet bella, captúſque ab eo carceri diu mancipatus eſſet, regio faſtigio gentis more inito, poſt Caroli mortem omnes qui in eum hoſtili erant animo, benigniſsimè ſuſceperit. Quinetiam Auralium ciuem, quẽ acerrimum hoſtem antea ſemper expertus, quum à familiariſsimo quodam ſuo bona illius peterentur, in quæ inuaderet, ſi modò Rex ipſe annuiſſet, tantum ab hoc conſilio abhorruit, vt vltrò ad ſe aduocatum hoſpitio regio acciperet, inſuper oblitum ſeſe iniuriarum omnium fateretur, quas ille in ſeſe perpetraſſet, poſt hácque ſeſe illum in amiciſsimi locum habiturum policeretur.

De ys, qui ex inimicis iuncti ſunt amicitia, & affinitate. Cap. II.

De Carolo Zeno.

VT omittam vetuſtiora, quæ ſanè plurima ſunt, & ampliſsima huiuſce virtutis exempla, exordium à recentioribus tamen li-

bentius ſumam, Carolúſque Zenus, vir ſua tempeſtate clariſsimus Venetæque Reip. præcipuum decus fœlix auſpicium dederit: qui diui Marci procurator (quæ ſuprema à principe dignitas. ſemper eſt habita) creatus, quum non multò poſt inuidorum quorundam improbitate magiſtratus illi abrogatus eſſet, carceríque per biennium incluſus foret, omnes tamen illos, & vnum præcipuè tanti flagitij authoré, quũ ęgrotare cœpiſſet aduocandum Petro filio ſuo iuſsit, venientémque tandem ita excepit, benigniſsiméque allocutus ab eo petijt ne memor illatæ iniuriæ eſſe vellet, cuius ipſe facilè obliuiſceretur. Prædicans ſe vnum hoc dolere, quòd aduerſa valetudine impeditus non poſſet illi præſtare, quod polliceretur: mandaturum ſe tamen Petro filio, vt ſe vita functo omnem illi gratiam ſemper cumulatè rependeret.

De Franciſco Foſcaro duce.

NOTIVS eſt quàm vt pluribus commemorem, Franciſco Foſcaro duci nequaquã id merito, dignitatem eam trium ſenatorum præcipuè ambitione abrogatam fuiſſe. Qui ſumma contentione in decemuirali conſilio cauſam eam attributis patri-

bus egerint. Cum igitur deſcēdens ex ducario priuatas ſuas ædes repetiiſſet, ſuos omneis pro iure ſuo admonuiſſe fertur, ne vllo tempore memores eſſe vellent iniurię tam grauis illatæ:quin potius dum tres illi ſuperſtites forent viri,optimè de eis mereri ſtuderent, quando id ſibi ingraueſcēte iam ætate & morbo, præſtare nequaquā liceret, vt quarto poſt die moriendum illi fuerit.

De Antonio Grimano qui poſtea dux fuit.

VIDIT noſtra hæc omnis ciuitas,aut certè qui nō interfuere à fide dignis certatim relatum meminiſſe debent, quod quū ipſi Antonio Grimano in Græcia rei maritimæ aduerſus Turcas imperatori publico decreto dignitas ea adempta fuerit, Nicolaus Michaël aduocator communis (ſic enim eam dignitatem præcipuam inter vrbanas appellamus) cum ſuis collegis imprmis cauſam eam ageret,cum ſumma totius ciuitatis admiratione eius in exilium mittendi maximè author eſt habitus. Vnde illi procuratoria dignitas acceſſerit. Ceterum cū mox ille maioris cū cōſilij authoritate reſtitutus patriæ foret, tametſi exilij

legem minimè ſeruaſſet, qui Romam ad filium Cardinalem profectus eſſet, reuerſo tamen in patriam dum Nicolaus ipſe procurator, non dubitauit domum illius accedere rogaréque inſuper ne præteritarum rerum memoria penes eum ſupereſſet. Statim ipſe Antonius, eum complexus eſt, nec vnquam ſe memorem futurum in ſumma omnium frequentia, qui tunc aderant pollicetur: Ad hæc inſuper addidit, non dubitaret à ſeſe ea omnia petere, quę ſibi neceſſaria forent, omnia enim libentiſsimè ſemper præſtiturum. Nec verò defuit vnquam illi etiam reſtituta ſibi procuratoria dignitate, aut poſtea quàm dux Lauretano Principi ſuffectus eſt.

De Rep. Veneta.

QVIS verò quum hæc priuata libenter leget, non etiam publicè conſtanter ſeruatum libentiſsimè audiet? Nam bello, quod cum Philippo Mediolanenſi principe geſtum à Venetis eſt, Franciſcum Sfortiam, quem infeſtiſsimum hoſtē ſenſerāt Veneti ſub Philippo ipſo militantē, nō dubitarūt illum cum ſumma etiam illius dignitate recipere. Quem etiā mortuo Philippo duce, quum imperator ille Mediolanenſium

creatus eſſet, Carauagienſémque cladem grauiſsimam Venetis intuliſſet: eum non multò poſt in gratiam receptum, vt principatum Mediolanenſem conſequeretur, enixè operam dederunt.

De eadem Rep.

AVDITVM eſſe multis reor, Cararienſium principum nomen, qui Patauinę vrbi aliquandiu præfuere. Sed cui etiam non cognitum quandoque eſt eos hoſtili plus quàm animo, plerunque in Venetum nomen extitiſſe? Cæterum ſæpius receptos in gratiam principatum eum Venetæ Reip. beneficio diu tenuiſſe? Vnum tantum nũc Herculem Ferrarienſem ducem retuliſſe hoc in loco minimè grauabor, qui etiam poſt bellum grauiſsimum indictum, geſtúmque, pacéque mox ſecuta, Venetias ſæpe petierit, hoſpitióque in ædibus, quas dono à Venetis maiores ſui acceperant beniguiſsimè ſemper ſit acceptus, publicóque ære tota familia ipſéque ad ſeſe alendum donatus ſit.

EXTERNA.

De Veſpaſiano Principe, & Licinio Mutiano.

GRAVES certè, & acerbæ feruntur illæ fuiſſe inimicitiæ, quæ intercedebant inter Veſpaſianum, bellum tunc gerentem aduerſus Iudæos, & Licinium Mutianũ, qui vniuerſæ Syriæ, & Aegypto prçerat. Quç tamen declarato Veſpaſiano Romanorum principe Titi filij ſui interuentu, ita breui ſedatæ ſunt, vt perpetuum, & conſtantem animi propenſionem in Veſpaſianum Mutianus ſemper retinuerit, & Veſpaſianus optima fide cum illo perpetuò vixerit.

De Alphonſo Legionenſi, alióque Alphonſo Caſtulonenſi Regibus.

NON deerant mihi vetuſtiora Romanæ ciuitatis exẽpla, quæ ſanè attexere hîc copioſè potuerim, verùm recentioribus commemorãdis, quç gratiora iucundioráq; legẽtibus futura arbitrer, immorari placuit. Duo igitur Hiſpani reges eadẽ in Hiſpania tẽpeſtate florebant, Alphonſus Caſtulonenſis, & alter Alphonſus Legionẽſis reges, qui infeſtiſsimis inter ſe diu vixere animis, ij verò Heleonorç opera poſtmodum reconciliati, quoad vixere mutuo inter ſe amore, cum omnium populorum admiratione celebres ſunt habiti.

De Roberto Viſcardo Apuliæ duce & Nicolao II. Pont.

VENERAT nō multò ante in terrā Italiam Robertus cognomēto Viſcardo Normanici vir ſanguinis, vexabátque is interea magnam Apuliæ Calabriǽque partem armis, quam ſibi & poſteris parare ſtudebat. Hanc externi hominis audaciam penitus tollere omni ope, ac ſtudio Nicolaus Pōt. II. enitebatur, quē etiam Pont. diris perſequi non dubitauit. Interea grauibus bellis inter vtrunque exortis, ita tandem accidit, vt Robertus ipſe Pont. maieſtati ſeſe lubens volénſque ſubiecerit, & Nicolaus ipſe Robertum in gratiam receperit, donatum iure, quod dicunt, feudi multis Apuliæ & Calabriæ oppidis. Quare Robertus eiúſque poſteri, Romanis Pont. magna ex parte grati in primis beneficiíque memores vixere.

De Carolo ſexto Gallorum, & Ricardo Britannorum Regibus.

QVIS neſcit inter Britannos, qui nunc Angli dicuntur, & Gallos inteſtina diu fuiſſe odia mutuíſque bellis ſæpe inter vtróſque laboratum? ſed Caroli tempeſtate

Galliæ regis, & Ricardi Britanni exarſiſſe maximè inter ſeſe odia: qui tamen nō multò poſt mutuis colloquijs agentes, ita ſeſe geſſere, vt non modò inimicitias depoſuerint, ſed contracta etiam affinitate Ricardus rex Iſabellam Caroli ipſius ſexti filiā vxorem duxerit, vnde pacatis inter ſe animis diu vixerint.

De Ludouico Gōzaga Mantuæ Principe, & Bernabone Vicecomite.

ERANT hi duo Principes intra Italiæ fines ita finibus imperij vtrique iuncti, vt fratres eos appellare quandoque poſſes, qui tamen mutuis inimicitijs non multò poſt ardentes grauia bella inter ſe geſſere, quę tādem inter vtrunque ita compoſita ſunt, vt Bernabo ipſe nepte ſua in vxorem Vgolino data, qui nepos Ludouici ipſius erat, ſumma poſtea charitate Ludouicum Marchionem fouerit, ea conditione, vt accipitrem annui cēſus loco daret Vgolinus, Feltrinúſque ipſe interim Lepidiregium viuens obtineret.

De Alphonſo Rege Siciliæ, ac Philippo Mediolanenſi duce.

NON poterant certè non vehementer admirari homines eius ętatis, qui ſub duobus principibus iſtis agebant, tãtas ſeſe diſcordias, tantáque odia inter Alphonſum Regem & Philippum Mediolanenſem ducem extare, vt non facilè perſuadere illis poſſes, quod poſtea fœlicisſimè ſecutum eſt. Capto enim Alphonſo cum duobus fratribus ad Caietam, multíſque alijs Hiſpaniæ Principibus viris Blaſij Acſaretis Genuenſis, ductu Philippíque ipſius auſpicijs, poſtea Mediolanum captiui ducti reges eſſent, vt nunquam exolui liberaríque eos poſſe crederes. Tandem non multo poſt à Philippo non ſolum dimiſsi omnes, ſed etiã perpetuo inter ſe nexu vincti, quando nec Alphonſus Philippo, nec Philippus Alphonſo, vnquam defuerit. Tanta enim beneuolentia, tantíſque beneficijs mutuis dum ſuperſtites fuere, vixerunt, vt vtrunque eodem patre, eadémque matre genitum crederes.

De Venetis, & Iulio Pont. Max.

NON poſſum equidem meminiſſe ſine graui acerbiſsimóque animi dolore Iulij Pont. II. qui Veneto nomini aliquãdo paterna charitate fauens, mox eiſdem Venetis

infeſtiſsimus(nec cauſas interim tanti odij enumerauerim,)vniuerſæ Europæ principes,ac reges in Venetum Senatum concitarit,quo regum fœdere inito victis Venetis ad Abduam amnem memorabili prælio,author ipſe fuerit, & princeps, vt vniuerſo imperio , quòd in continenti nobis multos iam annos erat,potiretur hoſtis,finibus inter ſe diuiſis. Quod tamen odium Dei Opt.Max.ope Iulius ipſe non diu retinuit. Quare reconciliata gratia , cum aliorum legatorum Romam venientium,tũ Hieronymi Donati opera,ſic euenit,vt recepto magna ex parte Imperio in hunc diẽ in ſumma pace , & ocio Veneta Reſpublica floreat.

De abſtinentia, & continentia.
Caput III.

VERSABITVR nunc oratio noſtra, in ea exemplorũ parte receſenda , cui tu parta regna,& imperia, ſeruatáque & mirum in modum aucta imprimis tribuas. Quis enim neſciat ſi Veneris vſum intra limites ſuos cohibeas , & ipſi cupiditati non obedias,futurũ vt omnia fœliciſsimè mortalibus ſuccedãt? Ipſa hæc enim abſtinẽtia eſt, quã ſi à teneris annis adoleſcẽtes imbibãt,

prouectioréque mox ætate cõſtantius retineant, facilem ſibi ad omnem virtuté amplectẽdam aditum parent, ſummámque ſibi omnium beneuolentiá concilient. Exordior igitur ab noſtro vno exemplo huiuſce virtutis quod maximè memorabile ſit, ſuíſque numeris omnibus planè abſolutum.

De Nicolao Iuſtiniano.

MIRA, & incredibilia penè viſum iri quandoque dubito, quę mox ſubijciam, & tamen ea ſunt omnia, in quæ annales omnes noſtri cõſtãtiſsimè inclinent. Redierat Vitalis Michaël dux ex Gręcię prouincia, in qua bienniũ fermè ĩmoratus fuerat aduerſus Manuelẽ Cõſtantinopolitanũ principem, redierátque cũ ipſa claſſe penitus exhauſta, vt nõ nautæ, nõ pręfecti, non reliquus vllus apparatus ſupereſſet, ſiue peſtilentia idipſum accideret ſubitò exorta, ſiue aquis veneno omnibus infectis Manuelis opera, in quas Veneti incurrerent. Sed præter alia incommoda illud fuit longè grauiſsimum, quòd Iuſtiniana omnis familia ad internecionẽ vſque perijſſet, nemine domi relicto virilis ſtirpis, in quo familiæ reſtituendæ ſpes vlla foret, id quod

ſæpe animo reputans Dux ipſe tandem id occurrit ſupereſſe vnũ Nicolaum, qui Benedicti religionẽ iam aliquot annos profeſſus eſſet, ſed & ſibi vnicam ſupereſſe domi filiam, quam deſpõdere illi cuperet, ſi per Alexandri Pontif. Max. gratiam illi daretur. Cui petitioni Pontif. aſſenſus eſt, reſtituendæ tantæ ſobolis honeſtiſſima cauſa. Quare quum ex eo fœlici cõiugio mares liberi, & fœminæ aliquot æditæ eſſent (dictu mirum) & Nicolaus ipſe, & vxor eius Fœlicia de ineunda religione iterum cogitare cœperunt. Sic igitur ad diui Nicolai in littore, maritus redijt, ſacris iterum imbuendus, & vxor ipſa non longe à Torcello cœnobium extruxit, quod diuo Adriano dicatum eſſe voluit. Quanta igitur in vtroque abſtinentia, quàm legitimæ Veneris vſus, vt nullis opibus, vt nulla cupiditate flagrãtes, in deum ipſum conuerſi tantũ, in recepta religione vterque deceſſerit?

De Aloyſio de Caballis, Patricio Veneto.

ERIT & hoc eiuſdem ferè laudis exemplum, quod clarũ celebréque Venetijs noſtra ætate extiterit. Siquidem Aloyſius

ipſe, & ipſa vxor Patritij ſanguinis, vno eodémque conſenſu, nunquam in vnum cõuenere, niſi ſobolis procreandæ cauſa, vt quáuis ſimul hoc nomine iungerentur, nil tamen Venereæ licentiæ ſit vnquam datũ, interulis ſuis ita interim amicti, vt non facilè altera alterum tangeret nuda corporis reliqua parte. Quas quæſo mihi tu Veneris faces? quos ardores & ignes huic tantæ abſtinentiæ tam alienatæ mentis conferre auſis? memor igitur frequenter eſto, Aloyſij vxoríſque eius, quicunque ad hoc tantum decus contendis.

De Carolo Zeno.

VENIAM nunc ad alteram diuerſiſsimam abſtinentiæ partem, in qua certè neſcias plus ne honoris, & gloriæ inſit, quàm in ſuperioribus à me recitatis. Certè tamẽ ijs, qui in Rep. cũ magna laude verſari velint, ipſiúſque Reip. legitimo vſu nulla ſit neceſſaria magis, nulláq; quæ ĩ ſummis imperijs verſanti occurrere animo ſępius debeat. Huius rei exemplum Carolus Zenus inſigne tibi perpetuáque memoria colendum præbuerit. Qui Patre Petro impe ratore longè clariſsimo æditus, quẽ Morbaſſanus Turcarum princeps ad Smyrnã im-

improuiſo tumultu fortiſsimè pro Chriſti Religione pugnantem occiderat, ſtatim à primis annis ſic literis imbutus eſt cognatorum opera ingeniíque fœlicitate, vt adoleſcens apud Clementem Pontif. Max. qui tunc in Gallia Auenioni agebat, eam orationem habuerit, qua vna habita tanta admiratione Pontificem affecerit indole tam fauſta captum, vt non dubitaret Patrēſem dignitatem illi demandare, quam ille aliquot poſt annis multis præclarè geſtis in ea prouincia ſua ſponte poſtea reiecerit. Ille verò non multo poſt ex Gallia Ciſalpina (quod imperium in Ciſalpinę Gallię parte lōgè ampliſsimum erat) vbi aliquot annos apud Galeatium Mediolani principem totius eius imperij cuſtos verius quàm præfectus dicēdus, qua de re aliàs egimus, in Patriam reuerſus, poſt ampliſsimos magiſtratus innocentiſsimè in ea geſtos, maritimis rebus omnibus imperatoris nomine præficitur, in quo ſe aduerſus Genuenſes acerrimos tunc hoſtes ita geſsit, vt luſtrata ſuo ductu, vaſtatáq; magna ex parte omni Liguriæ ora, mox etiā naui eorū cognomento Bichinionia, quę ea tempeſtate, & magnitudine ſua celeberrima atque inuictiſsima credebatur, opibus, ſuprà quàm

credi poſsit referta ab ſe expugnata, vulneribúſque aliquot inſuper in eo prælio acceptis, ad Clodiam reuocatus à Patribus opportunè imprimis applicuit, ſi quidē hoſtis eam vrbem ita occuparat, vt Contarenus Princeps præſens, cum omni ſenatorio ordine & reliquis adeſſet. Primùm igitur relatis coràm, quæ à ſe geſta forent, mox Summa auri copia in principis totiúſque Senatus conſpectu expoſita, quod ex hoſtili prędа aſſecutus erat, eam operā in expugnandā Clodiā præſtitit tum mari tum terra, imperator etiam exercitui datus quādo Acutius dux Senatum fefellerat, vt non multo poſt fuſis fugatíſq; omni ex parte Genuēſibus, Venetię ipſę veterē ſuā libertatē & dignitatē retinuerint, vt meritò patriæ ſuæ pater dici, appellaríq; poſsit. Prętereo nunc ex Bucicaldo Gallico homine, qui tūc Genuēſi præerat claſsi præclaram victoriā iuxta Methonem partam, memorabiléque prælium æditum, & alia innumera eius facinora, quòd iam ſenex Hierosolyma ipſa inſigni pietatis argumento petierit, quòd Cyprum inſulam Liguſticis armis oppreſſam præſens ipſe vindicarit, Regíque cōclamata penè re, aſſeruerit: ex quibus tot tantíſq; rebus geſtis filio tamen

ſuo, & nepotibus moriens eas opes reliquerit, quæ vix mediocrem ciuem ſuſtentare aleréque poſſent, vt vnius Caroli exẽplo admoneri omnes valeant, quid quantúmque patriæ debeamus ipſi.

De Petro Lauretano.

AEMVLVM hunc ipſum Caroli Zeni ꝓpè dixeris Imperatorẽ, qui Turcico bello rei maritimæ præfectus Imperatoris titulo Iulijs Calendis inſigni prælio claſſem immaniſsimi in nos hoſtis primus omnium ſuperarit. Qui poſtea ad Rapalũ Liguriæ Genuenſium claſſem cum ipſo Frãciſco Spinula Imperatore, cũ aliquot præclaris ex Genua viris in captiuitatem redactis fœliciſsimè oppreſſerit. Poſtremò domum reuerſus procuratórq; creatus (quæ ſumma à principe dignitas habetur) claſſiariorum, qui ad tria milia & amplius conuenerant, vino incaleſcentem, ſeditionem turbulentiſsimam in area Marciana concitatam, quæ nullis magiſtratuũ, aut principis imperijs ſiſti poterat, ex ædibus procuratorijs repente adueniens ſua præſentia penitus ſuſtulerit. Suſpendio etiam nautis quibuſdam priuato edicto affectis. Cuius quidẽ opes tantę taléſq; ſum-

mi alioqui ciuis extitere, vt vix hæredem inuenerint.

De Franciſco Barbaro.

FLORVIT eadem tempeſtate Franciſcus Barbarus Hermolai auus, diuerſa tamen in parte laudis. Nam Grecis, latiníſque literis inſtructus, partibúſq; alijs præclarus, in Brixienſi prætura, quam gerebat Gallico bello, quod à Philippo Mediolani duce imminebat, id animi robur, eã abſtinentiam præ ſe tulit, vt triplici circumuentus malo, per totum ferè præturæ ſuæ tempus, peſtilentia, & fame grauiſsima, & acerrima, hoſtíſque arctiſsima obſidione vinci nunquam frangíve potuit, cum ſumma etiã Philippi ipſius reliquorúmque hoſtium admiratione & laude. Námq; ingrauefcente peſtis vi, ædes eius vnicuíque ſemper volenti patuerunt, ipſe accedente fame miſerabili, prandium, & cænam in propatulo conuiuis etiam adhibitis Brixienſibus ſemper ſuſceperit, pane, vinóque appoſito ſibi tantum extera alijs largius exhiberentur. Vnde illi aduerſus hoſtẽ ſeſe oppugnã tem tantus amor, & charitas Brixienſibus omnibus acceſsit, vt matronæ etiam in mœnibus fortiſsimè pugnantes lætæque corã

ſeſe illi oſtentarent, illatáque vulnera æquiſsimo ferrent animo. Quid tu igitur in hoc viro non laudes?aut genus abſtinentię in eo nō prædices? Qui toto ſuæ præturæ tempore, ne obolum quidem à Brixienſibus vllis exactum eſſe voluerit, quem ipſe acceptum ferret. Fœlices Zachariæ filij & Hermolai nepotis manes, fœlix & eorum prę ſens vita, qui ab eo fluxere, quũ tã illuſtrem abſtinétémque virum, inſignémque patritium aſsignare patriæ poſsint.

De Leonardo Lauretano Principe, & eius liberis.

NON dubitabam defuturos fortaſſe mihi calumniatores, qui (vt ſunt mortalium ingenia in malum proniora) quum meminerint quantum Lauretano Principi, ac familiæ illi debeã, ſuſpicari poſsint me plus priuatis eius in me meritis quàm publicis debere. Sed ſi penſitauerint ſecum reliquas eius principis laudes, tum minus aliquid datum à me ob ingenij tenuitatem facilè æſtiment. Vtcunque ſit dabo ſemper operam, vt veritati præcipuè ſtudeam, de referenda autem gratia alia in vitæ meæ parte cogitabo. Fuit igitur Lauretani Ducis vita

cum aliàs aliis laudibus inſignis, tum verò hac vna abſtinentiæ laude memorabilis, quam etiam liberi eius, imitari retineréq; ſemper ſtuderunt. Neque enim munus do númque aliquod inferri intra ædes ſua ſpu blicas paſsi ſunt, nulla publicæ, nulla priuatæ pecuniæ veſtigia ſunt viſa, quæ iniuſtè obſeruari poſſent, ꝙ liberi quoque eius poſt xx. principatus patris annos conſtantiſsimè dum viuerēt ſunt amplexi. Vacabat ille ſemper publicæ dignitati, vt priuatæ gratiæ nihil vnquam tribueret, quod ſupplicia ex patriciis non paucis ſumpta facillimè declarant.

De Dominico Triuiſano procuratore.

SI priuato meo teſtimonio, ſi publicis muneribus, quæ ipſe Dominicus fœliciter obiit ad extremum vſque diem, credas, tecúmque diligēter repútes, non poteris nō gaudere tam præclari viri memoriā ſæpius tibi occurrere, qui vniuerſa Europa, & magna Aſiæ parte à ſeſe luſtrata dū publicis muneribus obeundis vacat, domi quoque magiſtratibus omnibus cum ſumma innocentiæ fama obitis, diui Marci procurator tandem totius ciuitatis aſſenſu declaratus

eſt. In quo etiam magiſtratu Imperatoria rei maritimæ totius maieſtatē, ſua ſumma cum laude adeptus eſt. Hoc vnum ad abſtinentiæ eius laudem declarandam fortaſſe ſuffecerit, quum legationis munere apud Innocen. Pont. Max. fungeretur, illiúſque Pontifex liberis ampliſsimas dignitates, & opulētiſsima ſacerdotia vltro offerret, nūquam adduci potuit, ne abſens poſtea quidem, ab ipſo Pon. requiſitus, vt aliquid dari ſibi paſſus ſit. Erant illi quidē liberi mares ſex, erant priuatæ rei fortunæ non grandes, quæ tamē omnia pellicere eius animū non potuere, vt minimè mirandū ſit ſi gratiſsima ſemper in omnes Veneta Reſp. eādem procuratoriam dignitatem Marco Antonio eius filio aſsignandam curarit.

Externa.

NVLLVM certè mihi argumentū ad inſtitutum à me opus, aut iucūdius, aut optatius occurrere ſcribenti poterat hoc vno ipſo, quo ſanè & chriſtianę veræ pietatis argumenta, ad tollendas duas humani generis teterrimas peſtes auaritiam, & nimium veneris ſtudium exempla continentur: in quibus primum ſibi locum vendicauerit (antiquitate etiam ipſa temporum ſuffragante) Habraami nepos Ioſippus.

De Ioſippo.

HIC igitur fraterna ambitione dolóque in ſeruitutem Ægiptijs datus, iuuenis adhuc præſtanti forma placere cœpit vehementius dominæ ſuæ, cui ſeruiret. Blandicijs igitur, ac precibus, omníque alia huiuſcemodi arte adhibita, quum fruſtratã ſe neglectámq; cõſpiceret, mutato in odium amore, marito detulit veluti illam in libidinem cogere tentaſſet. Cui facilè credens maritus quum grauibus pœnis ipſum Ioſippum etiam atque etiam afficeret, neque quicq̃ ipſa vxor hoc aſtu proficeret, tandẽ re ipſa planè cognita (vti fermè vſu euenire ſolet) adoleſcentis virtus, ac probitas magis magíſque enituit. Iuuene igitur hoc ipſo ad maiora rerum faſtigia prouecto, vxoréque ipſa à marito interempta, adeo Ioſippi nomen celebre, charúmque fuit, vt inter ſuos tandem agnitus, principatum facilè ſuæ gẽtis meritò ſit adeptus regio ſuffragio, & commendatione etiã honeſtatus.

De Totila Gothorum Rege.

ADMIRABVNTVR ſanè multi, quũ Ioſippi adoleſcentis facinus, & tam memorabilem eius continentiam legent. At verò

cùm Totilam Barbarum planè hominem, Gothorúmque Regem, tam præclari facinoris æmulum audierint, quis (quæſo) nō obſtupeſcat? Deſciuerat ab hoc ipſo Romana ciuitas, in cuius poteſtate aliquādiu fuerat, quo nuncio ſuccenſus: armis ſtatim correptis, coactáque ingēti ſuorum manu, Romam vrbē obſidere cœpit. Verùm inde re infecta in Cāpaniam abiens, Euboicáſque Cumas vi capiens, quum in Romanas matronas & virgines complures longè pulcherrimas (quæ fortè eò conuenerant) incidiſſet, tantum abfuit ab illarum pudore violando, vt omnes eas ſub diligēti cuſtodia patriæ reſtituendas curarit.

De Henrico primo Germanorum Imperatore.

ET quoniam Totilæ Regis mentio à me facta eſt, dabitur, vt opinor, hoc facilè mihi, vt Henrici primi Germanorum Imperatoris facinus longè celeberrimum, in obſcurum per me non lateat, addito huic Chinegundæ vxoris puellæ adhuc, illi nuptæ, non minus memorabili. Vixere igitur mutuo conſenſu multos annos, ita in vno eodémque thoro, vt nec ille ſibi quicquā

maritalis in eã iuris vendicarit,& illa nullas amoris faces experiri vnquam voluerit. Quæ res eò certior exploratiórque nobilis eſſe debet,quòd mortuo marito vxoréque,plurima effulſere miracula,quę tantæ támque mirabili caſtitati teſtimonium cœlitus prædicerent. Quod ipſum in Almaricum quoq; Pannonũ Regem qui primus Chriſtianá pietaté inter eos regij ſtẽmatis eſt cõplexus, incidit, quod certiſsimis literarum monumentis ſit proditum.

De Franciſco Sfortia Mediolanenſi poſtea duce.

ACCESSERIT ad commemorationẽ tot regum, Fráciſci Sfortiæ præclarũ illuſtréq; continentiæ exemplum,qui Florentini populi adhuc iuuenis dux exercitus, puellã egregiæ formæ à ſuis captã,ad ſéq; ductã,noctu ſecum in lecto habuit. Cuius pudicitiam tentandam aggreſſus, quum gementem illam, obteſtantémque audiret, ne ſe maritíque ſui iura violaret, ſtatim dimiſit incolumem: ipſique marito, qui inter captiuos in caſtris erat, integram datis etiam muneribus non exiguis reſtituit. Hic enim adoleſcens à patre Sfortia acceperat, vt à triplici facinore ĩ primis abſtineret. Primum ne alteri nuptã vnquam

attingeret. Tum ne ſeruum domi diu habitum, virúmque iam factum verberaret. Quod ſi fortè incidiſſet, ſtatim verò à ſe dimitteret perſoluto illi omni quod deberet precio laboris operæque ſuæ. Poſtremò ne calcitronē equũ vllũ pateretur quo ipſe vti vellet. Quæ omnia à patre Sfortia accepta, diligētiſsimè dum vixit obſeruaſſe fertur.

De Clemente quarto Pont. Max.

CLAVDET Clemens quartus Ponti. Max. poſt tot reges, principéſque à me cōmemoratos, non ſolùm pro dignitate illius, quæ ſemper prima habita eſt, ſed rei quoque ipſius magnitudine celebrandum ſemper exēplum, quo vno auaritia noſtrorum temporum coërceri tenacioribúſque frenis cohiberi poſsit. Qui Narbonæ in Gallia natus, iuréque conſultus aliquandiu in patria inſignis, mox verò Pon. Max. iure dictus eſt. Ad quē quũ duæ, mortua iāpridē vxore, peruenisſent è Gallia filiæ, petētes pro patris ipſius dignitate maritos ſibi dari: nōnullíq; alij propinqui præſto eſſent, qui grādia ſacerdotia, & dignitates tribui ſibi expoſcerent, ita omnibus reſpōdit, vt quamprimum à ſe abirent, paternæque rei, quod ſibi reliquum ſupereſſet æquis portionibus inter ſe diuiderent.

Quo reſponſo, & filiæ in ſacra loca Chriſto dicata conceſſere, & affines, cognatiq; raptim natale ſolũ repetiuere. Huc tu igiť Alexander VII. huc Sixte Pont. huc Iuli intendite animum, hũc imitamini ſi poteſtis, nec Chriſtianam rem vobis cõmiſſam, perditam penitus profligatámque eſſe patiamini.

De paupertate. Cap. IIII.

REM (vt video) longè omnium difficillimam, quæ tamen, ſi mortales aliquãdo ſaperent, non cõtemnenda, ſed paſsim ab omnibus amplectenda foret, vel quod Chriſtum humani generis redemptorem Dei filium eius cõplectendæ autorem habeamus, certiſsimúmque vitæ magiſtrum noſtræ, vel quod ſuos diſcipulos amatores huiuſce conſtantiſsimos habuerit: ne in preſentia commemorem, veteres Ægyptij eremi cultores, & in his Principem Paulũ, Antonium, & Hilarionem, innumerámq; illam manum, quæ diu per tot ſecula floruerit. Nec verò nũc locus mihi eſt commemorandi Benedictos, aut Franciſcos, aut Dominicos, qui Patrum noſtrorum ætate, dote hac animi præcelluerũt, vnde illis fœliciſsima quæque contigerunt.

De Vrſo Patriciaco duce.

AGE nunc illuſtrium virorum exemplo, ad hanc laudem aſſequendam, vt accedere facilius omnes poſsint, breuiter demonſtremus. Eſto igitur princeps & caput huius amplectendæ virtutis Vrſus Patriciacus Dux, qui Saracenico bello fœliciſsimè defunctus. Narentaníſque infeſtiſsimis hoſtibus domitis, cõciliatóque ſibi Vulperto Aquileiẽſi antiſtite, ne poſt hac vlla in Põtificem Gradenſem contentionis cauſa ſupereſſet, Réque publica optimè compoſita, monaſticam vitam eſt amplexus. Quo exemplo admoneri omnes poſsint, nõ opibus, non auri copia, ſed paupertate, & vera, quæ ſequitur ex ea, pietate, ad ſuperos promptum, paratúmque gradum eſſe.

De Petro Vrſeolo duce.

COMMENDATA eſt ſuperius à me Petri Vrſeoli Ducis animi moderatio: ſed quis non videat, & hac in parte iuſtiſsimũ illi locum tribui poſſe, qui in ſummis opibus, fortunarúmque omnium fœlicitate, relicta vxore & filio propoſitum animi ſui ignorante, vnius paupertatis ſtudio, præcipuam paupertatem induerit animum? Aquitaniam igitur petens, duobus generis

Mauroceno,& Gradonico comitatus,Romualdúmque & Guarinum Duces tanti itineris ſecutus,cœnobio Diui Michaëlis de Cuſano ſeſe addixit, ſuíſque generis diſcedentibus, dum maiorem fortunam illi ſibi quærunt, nunquam adduci potuit,vt opibus quamuis ampliſsimis,paupertatem non anteferret cœptã. Meritò igitur poſt octauum, & decimum annum ibi peractum,miraculis clarus, cœlum, vnde venerat repetijt,celeberrima ſui nominis inter eas gentes fama.

De Vitale Candiano duce.

QVIS vnquam credere potuiſſet Vitalem Candianum à populo Veneto paterna Ducis dignitate donatum iri,quem populus ipſe attrociſsimè trucidarat,cum latente filio nihil tale merito,& tamẽ in Vrſeoli locum ſurrogatus totius ciuitatis ſtudio,Rep.alioqui in ocio,& ſumma pace relicta,diui Hilarij cœnobium præponere tantæ dignitati non dubitauit, vt quando morbus ingraueſceret, moriendúmque ſibi cognoſceret, paupertatis à ſe adamatæ beneficio, faciliorem reditum ad cœleſtes ſedes ſibi fore probaret.

De Tribuno Atemo duce.

NON defuere certè huic Duci in ſuo principatu variæ ciuium contentiones ciuiléſque Caloprinorum, & Mauroceno-rum diſcordiæ:quas tamen omni ſuo ſtudio componendas curarit. Quibus compoſitis,quietis ociíque cupidus, paupertatíſque fouendæ ſtudioſus, & ipſe diui Zachariæ cœnobio ſeſe ita incluſit,vt ibi ſupremũ finierit diem. Vt omnino fallantur ij mea ſententia, qui coactũ illum à populo, vt relinqueret ducis dignitatẽ aſſerant.

De Aureo Maſtropetro duce.

TANTA fuit in hoc duce poſt Sebaſtiani Ciani fatum, (quem ſibi propoſitũ eſſe voluit)pietas,tantáque religio, & paupertatis retinendæ cura,vt poſt Remp. domi foríſque per multos annos adminiſtratam,non dubitarit Monaſticam vitam cunctis alijs inſtitutis anteferre. Clam igitur depoſita Ducis dignitate, Sanctæ Crucis cœnobium petijt, vbi hodie quoque ſepulchrum eius viſitur.

De Paulo Barbo procuratore.

NON grauabor hac in parte memoriã Pauli Barbi viri Patricij Sanguinis clariſſimi,poſteritati tradere,proximúmque tot

ducibus à me relatis inſerere. Vixit igitur hic noſtra ętate magiſtratibus omnibus in ſumma innocentia defunctus, quos gratiſſima ciuitas demãdare optimis quibúſque ſoleat: quem tamen etiam diui Marci Procuratorem ſuis ſuffragiis eſſe voluerit. In eo igitur tantus opum, diuitiarúmque contemptus extitit, vt quanuis octuagenarius deceſſerit paupertatis tamen ſtudium reliquis aliis omnibus antetulerit.

EXTERNA.

OFFERVNT ſeſe certatìm nobis, tot & tam inſigna ſobrię paupertatis à religionis noſtræ primordio, ad noſtram vſq; ætatẽ exempla, vt vnde primum auſpicium ſumã, cuíve imponam finem neſciam. Exordiar igitur ab ipſius Chriſti diſcipulis, qui ſumma fide præcepta eius coluere, vt neminem fore putem, qui nos vanitatis accuſet. Petro igitur, & Paulo principibus Apoſtolorum, qui conſtantiſsimè Chriſti redẽptoris inſtituta cõplexi ſunt in præſentia omiſsis, quis nõ primum locum iure Matthæo tribuat? Qui quæſtuoſiſsimum publicani munus à Chriſto vocatus reliquiſſet, ingentéſque neglexiſſet opes, in eo ita propoſito quoad vixit perdurarit, vt nihil vnquã diuitiarum amplitudini tribuerit,

Chriſtíque

Chriſtíque acta, & mores diligentiſsimè perſcribens, Apoſtoli & Euangeliſtæ duplici munere perfunctus, in cœleſtes emigrarit ſedes.

De Bartholomæo Apoſtolo.

REGIO hic (quis vnquam crederet?) ſtemmate ortus, audita ſemel Chriſti voce, illi, faſtui omni perpetuo dicto vale, relictíſque regijs opibus adhæſit, vt nunquam poſtea ab incœpto diuelli potuerit. Hunc neſcias an ipſi etiam Matthæo præponere velis, qui priuatum aurum ſuum priuatáſque opes contemnere auſus eſt, hic verò Rege natus, regiam ſtirpem, regiáſq; opes claritatémque nominis neglexit. Vtcúmque ſit, inſertus piſcatoribus hominibus cultu, alia multò grauiſsima paſſus eſt: tũ ne Chriſti diſcipulum ſeſe negaret, coram regibus prius à capite ad calcem excoriari ſeſe paſſus eſt.

De diuo Alexio Patricio Romano.

QVANTVM paupertas ipſa diuitijs antecellat, Quiritij ſanguinis Alexius facilè oſtenderit, memorabiléq; mortalibus exẽplum præbuerit. Qui Romæ præclaro genere ortus, ex vrbe Syriam petens, multóſ-

que ibi annos paupertatis ſummo ſtudio agens, mox vrbem ipſam incognitus omnibus repetens, ab ipſis etiam paternis ędibus quotidiana ſtipe alitus, in ſumma animi tranquillitate diu vixit. Nec vnquam ab vllo cognitus eſt, donec mortuo illo chirographum eſt inuentum, ex cuius contextu res omnis patefacta ſit.

De Beato Franciſco Aſiſiate.

PRAETERMISSIS in pręſentia Paulo Eremiticę vitæ authore, & Antonio, & Hilarione innumeríſq; alijs, qui diu celebres in Aegÿpto vixere, præcipui paupertatis amatores: Franciſcum vnum Aſiſiatem recentioribus ſæculis æditum huc inſeram, qui obluctante patre, paternáſque opes ſępius oſtentante, Ioannis Bonimantui intra Italiæ fines Eremiticam vitã profitentis, authoritatem ſequi maluit. A quo edoctus vnam paupertatem amplecti, ſic diuino afflãte ſpiritu, adeò poſtea claruit, vt nullo nunc loco ſectatoribus illius non occurras: qui nudis ingredientes pedibus, vnáque tunica contẽti argentum ipſum, & aurum adeò negligant, vt nephas ſit illis manibus ſuis contrectare. Quorum vitam principes viri, & nobilitate diuitiiſq;

præcellentes, colere in hũc vſque diem, & eorũ veſtigia ſectari non dubitent. Nunquam inficias ierim Caſsinatam familiam à diuo Benedicto inſtitutã ſanctam in primis, & verã, eximiámq; religionis cultricẽ, ad hæc vſque tempora extitiſſe, incorruptámq; ſic hodie florere, vt eam certè non poſsis cum admiratione & laude nõ perſequi. Accedit ad hãc & ipſe Dominicus diuini propoſiti vir, qui ſuos ſectatores illuſtres, ac celebres cum vitæ ſanctitate, tum doctrina non paucos habuerit. Sed neſcio quo dicam fato tam diuturnam, támq; conſtantem religionis noſtræ pietatem, paupertatíſque ſummum ſtudium, noſtra hac ætate non omnibus probari.

De diuo Nicolao.

PATARA Lyciȩ vrbs, clara olim Apollinis oraculo, Nicolaum ipſum tulit. Qui parentibus ortus præclaris, & ditibus, poſt adoleſcentiam ſanctè piéq; peractam, mortuo patre animum ſtatim in Deũ propenſiſsimũ habuit. Vſq; adeò vt iam tum adoleſcens, omni ſtudio, veræ religioni ac pietati vacaret. Vnum eſt eius memorabile factum, præter cætera, quòd proximum ſibi hominem de trium filiarum proſtitu-

tione cogitantem, vnde ſibi victum quęreret, immiſſo clàm per feneſtram auri non leui pondere, à tam ſcelerato propoſito retraxit. Vixit autem hic Mirenſis epiſcopus ſumma religionis & pietatis laude, claruítque tumba eius magna miraculorum copia, donec multis poſt ſæculis tranſlatis eius oſsibus, Barrum Italię vrbem celeberrimum in hunc diem extet.

De diuo Magno Heraclienſi Epiſcopo.

OCCVRREBAT mihi hęc ipſa ſcribenti ſæpe D. Benedicti memoria, à quo velut à fonte, reliquæ quoq; monachorũ familię ſuũ ortum ſuámq; deriuarunt originẽ: ſed Magnus ipſe hoc nomine dictus, Antiſtes Heraclienſis, de Veneta prouincia optimè meritus, nos ab hoc incœpto retraxit. Cuius vitę ſanctitas tantũ apud Venetos valuit, vt diuinitus monitus exiſtimetur, ad templorũ varia fundamenta iacienda, quæ Venetijs hodie etiã viſantur. Diuo igitur Petro Oliuoléſi templi primum ab eo fundaméta iacta: mox ſuo ſtudio, & impenſa, D. Mariæ extructa eſt ædes, cui formoſę cognomento ſit. Nec ſeruatori noſtro in occulatiſsima vrbis parte, extruẽdi

templi cura ſtudiúmq; illi defuit.Par quoque alacritas in excolendis templis D. Ioanni Baptiſtæ Raphaëlíq; archangelo , & duodenis Apoſtolis illi affuit,donec in ſũmo paupertatis ardore moriens,cũ ſummo totius prouinciæ dolore, & fletu,Venetias tandẽ trãſlatus eſt: illiúſq; oſſa in D. Hieremię tẽplo hodie iaceãt,quę ſũma mortaliũ frequẽtia piẽtiſsimè à Venetis colãtur.

De diuo Gregorio Pont. Max.

NVNQVAM te diue Gregori, vel propter excellentem animi tui pietatem , vel propter eximiã, pręſtantémq; doctrinam ſilentio præterierim : qui nobili claróque loco inter Romanos ſenatores ortus, iam tum à primis annis eam indolẽ prę te tuliſti futuræ bonitatis, & religionis, vt te iuuenem Romana omnis iuuentus ſumma virtutis admiratione ducem haberet.Quare non immeritò te Romana ciuitas inuitum, reluctantémque ſumma contentione & admiratione dixerit. Taceo nunc quam ingenij vim,taceo diligentiam tuam in bonis omnibus tuendis , eorúmq; ſanctè colenda memoria. Illud verò nunquam ſilere potero, vt Auguſtinus ipſe doctrina in primis excellat,vt diuus Hieronymus lin-

guarum peritia, & rerum copia præſtet, vt Ambroſius ſummo pietatis ſtudio floreat, tu certè inter quatuor vnus es qui humanę vitæ, moribúſque optimè cõſulueris. Declarant id moralium libri à te ſcripti, declarant tua in D. Iob commentaria, & homiliæ in euangelia conſcriptæ. Sed paupertatis tuæ ſtudium in tanto Pontificatu conſtanter à te retentum, in mortis vſque diem, teſtatum poſteris & ipſe à me volui.

De verecundia. Cap. V.

ERIT certè ab ipſa paupertate fœliciſſimus ad verecundiam, pudorémque tranſitus. Eſt enim pudor virtutum omnium tum priuatim, tum publicè cuſtos, atque magiſter: quem ſi negliges, nihil vnquam cum laude tua egeris. Qui quanuis in pueris præcipuè requiratur, ita tamen per omnes ætatis gradus exigitur, vt etiam regna, réſque publicæ reliquáque imperia decus hoc ipſum verecundiæ paſsim expetant.

De Franciſco Dandulo, qui poſtea dux fuit.

FERRARIAM vrbem, Veneti olim ſuis armis, ſuóque ſanguine, ab immani

hoſte planè receperant, ſuóque iure tuendam ſuſceperant. Quod Clemens Pontifex, qui tum in Gallijs agebat, ferre ſatis æquo animo non poterat: quippe qui ſui eam aucupij eſſe contendebat. Miſsis igitur oratoribus multis fruſtra ad leniendam Maximi Pontificis iram, qui Venetum nomen diris ſuis, & graui anathemate inſectabatur, profectus eſt ad eum publico nomine orator Franciſcus Dandulus: qui obſtinatiſsimũ illum aliquot dies expertus, quum etiam interdum ab ipſius conſpectu reiiceretur, in eam ſententiam flexit animum, vt noua arte, nouíque pudoris ratione ſeruata, ad prandẽtem Pont. in palatio quadrupes acceſſerit, flexo quãtum potuit in terram capite, ſuppléxq; petens, vt Veneto ſenatui Pont. ipſe parceret, veniámque daret, neq; enim ſe corporis habitum mutaturum, niſi prius Clemẽs ignouiſſet ipſe. Quare admiratus Pont. captúſq; tanti pudoris & reuerentię nouitate, illum aſſurgere iuſsit, complexúſque hominem, cape, inquit, exhibiti pudoris à me veniam, Ducíque tuo, & Senatui ſcribito meo nomine, ſolutos eos mea omni poſthac execratione, chariſsimóſque mihi ſemper ab hoc die futuros. Quæ res

tam grata Senatui Veneto fuit, vt quamuis canis cognomento diceretur, ob commenti nouitatem, Princeps ſtatim ſit declaratus.

De Senatu Veneto.

SVSCEPERAT Patrum noſtrorum ætate Dux, Senatúſque Venetus bellum aduerſus Herculem Ferrarienſem Ducẽ Sixto Pont. Max. id annuente, & approbante. Suſceperátque bellum hoc ipſum honeſtiſsimis cauſis in Herculem adductus. Quod cum gereretur ea ſpe, vt Veneti Ferraria breui potiri crederẽtur, Sixtus Pont. mutata ſententia, Veneto nomini iratior factus, vt cum infeſtiſsimis etiam hoſtibus aduerſus Venetos conſpirarit, anathematíſque ſpiculum in eos intorſerit. Non dubitauere igitur Veneti, veteri ſua in Romanam ſedem obſeruatione, & oratores ad eum mittere, & facti veniam ab eo petere. Quod poſtea Sixtus etiam facilè conceſſit, animo ſecum reputans, quanti hęc ipſa Venetorum verecundia facienda eſſet.

De eodem Senatu.

IMITATVS Iulius ſecundus Pontifex duorum exemplum, adeò Veneto nomini

iratus infeſtúſque extitit, vt conſuetis diris Venetos petens, Chriſtianos omnes reges, ac principes ad bellum in eos ſuſcipiendum concitarit, quando Veneti, nec Fauentiam, nec Ariminum illi reddere parati eſſent. Quod conſilium, quum parum læto euentu illis conſtiterit, non neglexere tamen, ſuorum etiam maiorum minimè obliti, oratores ad Pont. ipſum, Dominicum Triuiſanum procuratorem, & Hieronymum Donatum, & alios mittere, qui vix iratiſsimi Pontificis animos flexerint.

De eodem Senatu.

FACIVNT tria hæc à me paulo ante exempla obſeruationis Pontificiæ maieſtati exhibitæ, vt nõ ſeruato etiam temporum ordine vnum illud adſcribam, quod maximè memorandum ſit, omniúmque ſeculorum memoria obſeruandũ. Cum Sebaſtianus Cianus dux Alexandrũ quartũ Pont.Max.Venetijs latentem, propter metum Friderici imperatoris lætum alacrémque acceperit, vt non dubitarit cum ipſo Friderico graues inimicitias ſuſcipere, bellúmque cum eo periculi, & aleæ plenum gerere, vt Alexander ipſe retenta maieſta-

te ſua, omnéſque mortales agnoſcerent, quantũ verecundiæ, pudoríſque, maieſtati Pontificiæ Veneti ſemper detuliſſent. Bello igitur fœliciter cõfecto, pacéque cũ Friderico inita, vidit ſpectauítque Veneta omnis ciuitas cum ingenti gaudio, in Aurea diui Marci æde, proſtratũ imperatorẽ ad Alexandri pedes, reconciliatámque inter vtrunque gratiam. Qua ex re Alexander Pont. ab vrbe diſcedens, Romámque petẽs, varijs ampliſque inſignibus & muneribus principem ipſum ornauit, quæ in hunc vſque diem exeunti principi tubarum etiam clangore & vexillorum varietate apparent.

De Auguſtino Barbadico duce.

CREATVS hic quadragintauirali iudicio dux in fratris Marci locum eſt Auguſtinus Barbadicus, vir vitæ innocentia & grauitate ſenatoria inſignis. Repulſámque tulerat Bernardus Iuſtinianus diui Marci procurator, literis, oratoriáq; facultate celebris, ætatéque ipſa, quam Veneti ſemper magnifecere præponẽdus. Cæterum Barbadicus ipſe adeo moderato animo ſeſe in eũ geſsit, vt verecũdę admodum Bernardũ ipſum ſalutarit, dextrámq; iunxerit, illiq;

quoad ille vixit non parum verecũdiæ & obſeruationis exhibuerit, & fratris chariſſimi loco ſemper habuerit.

EXTERNA.

De Alexãdrina virgine Aegyptia.

VENDICABIT ſibi Alexandrina virgo principem locum, & id quidem iure optimo, quando in tenera ætate id exemplũ detenti pudoris poſteritati præbuerit, vt non facilè par illi hiſtoriarum monimentis proditum inueneris. Siquidem hæc ſextum decimum ætatis annum vix nata, ardentiſsimáſque adoleſcentis in ſe flammas verita, tumulo ſe veteri ſponte incluſit, in quo duodecim annos conſtanter vixit, cibo capto in dies neceſſariíſque aliјs per rimulam ſumptis. Interrogatáque ſæpius ab iјs, qui eſcam ad eam afferrent, cur hoc cepiſſet concilij, cúrve tandiu immoraretur. Vereor, inquit, virgineum pudorem amittere adoleſcentis ardore nimio: quam animi corporíſque verecundiam rebus omnibus anteferendam duxi. Nec prius inde amoueri voluit, quàm adoleſcentem fato functum pro certo intellexit.

De virginibus Aconitanis.

OBSIDEBANT Sarraceni Aconem Syriæ oppidum, quod poſtea Ptolæmaïs eſt dictum: obſidebántque tantis viribus, vt paulò pòſt vrbẽ capturi facilè videri poſſent. Id quod Aconitanæ virgines, quæ cœnobijs incluſę degebant veritę, nares ſibi ſingulę abſciſſas voluere, ea ſpe ductę, vt tanta vultus ſui deformitate, hoſtes, ſi vrbem cœpiſſent, mortẽ ſibi potius quàm ſtuprum inferrent. Sequenti verò die, quo capta vrbs eſt, perfidi hoſtes, conſpectas tam deformes, omnes iugularunt.

De Michaële Imperatore Conſtantinopolitano.

RETVLERAT Imperator Conſtantinopolitanus Michaël multas præclaráſq; ex Bulgaro hoſte victorias, qui finitimi Romani imperij finibus ex Scythia profecti, graues, infeſtíque maximè forent. Sed poſtremò prælio victus, fugatúſque ab ijs tantùm abfuit vt priſtina laude contentus eſſet, vt depoſitis imperij infulis mori maluerit, quàm victorem inſolentiſsimum hoſtem viuens audire.

De Franciſco Sfortia Mediolanenſi duce.

ECQVIS non exiſtimet Frãciſcum Sfortiam Mediolanenſem Ducem, hunc ipſum animi pudorem potius retinere voluiſſe, quàm familiarium ſuorum quorundam intentatus preces ſequi? Qui quum adhortarentur eum vt Guelfam factionẽ omnino tolleret, quæ illi eiúſque imperio infeſta imprimis eſſet: pudeat, inquit, vos me Principem recèns Mediolanenſem totius populi conſenſu creatum, ad alterius partis internecionem adhortari, quæ hunc principatum volens mihi tradiderit. Aſpicite igitur canos in capite meo capillos, & nigreſcentes ex alia parte. Quos præferam vt alteri alteris non inuideant? Et vt certè me eorum non pudeat, ſic patiamini quæſo Guelfos, & Gibellinos æquo iure ſub me principe agere, qui pudorẽ verecundiámque ſemel animo cæptã hanc exuere animo non poſsim, nec debeam: ſi modò vos me eum principem eſſe velitis, quẽ ab initio tanto ſtudio elegiſtis.

De Gothifredo Bolionio Lotharingiæ duce.

DISCEPTABANT inter ſe duo ſanguine iũcti de Lotharingię principatu Gothifredus ſcilicet Bolioni⁹, qui poſtea Hie-

roſolymorũ rex primus eſt dictus, ob eximia eius in chriſtianam pietatẽ merita, & alter eius affinitate(vt diximus)iunctus,cuius nomen in obſcuro ſit. Ea igitur diſceptatio tandiu tenuit, quoad ſingulari certamine de tota re decertandum ſibi mutuo conſenſu ſtatuere. In quo prælio Gothifredus enſe ſuo perfracto ad capulum vſque,cum omnes illum adhortarentur, qui præſentes aderant,vt conſilium cœptę pugnæ deponeret, ſtarétque amicorum iudicio,atque ſententiæ, nunquam perſuaderi illi potuit, vt id faceret: ſed pudore quodam affectus &incenſus,enſis capulo ſic in hoſtem incurrit,vt eum equo deiectũ, terræque iacentem, ſuomet gladio facilè interimere poſſet,quem ſibi vendicarat.Cõuerſus igitur in ſpectatores, Accipio, inquit, pacis conditiones nunc quæ offerebantur, ſiquidẽ hoſtẽ interimere iá poſsũ: quod &ſtatim abiecto gladio cõprobauit.

De eodem Gothifredo.

NON breuis ſpatij fuit pudor hic Gothifredo inſitus, ſed ſummo ſtudio ad ſupremum vitę diem retentus.Declarántque hoc ipſum multa præclara eius facinora in hoc genere laudis conſtanter ædita: ſed

illud in primis, quòd Hieroſolymorũ Rex primus creatus propter ſingulares eius virtutes, oblatũ regni diadema capiti ſibi imponi nunquam paſſus. Illud ſemper repetens, egóne caput meum ornari hoc tam ſuperbo faſtigio in ea vrbe patiar, in qua Chriſtus ipſe humani generis redemptor, ſpineam coronam geſsit?

De Amore coniugali. Caput VI.

CONIVGALIS Amor tantus taliſque ſemper eſt habitus, vt ab orbis primordio ſtatim inſitus, creato ipſius Dei nutu primum homine omnium animantium præſtantiſsimo, acceſſerit continuò fœmineũ Heuę vinculum, diuino pręcepto infixum homini: vt eam ipſam tanquam ſe vnum coleret, meminiſſétque ſemper ex ſuo illam latere proditã, vnde veluti à fonte reliqua ſummi Amoris & charitatis munia deriuarint. Sic igitur aucta eſt humani generis ſoboles, vt hunc ipſum retinere etiam atque etiam debeamus amorem, à quo bona cuncta nobis prodeunt. Rectè igitur Natura ipſa duce perpetuò intelligas inſitum eſſe, vt parentes liberos ſuos præcipua charitate colant: contrà à liberis ſingularis pietas parentibus omnino tri-

buatur. Sícque paulatim illa humana ſocietas ſparſa, diffuſáq; in ſingulos ſit, vt ſumma concordia inter nos agamus, viciſsímque ita vita noſtra ducatur, vt quod tibi contingere nolles, in alterum nunquam tranſmittas.

De Vualberta Petri Candiani ducis vxore.

DVXERAT hanc ſecundo loco Petrus Candiánus, priore vxore vita functa, ex Vgone principe Italico genitam. Quę maritali fœdere ita illi eſt iuncta, vt filio ex ea ſuſcepto nunquã non ſummo amore, ſummáque charitate ſit illum proſecuta: donec illo à Venetis interfecto miſerabili clade cum paruulo filio, quem fugiens ipſe populi furorem ſecum in ſinu perferebat. (Nec verò nunc cædis cauſas tam horrendæ longius perſequar) ſuperſtes ipſa, quæ nunquã euadere tentauerat, mariti ſui manes vlciſci ſtuderet. Secuta igitur Vitalem priuignum, clámque Venetijs cum eo ſoluens ad Adheletam Othonis Germanici imperatoris vxorẽ, quę tum Placentię erat trãsfugit: neq; prius inde diſcedere voluit, quàm deſperata auxilij ſpe ab ipſo Othone Principe, Venetias redierit. Vt tamen quod

quod illi ſuperfuit vitæ, in ſummo imprimis dolore, animíque mœrore, Petrum Candianum ſæpe repetens, tranſegerit.

De Bernardi Iuſtiniani prioris vxore.

IVVENIS hic in Iuſtiniana familia ſummæ ſpei, præclaræque indolis, ex Quirina familia vxorem longè pulcherrimam animíque dotibus præterea inſignem, ita ſibi iunxerat, vt fœliciſsimum illud cõiugium paſsim omnes ominarentur. Siquidem ex ea treis mares liberos ſuſcepit, Leonardum videlicet poſtea Diui Marci procuratorē, & Marcum, qui primus Bergomo de Philippi Mediolanenſis Ducis manibus à Venetis extorto, prætor deſignatus præfuit, cum tanta ſui nominis dignitate, vt hodie quoque eius memoria celebris ſit: & Laurentium poſtremò, qui à primis annis religionem ingreſſus, qua iam tum puer imbutus erat, Venetijs poſtea Oliuolēſis Antiſtes declaratus, móxque etiam Patriarchę dignitate inſignitus, moriens poſtremò inter diuos relatus eſt. Sed, vt ad id quod eſt inſtituti operis redeamus, quum Bernardus ipſe maritus, Quirináque vxor admirabili charitate inter ſe agerent, lęti admodũ

triplici hac ꝓle,ita planè accidit, vt neſcio quo numine Bernardus ipſe iuuenis adhuc vita exceſſerit,relicta vxore,quæ quartũ & vigeſimum vitæ annum nondum expleſſet: vt interea,vitam ſæpe deſpondere tentauerit, maritúmq; ſequi,niſi affines illam & cognati diligenter obſeruaſſent. Quare cõuerſa ad filios tres,ſub quorũ ſpecie emi nebat pater,ſic educare eos,&alere cœpit, vt chriſtiana pietate dignos eos redderet. Qua ex re vigilijs, & ieiunijs quotidianis vacans,pauperúmque cultui aſsiduè inſeruiens, ſpectantibus ſingula quotidie liberis,cilicia veſte pro interula tunica vtẽs,lũbóſque ſuos catena ænea cingens,ſic diſciplina ſua pignora inſtruxit,vt tria ciuitatis Venetæ numina enixa videri potuerit. Et certè in Laurentio ipſo, quis hoc vnquam cõtigiſſe neget? Quum ille calendis Iulijs ortus editúſq; ſit, quo die clariſsimus dux Contarenus recepta Clodia,cũ magna totius vrbis lætitia & gaudio,triumphans vrbem eſt ingreſſus.Et quoniã Laurentij ipſius meminimus, haud ſanè dubitarim teſtimonium Philippi Ducis in Marcum ipſum attexere: donec Bergomenſem præturam geſsit.Dicere enim ſolitus erat Philippus ipſe plus negotij ſibi ex lanea Mar-

ci Iuſtiniani veſte exhiberi, quàm ex ducentis cataphractis equitibus Venetis capere quotidie ſoleret. Nec verò Leonardum ipſum vnquam neglexeris, qui primus ex Veneta nobilitate, Latinis, Græcíſque literis præcipuè claruit. Quare adoleſcens orationem pro Carolo Zeno funebré publico mádato habuit. Mox vir factus procuratoriam dignitatem ea tempeſtate longè ampliſsimam eſt adeptus, relicto Bernardo Iuſtiniano filio, literarum, & eiuſdem dignitatis hærede digniſsimo.

De Caroli Zeni Vxore.

NIHIL mihi optatius aut iucundius accidere poteſt, in omni ſtudiorum meorũ ratione, dum partim Græcis, partim Latinis literis vaco, quàm quum incido in viri alicuius præclari mentionem. Cuius virtutes réſque præclarè domi, foríſque geſtas quum lego, incredibile dictu eſt, quanta voluptate afficiar. Inter cæteros verò Caroli Zeni præclariſsimi ciuis geſta cùm verſantur in manibus, ita planè accendor, vt nunquam eius mihi memoria excidat. Hic igitur, Heliſabetha Iuſtiniana vita functa, quam vxorem ſibi iuuenis adiun-

xerat, tréſque mares liberos ex ea ſuſceperat, dum iam ſenex ex Cypria prouincia victor Venetias rediret, pulſis ex inſula Cypro Genuenſibus, ſuis auſpicijs, ſuóque ductu, aſſertóq; ſua opera legitimo Regi imperio, rẽ familiarẽ ſuã reperit collapſam, ac penè conclamatã. Quare intendit animum lubens, vt Iuſtinopolitanam matronam, opibus generéque claram, ætatéque etiã ſibi nõ diſparẽ, in vxorẽ duceret: queę familię alẽdę nepotibúſque adhuc teneris educãdis præeſſet. Cuius fidẽ, & diligentiam, atque in ſeſe ſummam charitatem admirabũdus, cũ ſingulari prudẽtia cõiunctã ita planè cõplexus eſt, ita charã habuit, vt domi ſemper præ oculis haberet. Cæterum vt ſunt mortaliũ res, nõ in vno eodẽque gradu ſemper conſtantes, non diu illi ſuperſtes incolumíſque affuit. Sic igitur tãto animi dolore affectus eſt, vt neque ipſe diu poſt vixerit, publicéque ſui funeris dies à duce, Senatúque omni Veneto, reliquíſque ciuibus, cum frequentiſsima omnium pompa celebratus ſit.

De Cecilia Barbadica.

NON caruit etiã maiorũ noſtrorum ætas, hac ipſa cõiugij laude tam inſigni, Cecilia

Barbadica Philippo Vẽdramino nupta,tã-
tum doloris ex eius immatura morte ſuſce
pit, vt poſt mariti ſupremũ diẽ nullis ſuo-
rum precibus,nullis cognatorum obteſta-
tionibus adduci potuit, vt cibum caperet,
ſic igitur inedia vitam finijt, vt tamen im-
mortalis eius ſit futura laus.

EXTERNA.

De Indorum vxoribus.

PLVRIMA ſunt,quæ veterum monu-
mẽta ſcriptorum,certa exploratáque pro-
didere cum ſumma legentium admiratio-
ne. Illud verò, quod de Indicis vxoribus
memoriæ traditum eſt, quis nõ imprimis
admiretur? quod ad coniugalem fidẽ,præ-
cipuámque in maritos charitatem ſpectat.
Accipient igitur omnes hoc nõ ſine ſtupo-
re,& cordi animóque fixum ſemper habe-
ant: mortuo námque marito, quum iam il-
li rogus inſtitui cœptus eſt, vxores inter ſe
certant (nam plures habere ſolebant In-
di) quæ vna in rogum tranſcendens cum
eo comburatur. Quæ igitur victrix decla-
ratur nõ ſine ingenti lętitia, ac ſi in genia-
lem transferretur thorum, flammas læta-
bunda excipit, moriénſque ab omnibus
tanquam ſupremam fœlicitatem adepta,

omnium voce laudatur, in cœlúmque extollitur.

De Panthea Abradatæ vxore.

VVLGATVM hoc in Indicis vxoribus inſtitutum, ſecuta Panthea Abradatæ Perſæ coniux conſtanter eſt, quæ nunciata mariti morte, qui in pręlio fortiter pugnãs ceciderat, nequaquam conſternata animo eſt, ſed tenax propoſiti mortem delegit, vt eo pacto, maritales manes ſequi perpetuò poſſet.

De Phila Demetrij regis coniuge.

MEMORABILE Pantheæ facinus infixiſſe pectori ſuo Phila Demetrij regis vxor videri poſsit, quæ mariti clade cognita, qui victus ab hoſte prælio Caſſandriã trepidus fugerat, nulla amplius recipiendi eius ſpe, mariti interitum minimè expectans, prior venenum hauſit. Quaſi verò Demetrio prȩferre hoc oſtentaréq; ſui exemplo vellet, illúmq; admonere, vt priuatus ipſe regno, ſibi ſuperſtes eſſe nollet.

De Ligarij Romani coniuge.

CELEBRIS eſt his, q Latinis literis mediocriter inſudarũt, Sylanȩ, Marianæque

proſcriptionis memoria, qua inter cætera cautum erat: vt in eam tabulam relatum, nemo occultum eſſe vellet, quin ſtatim niſi proderet pœna indicta: vt etiam ſi pater filium, aut filius patrem latentem non indicaſſet, mortis quamprimum pœnā ſubiret, cum omni amiſsione bonorum. Seruatus igitur diu Quintus Ligarius ab vxore domi, ex proſcriptis vnus, quum tandem à ſerua proditus eſſet, ad necémque adduceretur, minimè dubitauit vxor miniſtros ſtatim ſequi, precaríque vt ſe ſimul cum marito interimerēt. Quod quum neq; à triũuiris, ad quos clamâs perpetuò venerat impetrare poſſet, illa domum reuerſa mortē ſtatim ſibi conſciuit, nullum vt cibum vnquam capere voluerit.

De Paulina Senecæ vxore.

SVPPEDITAT nobis huius exemplum argumenti, Paulina Senecæ vxor, quæ quũ mariti ſui ſanguinem in balneo ſpargi paſſim videret, ídque Neronis principis imperio, qui nihil vnquam tale à Seneca præceptore didiciſſet, nihil omnino verita, eandem & ipſa pœnam ſuſcipere voluit. Vt quæ maritum viuēs nunq̃ deſeruerat, eiuſdem moriētis veſtigia perpetuò retineret.

De Annia Romana.

IMPONET finem ſuſcepto à nobis argumento, Romanæ Anniæ prudens reſponſum, magníque animi factum. Nam amiſſo marito, quum iuuenem illam affines adhortarentur, vt iterum nubere vellet, quæ iunior adhuc eſſet conſtanter reſpondit nolle ſe pro certo nouum Hymenæum amplecti. Nam ſi iterum nuberet bonúmque virum ſortiretur, qualis prior ipſe fuerat, ſemper ſe dolituram, quòd eo marito carendum ſibi eſſet: ſin malum accepiſſet, nolle ſe torqueri perpetuò hac pœna tam graui, quã ſponte ſua ſibi aſciuiſſet.

De Amicitia. Caput VII.

NVLLVM quidem ſcribendi argumẽtũ gratius, aut iucũdius occurrere potuit, quàm, de amicitia ipſa, quæ, virtute excepta, principem ſibi in hominum vita locũ vendicat, quæ ab amore profecta, ſi alterũ æquè, ac teipſum diligas, null9 certior fructus, nulláque maior laus expectari poteſt. Ducta igitur à morum ſimilitudine hoc tibi perſuaſerit imprimis, vt amici cauſa rogantis honeſta, promptus alacérque ſis, vt planè intelligere poſsimus hac vna ſublata, nullam eſſe mortalium vitam, ac ſi So-

lem, Lunámque de cœlo ſubtraxeris. Sequemur igitur (vt vno verbo dicam) Pithagoræ philoſophi præceptum, vt idem velle, idémque nolle inter amicos præcipuæ beneuolentiæ vinculum ſit. Damoníſque ac Pythiæ ſemper meminerimus, quorum alter vadem ſe pro amico in mortis periculo, Dionyſio Siciliæ Tyranno præbuit.

De Veneta. Rep.

RETINVIT ſemper hoc ſtudiũ Reſp. Veneta, ſanctè, puréque retinendæ amicitiæ, cum principibus præcipuè Conſtantinopolitanis, quos perpetuò bello pacéq; fouit, omnibúſque officijs ſemper proſecuta eſt: donec variante imperatorio ſtemmate, rebúſque Imperij illius ad peſsimũ quémque delatis, ſanctum illud amicitiæ nomen erga illos deſerere ſit coacta. Ita tamen, vt quandoque memores ipſi Veneti veteris ſuę in Græcanicum Imperium pietatis, non deſierint, etiam in vltimo Graiæ gentis excidio ſuffragari.

De Andrea Dandulo duce.

CELEBERRIMVM eſt apud nos Andreæ Danduli Ducis nomen, vel quòd

tertium & trigeſimũ vitæ annũ natus Dux eſt creatus, quæ dignitas veteri Venetæ gẽtis inſtituto, ſenibus ferè demandari ſolita ſit, vel quòd renaſcẽtibus tũ primũ in terra Italia Latinis literis, eas ita excoluit iuuenis, vt plurimũ laudis, & gloriæ inde ſit cõſecutus. Quare Frãciſcũ Petrarchã etiam abſentem maximè dilexerit. Venetiáſque aduentatẽ ſummo cũ honore ſemper ſuſceperit, ædibus illi publicè aſsignatis in vrbis parte oculatiſsima, primóque loco illi ſemper attributo, quotienſcũq; in publicũ prodiret, poſt oratores regios prĩcipúmq;, qui in comitatu adeſſent. Adhæc inter palatinas ædes ſępe illũ conuiuijs excipiens, ſic illum cõplecti viſus eſt, vt ſummi in illũ amoris teſtimoniũ, gratíque in eum animi indiciũ maximè præferret: quod, & Petrarchæ ſcripta hodie quoq; facilè declarent.

De Carolo Zeno.

CAROLVS Zenus (hic enim mihi in vario virtutis genere ſæpe repetẽdus erit) dum iuuenis adhuc eſſet, patria in ocio agente, ad Galeacium Mediolani Principẽ profectus eſt. A quo primùm benignè propter gentis nobilitatem, & Petri patris memoriã præclarã, ita excipitur, vt breui cognitus ab ipſo duce, propter ſingula-

rem eius, virtutem, vniuerſo principatui ſuo ab illo præficeretur: quē adeo cōſtanter, & iuſtè rexit, vt in hodiernū diem Caroli Zeni nomē inter eos populos viuat, ac floreat. Cæterū Galeacius Dux ſic in eum cōuertit animū, ſic illū cōplexus eſt, vt illi omnia deferret, illum beneuolentiſsimè ſemper exciperet, vitam illius, cum priuatam, tum publicam, moréſque longè optimos maximè admiratus: vt quotiéſcunq; daretur occaſio, ſemper cum eo eſſe vellet, omniáque ex Caroli conſilio in tanta Imperij mole ageret. Neque verò quicquā illi Duci moleſtius, aut ipſi Carolo durius accidere vnquam potuit, quàm quum reuocante patria, natales ſolos reuiſere coactus eſt: vt tamen alter alterius conſtantiſsimam & mutuam memoriam ad ſupremum vſque diem retinuerit.

De eodem.

HIC verò finito Liguſtico bello, quod graue periculíque plenum fuit, in Petrum Paulum Vergerium Iuſtinopolitanum, literarū & eloquētiæ ſtudijs florētiſsimū ea tempeſtate, faces ſui amoris ſic intorſit, vt vnum præcipuè coleret, vni omnia tribueret: domíque ſemper, & ſtudiorum ſo-

cium, & amicum chariſſimũ habuerit: qui cum ita deniq; vixerit, vt niſi patriæ pietas illũ diſtraheret, nunquam à ſe ne tranſuerſum quidem vnguem ſeiungi pateretur.

De Petro Lauretano.

FVIT is ſemper clari nominis, & gloriæ apud omnes, imprimíſque patriæ charus ſuæ. Námque Turcicam claſſem rei maritimæ Imperator primus ad Calipolim vinci poſſe docuit, & poſtea ad Rapalum Genuenſem claſſem ita fudit, profligauítque, vt Franciſcum Spinulam Imperatorem, illuſtréſque aliquot Genuenſes ceperit. Cæterum ille Gallico bello, quod aduerſus Philippum Mediolanenſem ducem Veneti gerebant, virtutis ſuæ ſpecimẽ, Brixiæ præfectus, in caſtríſque legatus exhibuit tale, vt obliuiſci eius nominis Veneti nunquam poſſint. Illud verò nunc tantum à me repetetur, quod ad præſentẽ rem attineat. Audierat Blondi Flauij celebre per omnem Italiam nomen, cum ſua ſumma laude à multis cõmemorari: quare tantæ virtutis literarum admiratione captus, ſic omnem operam adhibuit, & ſtudium, vt eum ad ſe Brixiæ traxerit, eúmq; inter familiares ſuos ita habuit, vt ſummo-

pere eum diligere videretur. Nec viciſsim Blondus ipſe minus virtutem tam egregij viri admiratus, ſummámque in ſeſe beneuolétiam contemplatus, ſuo omni ſtudio, & cura vnquã illi defuit. Cui à ſecretis inſeruiens, ſic deniq; probatus eſt, vt & illum Veneta ciuitate donandum curarit, & Venetis ipſis charum perpetuò reddiderit.

Externa.

LAETABATVR olim Græcia quatuor amicorũ paria ſibi vni affuiſſe ſumma ſua cum gloria: quaſi verò parens ipſa noſtra Italia in hac arena cõtendere non poſsit, à qua etiã longiſsimè ſuperetur. Non erunt igitur mihi nunc duo illi ex Pythagorica diſciplina referẽdi, qui certè perpetua memoria nõ indigni ſint, quãuis obſcuro loco nati, non Niſus, & Eurialus Virgiliano carmine celebres. Sed Auguſtus ipſe Cæſar fœlix exordium amicitiæ ſanctiſsimę cultę dederit, qui victo Marco Antonio ad Actium nauali prælio, occupata mox etiã Alexandria in publicum prodiens, magna voce, vt exaudiri à corona circunſtantium poſſet, parcere ſeſe dixit Alexãdrinis, grauioríque etiam eorum culpæ veniam tribuere, tribus de cauſis: primùm propter

vrbis conditorē Alexandrū, deinde ꝓpter vrbis pulchritudinē ipſius, poſtremò vel ī-primis Arij ipſi⁹ gratiâ, quē etiā manu ſua aſtanti multitudini oſtenderit. Cuius virtutis, & bonitatis ergô, amicū eum ſibi delegerit, qui cum ſemper cōiunctiſsimè ſit victurus. O térq; quatérque beatum principem, qui in tanta rerū fortuna, Imperijq; tam auguſti fœlicitate, non dubitarit veræ amicitiæ teſtimonium tam fidele præbere.

De M. Vlpio Traiano Imp. & Surra.

OPTIMVM, ac fœliciſs. principem Auguſtū excipiet Marcus Vlpius Traian⁹, qui vitę bonitate, rerúmq; geſtarum gloria nō minus inſignis habeatur. Hic igitur anteq̃ in Domitiani principis locum aſcenderet, Surram inter alios præcipuum amicū habuit, qui falſò delatus ad illum, quaſi in illum coniuraſſet, reſpondit delatoribus tātum abeſt, vt hoc credam, vt cras veſtro etiam iudicio, vos illum abſoluatis. Quare adueniente poſtea luce, duobus tantum ſeruis comitatus cum Surra ipſo cœnaturus domum eius aduenit, móxque à cœna radi ſe ab eius tonſore voluit: quin etiā eius ab medico, qui præſens aderat, oculos diligentius inſpici voluit, diutiúſque con-

trectari ſibi illos paſſus eſt. Inde domū incolumis rediens, facilè Surræ calumniatoribus ſatisfecit. Ex eo tempore breui principatū adeptus, Domitiano principe ſublato, tribunū ipſum Surram declarauit, quē etiam alta voce admonuit diſtrictum gladium illi tradens, vt ſi rectè imperaſſet, ad ſeſe tuendum illo vteretur, ſin verò minus rectè ſe gereret, ipſum enſem in ſe diſtringeret.

De Diocletiano, & Herculeio Impera.

POTIEBATVR rerum Romaníque Imperij faſcibus, Diocletianus, atq; ita imperabat, vt non facilè res nouas moliri aliquem poſſe intelligeret: & tamen Herculeium ſociū aſciſcere ſibi nō dubitauit, ad quod vix parētes dum viuunt, liberos ſuos aduocarent. Vixere igitur inter ſe diu tanta concordia, tantáque animorum coniunctione, vt (quod maximè memorabile ſit) nullum eiuſmodi exemplum in re Romana inuenias. Cum diu igitur floruiſſent præclaris vſi victorijs, Herculeiúſque ipſe Diocletiano gratificari in omnibus ſtuderet, vterq; tandē vno eodéq; die, Mediolani videlicet Herculeius, & Nicomediæ

Dioclitianus poſt vigeſimum annum imperij infulas communi conſenſu depoſuere. Quæ res poſtea Dioclitiano fœlicius ceſsit, quum apud Salonas (Dalmatiæ hoc oppidum, ex quo ortus eſſet) ageret, hortorúmque curam intenderet, tanta cõſtantia, vt nunquam paſſus ſit, ſe à quopiam ad ĩperij faſces reuocari: id, quod Herculeius auidius affectans (meritò fortaſſe quis dixerit) non multò poſt ferro à ſuis cæſus eſt.

De Philippo Mediolani duce, & Alphónſo Neapolitanorum rege.

ERVNT ij duo in terra Italia principes, patrum noſtrorum memòria, diu inter ſe infeſtiſsimis animis. Donec Philippus ipſe Alphonſum regem cum fratribus ſuis auſpiciis ad Gaietam victum Blaſij Aſsareti Genuenſis ductu, captiuum Mediolani vidit, penéſque ſe aliquandiu habuit. Quo dimiſſo, regnóque ab eo recepto, ſic inter ſe cõcordes vixere, ſic mutuò ſeſe dilexere, vt non deſint autores, qui Alphonſum regem à Philippo inſtitutum hæredẽ tradãt, Mediolanenſiſque principatus ſucceſſorem ſcribant.

De liberalitate. Cap. VIII.

NON

NON poſſum non ingenuè fateri, laborem induſtriámque hanc meam, cum propter alia à me hactenus conſcripta, tum ob ea, quæ de amicitia noſtrorum temporum memoranda occurrerunt, periucundã mihi extitiſſe. Vt intelligere poſſent, qui noſtratia hæc quandoque legent, nunquam defuiſſe homines, qui etiam in hoc genere laudis maximè floruerint. Nec verò dubito non minori voluptati mihi futurum, quum liberalitatẽ ipſam perſequar, ſi modò ea ſuis propriíſq; veſtigijs ingreſſa ad nos, rectè accepta fuerit. Erit igitur mihi liberalitas ipſa, quę à iuſtitia proficiſcens modò beneficẽtia à nobis, modò benignitas appellatur, in præſentia proponenda: quum aut nos ſponte noſtra in rebus maximè honeſtis prompti, paratíque ſumus ad benemerendum de amicis noſtris, aut contrà, grati, memoréſque accepti beneficij, meliore etiã ſi fieri poſsit menſura reddimus. Quę vitæ ratio præcipuè valeat ad hominum ſocietatem maximè tuendam.

De Senatu Veneto.

ET quoniam publica priuatis anteponenda iure optimo ſunt, Senatus Veneti præclara quædam exempla prius afferam,

quę poſtea priuata iure ſuo ſubſequentur. Claruit verò ſemper hæc ciuitas hac ipſa beneficentiæ dote : quippe quæ gentibus omnibus vario euentu huc confugientibus,tanquam benigniſsima parens patuit. Quare cùm multa ſint veteris ætatis exempla, quæ ex Sabellici monimentis legenti cognita eſſe poterunt, ad recentiora, certioráque tranſibo. Primi igitur mihi Scodrenſes Epirotici occurrent, qui à Turcis iterum atque iterum graui obſidione circumuenti,quum fortiſsimè reſiſterēt, Antonium Lauretanum eorum præfectū, qui illis aſsiduè adeſſet ſecuti, virum alioqui omni virtute celebrem,nulli non periculo ſeſe obiicerunt: vt eorum quoque vxores & fœminæ pro mœnibus ſtarent. Secūda igitur oppugnatione, quum Turca hoſtis acriter inſtaret, neque vlla iam euadendi ſpes Scodrenſibus ſupereſſet, Turcis octauum iam menſem vrbē obſidione prementibus, quum ferro flammíſque hoſtilibus fortiſsimè reſtitiſſent,vrbem ipſam Veneti Othomano principi dedere coacti ſunt: inuitis (quod in ſe eſſet)ciuibus, qui mori etiam fame malent,quàm Venetis non parêre. In hos omnes Venetus Senatus longè gratiſsimus, qui quadringenti, & quin-

quaginta ſuperfuerant, præter vxores & liberos, Venetias aduenientes ita excepit, vt alios perpetuis ſalarijs donarent, alios oppidorum ſuorum arcibus præficerent, reliquos ad vnum nullo non beneficij genere perſequerentur. Id quod antea etiam Calchidenſibus publicè datum erat, quicunque huc incolumes appuliſſent.

De eodem Senatu.

VT interim multa alia publicæ beneficentiæ exempla prætermiſerim, quę ea tẽpeſtate præclara & illuſtria extitere, nunquã certè Antonij Siculi iuuenis facinus, & Veneti Senatus gratiſsimum in eum iuuenẽ animum obliuioni tradam. Is enim iuuenis Othomanico bello à Petro Mocenico maritimæ tunc rei imperatore miſſus Calipolim, vt Turcicũ nauale, domúmq; in eo oppido plenam omni apparatu nautico incenderet: tametſi res ipſa non omnino ſucceſsit, quando Turcæ ad ſubitum incendium extinguendum, quod latè iam diffuſum erat, aduolarunt. Quare iuuenis territus, ſuámq; nauiculam repetens, quæ inter nauigãdũ improuiſo igne cõflagrarat, captus denique à Turcis ſuis cum ſo-

cijs,Othomani iuſſu interfectus eſt. Non poſſum equidē ſilentio inuoluere iuuenis ipſius captiui ad Othomanū deducti ſummæ conſtantiæ, neſcio an dicam audaciæ plenum reſponſum: qui interrogatus ab Othomano cur id auſus eſſet, An ego, reſpondit, chriſtianus non tui nominis odio Turcicæq́ue ſuperſtitionis tuæ contemptu hoc aggrederer? qui ſcirem principes omnes, ac reges chriſtianos illi pręcipuo odio eſſe, ipſamque Chriſtianam pietatem adeò te perſequi, vt extinctam illam, penitúſque abolitam abs te præcipuè ſtudeas? Venetijs igitur re tam memorabili nunciata, quàm primum Antonij fratrem adoleſcētem adhuc, & eius ſororē ampliſsimis donarunt muneribus, ſalario videlicet annuo fratri præſcripto, & ſorori, quotienſcunque nuberet, dote aſsignata non mediocri.

De ciuium Venetorum in patriam liberalitate.

VIDERI forſan alicui minus curioſus rerum noſtratiū potero, qui egregium ciuium, & maximè memorabile exemplum liberalitatis, quod Liguſtico bello ipſi ciues ediderunt immutato temporis ordine,

nunc aſcribam. Satis autem conſtat dum Contarenus dux ad Clodiam recipiendá contendere vellet, quam Genuenſis hoſtis expugnatam obtinebat, non paruam ciuium Venetorum copiam magnam vim auri argentíque in publicum cõtuliſſe, ad alióſq; bellicos vſus, omnes ſe paratos obtuliſſe, vt Veneta dignitas, atque libertas ſtaret: quorum magnam partem poſt pacẽ initam, patricio donarit ordine dux, & Senatus: & in ijs Iacobũ Caballum, qui terreſtri bello ea ferè tempeſtate ſumma ſua cum fide, & laude præfuit. Superſunt adhuc Venetijs, ex ijs non paucę familię, quę honeſtiſsimum inter patricios obtineant locum.

De Carolo Zeno.

FACIT Caroli Zeni ſumma in patriam liberalitas, hoc difficillimo Liguſtici belli tempore, vt præteriri à me memoria tam præclari facinoris ſine graui piaculo non poſsit: qui prædam Bichinioniæ nauis omnem ducentorum & amplius aureorum millium, duci & Senatui Clodiá obſidenti cum ſua claſſe adueniens obtulit. Neque verò non prętectus terreſtris omnis belli à duce declaratus, priuata domeſtica pecunia

milites in ſeditionẽ verſos ſæpe cõciliauit. Omnem ſuam pecuniã liberaliter pro patria perſolutam, pro certo credens, ampliſſimas liberis opes, & copioſum à ſe patrimonium relinquendum eſſe, quod pro patriæ dignitate, & gloria priuatim impenſum à ſe foret. Poterã etiam hoc loco Robertum ſanctum Seuerinatem inſerere, poteram & Malateſtæ familiæ reliquias, innumeróſque alios adſcribere, qui à Senatu Veneto, pro eorum benemeritis ampliſſimis muneribus, in hunc vſque diem ſint donati. Verùm ad externa erat mihi tranſeundum.

EXTERNA.

De Pipino Francorum Rege, Caroli magni patre.

EXCELLVERE in Pipino rege plures, præclarçq; animi dotes: quas poſtea Carolus magnus eius filius ampliores reddidit. Illud verò in Pipino (vt cętera eius illuſtria geſta nunc omittã) ſummæ regiæque liberalitatis exemplum nunquã tacuerim, quod bis in Italiam aduerſum Longobardos deſcẽderit, Pontificum Maximorum adhortationem ſecutus. Quorum fractis

debilitatiſque viribus,quicquid Italici ſoli iis ademerit, Romanis Pontif. vltro donarit. Tametſi Conſtantinopolitani principes immenſam auri vim Pipino obtuliſſent, ſi ea ſibi reſtituiſſet, quæ ſui iuris eſſe aſſerebant. Erat autem Hexarchatus Rauennas præcipui vſus, & commodi: præterea quicquid hodie intra Italiam Romândiolæ nomine appellamus,cum non modica Hetruriæ parte.

De Carolo magno Pipini filio.

AN verò Caroli magni liberalitas à me longè celeberrima ſileri hoc loco poterit? Quando ille Adriani Pont. rogatu ad extinguendam penitus Longobardorum tirannidem arma ſumpſit, noménque Longobardicũ ab vniuerſa Italia ſuſtulit, Deſideriúmque eorum regem captiuum abduxerit,habita imprimis Pontificiæ dignitatis ratione, regnóque Francorum in Italia ſic conſtituto,vt vniuerſum terrę Italię ſpatium,Ciſalpinæ Galliæ meritò hodie nuncupetur, quod Padus amnis ambiat, quibus eximijs geſtis in religionémque Chriſtianam propenſiſsimo ſtudio, iure magnus imperatórq; cum ſua reliqua ſobole ſit dictus.

De Paulino Nolano Epiſcopo.

QVIS tui Pauline Nolane antiſtes obliuiſci vnquã poterit, aut quomodo te non duobus memoratis à me principibus iure adiunxerim? Fuerint quidem illi duo principes longè clariſsimi, longéque potentiſſimi, quorum ampliſsimę opes, atque diuitiæ in tam latis imperij ſui finibus extiterint, quas etiam liberaliſsimè profuderint: te verò Pauline quo pacto, aut quo liberalitatis genere excelluiſſe dicam? Nouam enim eſſe oportet tui celebrandi rationẽ: quũ nouo liberalitatis genere, ita ſis vſus, quo ante te nemo, neque poſthac in hunc vſque diem monimẽtis literarum celebretur. Fuerint ante te reges, ac viri opulẽtiſſimi, qui vera pietate tuenda pro libertate, pro patria, pro amicis ingentem vim auri atque argenti profuderint: tu verò inter Aquitanos ortus, paternas ampliores opes pauperibus erogaſti, Nolámque vrbem in Italiam petens, vrbi illi dignitate epiſcopus es præfectus, propter ſingularem nominis tui laudem, Cæterum quum Vandali ex Aphrica ingenti claſſe profecti, Genſerico duce Romam vrbem expugnaſſent, magnámque Campaniæ partem, Nolám-

que ipſam vaſtaſſent, abductis inde in Aphricam captiuis. Audi tu Pauline pater optime precor, audiant cæteri, qui Chriſtianá pietatem ſequuntur omnes, nouum, neque antea auditum liberalitatis exemplum. Abductus erat vnicus viduę parentis filius cum alijs, rogabátque illa ſupplex quotidie Paulinum, vt ſibi redimeret filium, ſed quum nullæ illi eſſent opes, depoſito habitu in Aphricam nauigauit, inuentóque viduæ filio, ſeſe illius domino ſeruum tradidit, vt viduæ parentis filius domum incolumis rediret. Quod vbi tandem Genſericus reſciuit princeps, ſummopere admiratus, ſtatim Paulinum ipſum cum reliquis Nolanis omnibus, in patriam reſtituendum curauit.

De Serapione Aegyptio monacho.

CELEBRE quoque fuerit poſt Paulinū Serapionis monachi Aegyptij par in eadem laude factum. Qui ſua veſte, Euangeliorúmque codice diuendito, vt pauperes aleret, ſe quoque poſtea vendidit, preciòque accepto, viduam fœminam cum aliquot liberis fame laborantem iuuit, data illi omni pecunia, quam pro ſe recepiſſet.

De Alphonſo Seniore.

NEC ſenior Alphonſus in hoc genere laudis prætereundus eſt, qui annulos retentos à familiari ſuo, quum fortè manus ablueret, diſsimulans poſtridie alios digitis inſerens, quum ab eodem admoneretur vt deponeret, in aurem reſpondit: cum mihi reddideris, quos adhuc retines, tunc ego hoſce deponam, ridentíque ſimilis ſtatim abijt.

De Alexandro V. Pont. Max.

VT à Pipino rege beneficentia exordium ſumpſit, ſic Alexandri quinti Pontificis Maximi celeberrima benignitas, finem huic imponet. Qui in Creta, inſula natus, minoritanæq́ue familiæ à puero addictus, ingenij fœlicitate, & literis maximè excelluit. Qua ex re Ioanni Galeatio Mediolanēſium principi cognitus, qui eloquentiæ vim in eo admiratus, quam cōcionabundus referebat, naturæq́ue bonitatem illius obſeruans, ac liberalitatem, eā operam dedit, vt primùm Vincētinus declararetur epiſcopus, tum relicta Vicentia, Nouarienſi præficeretur ciuitati, mox Mediolanum euocatus, Archiepiſcopali

dignitate donatus eſt. Quinetiam poſtea Piſani concilij autoritatem ſecutus, quam cardinalis ipſe maximè probabat, ea cauſa vt ſchiſma tolleretur trium Pont. omniū iudicio Cardinalium Pontifex Maximus creatus eſt: qui morum elegantiam, eiúſque excellentem doctrinam, ingentémque eius liberalitatem perſpexerant. Vtinam verò diu ille ſummæ rei præfuiſſet, nam Chriſtianæ rei fortaſſe melius conſultum eſſet. Sæpe interim cum familiaribus agens dicere ſolitus erat, diuitem ſe olim epiſcopum, pauperem verò cardinalem, mendicū ex nimia liberalitate Pontificem eſſe, in qua dignitate octauo poſt menſe obijt.

IOANNIS BAPTISTÆ EGNATII, LIBER QVINTVS.

De Humanitate. Cap. I.

Valerius Max.

NON poſſum ſanè non vehemẽter admirari, tacitúſque mecum laudare hoc ipſum Valerij Maximi noſtri ſcribendi inſtitutum, quũ potiſsimùm in vario virtutum explicãdo genere verſetur. Verùm tria hæc præcipua capita quibus amicitiæ, liberalitatis, & huius, quæ in manibus eſt, humanitatis exempla continentur, me imprimis oblectant. Habet enim hæc ipſa humanitas, ab homine dicta (quam tu mãſuetudini, & clementiæ, ſeu lenitati rectè adiunxeris) ampla in ſe, & cõmunia vitę officia. Vt vnuſquiſque facilè intelligat, & præcipuè reges, ac Principes, vnde ſibi cõſtantem amorem, & perennem gentiũ, ac populorum beneuolentiã parent: dúmque vixerint, ea retenta mortalium animos ſibi deuinctos obtineant. Fuit igitur hæc virtus

in Romano populo præcipua, & Venetis etiam ipſis nunquam non à primis vrbis cōditę annis ad hāc ætatē culta. Quā rem plura à nobis, & varia exēpla ſtudioſè collata optimè demonſtrent: illud interim obiter attingam, noſtratia hæc ſtudia, quæ humaniora nuncupentur, ab hoc humanitatis nomine iure deducta: quæ certè ſi benè à nobis colantur, adoleſcentiam fœliciter erudiant, ſenectam ætatem capiant, atque delectent: in ſecundis rebus nobis ornamento ſint, in aduerſis perfugio, atque ſolatio, ſi domi tecum agas, ſi foris, ſi vigiles, atque etiam ſi ruſticere, iucundiſsimi ſemper ſunt tibi comites, qui capiant, quibúſque imprimis gaudeas. Colēt igitur haſce humaniores literas adoleſcentes, & præter alia hiſtoricorum, Poëtarum, Oratorúmque monimenta Latinè prodita, hoſce Valerij libros aſsiduè in manibus habeant, hoſce euoluant, cum hiſce ita pernoctent, vt quemadmodū Alexāder Magnus Homericam Rhapſodiā ſub puluino ſemper habuiſſe dicitur, ſic nos hęc ſcripta cōplectamur.

humaniora ſtudia

De Senatu Veneto in Cretenſes.

FVIT Creta olim inſula iam inde à ſuā

primordio in mari hoc noſtrati, ad hęc tépora maximè celebris, centúmque vrbium fama clara, vt nauigandi palmam primi ſibi vendicent, Minoë rege autore militiæ à pueris aſſueti: diſciplina domeſtica olim adeò illuſtres, vt Lacedæmonij ab iis viuédi legem ſumpſiſſe credantur. Hæc inſula à Metello domita, Cretici cognomentum illi tribuit. Floruit ſub Cõſtantinopolitanis principibus diu: quam tamen Sarraceni claſſe ſæpe vaſtarint, donec recepta à Francis Venetíſque Conſtantinopoli, Bonifacióque Monferatenſi principi ab Balduino imperatore ſorte data, eam ille Henrico Dandulo duci, & Venetis ceſſerit. Ex hac inſula varia, & ampla documéta ſummæ Venetorum humanitatis percipi poſſunt: ſiquidem eam ſæpius rebellãtem duces Veneti & Senatus ipſe ita cõplexi ſunt, vt deducta eò colonia patriciorum & plebeiorum Veneti ſanguinis, conſtans in fide ad hanc ætatem mãſerit. Calergis optimè de Veneto nomine meritis, & aliis Cretici ſanguinis patricio ordine donatis.

De eodem in Iadrenſes.

VIX cuiquam perſuaderi interdum poſ-

ſet, tãtum benignitatis in ducibus ſenatúque Veneto affuiſſe, vt Iaderæ ſepties ab imperio Veneto deſciſcẽti veniam ſemper tribuerint. Eiecerat illa ſuos pretores non ſemel, Pannonas iterum, atque iterum, magnis propoſitis præmiis ad ſeſe aduocarãt, vario bellorum genere Venetũ nomen ſæpe vexarãt, ceciderat in acie fortiſsimè pugnans Ordelaphus Faletrus dux: ſteterant pro Genuẽſibus Liguſtico bello, cum magna Illyrij parte, & tamen veniam petentibus ſemper data eſt. Quam tu igitur humanitatem, quam benignitatem Venetæ parem ex Græcorum Latinorúmque monimentis huic ipſi leges? Deſciuere ſæpius à Romanis finitimi populi, graue bellum cũ Samnitibus per multos annos eſt geſtũ, Capuam infeſtiſsimam habuere, pro reliqua Italia ſæpe à Romanis certatũ legas, Carthago contra illos tria bella punica, ſociale denique bellum pernicioſiſsimũ intra Italiæ fines ſenſit. Et quis non videat grauiſsimas pœnas à deuictis populis ſemper exactas? grauíque ſeruitutis iugo ciuitates oppreſſas? Cum Veneti inuiti frequẽtius bella geſſerint, de victis verò nulla alia trophæa, præterquàm ſummæ benignitatis, & lenitatis retulerint.

De eodem Senatu in Ligures.

NVLLVM vnquam atrociorem, infeſtioreḿque hoſtem expertæ ſunt Venetiæ Ligure ipſo: qui quanuis ab Adriatico ſinu noſtro longè diſtaret, maritimis tamen aſſuetus velis, Venetíque nominis æmulus, non potuit non acerbiſsimus eſſe, dum partim ſuis, partim alienis auſpicijs bellum contra Venetos gerit. Cæterum vt alia in præſentia omittam, quis ignorat Andrea Contareno Duce bellum ab hoc hoſte Venetis illatum, vt de libertate ipſa certatū, non de imperij finibus videri poſſit? in hoc tamē ipſo bello ſic à Venetis poſtremò dimicatū eſſe nemo nō fateatur, vt ſumma humanitatis exempla in acerrimū hoſtem ſemper ſint ædita, & nouiſsimè ab Cōtareno Duce recepta Clodia, quatuórque milibus captiuorum receptis, in publicámque cuſtodiam datis, ſic publicè, priuatímque ſunt habiti, vt non facilè crederes eum eſſe Genuēſem hoſtem, qui Venetam libertatem penitus opprimere ſtuduerit. Satis enim conſtat, & publicas ędes illis aſsignatas, vnde proſpectus in canalē maiorē foret, & certatim à matronis ſingulis diebus allata ijs cibaria, ægrotantéſque,

ſi

ſi qui forent, vario medelę genere leuatos eſſe, ſumma cura ſemper adhibita, ne quis neglectus eſſe omnino videretur.

De eodem Senatu, in Herculem Ferrariæ ducem.

FERRARIENSE bellum, ſiue ſociale potius appellare mauis, quando vniuerſa Italia in nos exarſit, cui non cognitum, celebratúmque eſt? Sic enim biennio, & amplius idipſum eſt geſtum, vt ipſa Ferraria capi, expugnaríque à Venetis potuerit, ſi fides in Italię principibus affuiſſet, in quibus ſumma eſſe debuerat: & tamen inita mox pace, Hercules dux, quum Venetias inuiſeret, adeò benignè, iucundéque ſemper exceptus eſt, vt & ædes publicę iam pridē à Venetis donatæ, maioribus ipſius vario ornamentorum genere ſternerentur, & ipſe publica impenſa cum omni comitatu ſuo magnificentiſsimè aleretur.

De Carolo Zeno in Genuenſes legatos.

PACE cum Genuenſibus inita, poſtquā Clodia vrbs recepta eſt à Cōtareno duce, bellóque atrociſsimo finis eſt impoſitus, miſsi ſunt Genuenſes oratores Venetias,

qui & publicè Ducem, Senatúmque adirent, & Carolum Zenum priuatim inuiſerent, quos ille tanta benignitate, & facilitate ita excipere ſolitus erat, vt non domi ſolum eos perquàm familiariter haberet, verùm etiam vrbem cum ijs ſæpe luſtraret. Quinetiam dedita opera illos ſecũ ad magiſtratus deduxerit, ad quos deprecaturus ſimulatè venerat, vt ſibi veniam darent, mulctámque remitterẽt, quãdo eorum lictor gladium ſub veſte Caroli ipſius latentem ſibi ademiſſet. Quum id difficilius impetrare videretur, interuenientibus oratoribus ipſis, qui ſuppliciter peterent, & gladium reſtitui, & mulctam remitti ciui de patria tam bene merito, vix magiſtratus adduci potuit, vt ipſi oratores id impetrarent. Quæ tamen omnia fictè, ſimulatéque agerentur, vt Venetijs intelligerent omnes legibus obtemperare debere.

De eodem Carolo Zeno.

EADEM quoque fuit eiuſdem Caroli Zeni in Franciſcum Cararium humanitas, atque benignitas: cui principatu Patauino à Ioanne Galeatio Mediolanenſi Principe deiecto, in exiliúmque ad A-

ſtam oppidum miſſo, relegatóque, Carolus fortè obuius factus eſt, qui tum Imperio vniuerſi principatus præeſſet. A quo quum propter veterem amicitiam nõ paruam pecuniæ ſummam peteret, vt vitam produceret, ſeſéque alere vnum poſſet, perlibenter illi, & quàm facilimè petitam pecuniæ ſummam numerauit, iuſſítque vt omnem operam à ſe expectaret, quæ preſtari ab ſe, ſua cum dignitate illi poſſet.

De Petro Lauretano.

NON deerant adhuc publicæ virtutis huiuſce exempla, quæ referri à me iurè poſſent, vt in Carrarios, Scaligeróſque ipſos ædita complura enumerarem: ad hęc quantũ ſemper Conſtantinopolitanos Imperatores Veneti duces, vniuerſáq; ciuitas coluerit, omnibúſque humanitatis officijs ſit proſecuta. Cæterum quum priuata lectoris magis profutura intelligerem, Petri Lauretani totius rei maritimæ Venetæ Imperatoris ſummę benignitatis exemplũ in Franciſcum Spinulam Genuẽſium præfectũ, aliquóſq; eius cõſiliarios viros illuſtres, illi additos à Republica ſua præteri-

re ſine piaculo non poſſum,qui ad Rapali tanum ſinum victis Genuenſibus captiuũ ipſum Spinulam, & reliquos ad ſe adductos adeò benignè, adeò humanè excepit, vt illos penè fratres Lauretanos maiore aliquo periculo ſeruatos diceres,excepta eſt quandoque Spinulæ vox admirantis tantam animi lenitatem, atque clementiam, palámque dicentis,neque in claſſe ipſa,dũ Venetias veheretur, neque in ipſa ciuitate aſſeruatum,ſe captiuum eſſe,tanta Lauretani in omnes Genuenſes animi lenitas fuit.

EXTERNA.

De Totila Gothorum rege.

PRINCIPEM ſibi locum vendicauerit Totilas rex, quamuis Barbarus,& in quem ne ſenſum, quidem humanitatis vllum cadere poſſe crederes,niſi pro certo literis proditum eſſet,quod Ruſticianã Boëtij vxorem & Simmachi ſororem,nullo afficiendam ſupplicio,nulláque plectendam pœna duxerit, quãuis accuſaretur, illáque minimè negaret Theodorici regis Gothorum imagines,& ſtatuas,vbicunque inuenire potuiſſet,ſummo ſtudio deleuiſſe. Cẽſuit enim Totilas ſecum tacitus non eſſe

grauiore pœna afficiẽdam fœminam,quæ Boëtij coniugis ſui manibus, & Simmachi fratris,quaſi parentare voluiſſet: quos certè Theodoricus rex ipſe præter omne ius & fas interficiendos curaſſet.

De Iuſtiniano primo Imperatore.

CELEBRENT quãuis Romani ſuũ Paulum Æmilium,qui Perſea Macedonum regem Albæ cuſtoditum, vitáque poſtea functum,magna funeris põpa extulerit:extollat laudibus & alios ſuos imperatores vrbs Roma, quòd in populi Romani hoſtes acerrimos omne humanitatis ius præ ſe tulerint, non facilè tamen ex iis, quempiam Iuſtiniano Conſtantinopolitano principi in hoc genere laudis prætuleris. Ille enim Vitigem Gothorum regem à Beliſario captum, Conſtantinopolímque ex Italia ad ſe miſſum,non modò cuſtodiri voluit, ſed benignè à ſe acceptum, váriíſque muneribus donatum,&patricio ordine inſignitũ, finitimæ Perſidos regioni regia fermè poteſtate,& titulo præfecit.In qua tãto cum imperio moriens, vix obliuiſci potuit ſe regem non eſſe.

De Roderico Biuaro Hiſpano equite.

HABEBIT & Hiſpania ſuum propriúmque hac in parte decus, quo iure ſanè optimo, Rodericum equitem ſuum in hoc genere laudis maximè commendet. Qui aduerſus Mauros Bethicam occupantes, magno cum exercitu proficiſcens, à Petro Arragoniæ rege impeditus eſt, ne tam honeſtum, egregiúmq; facinus perficeret. Quare occurrentem ſibi magnis cum copiis primo congreſſu, non ſine labore victum, captiuum etiam regem habuit, ſed humanitatis ſuæ, & clementiæ Rodericus eſſe duxit, & regi aduenienti occurrere, & illũ benigniſsimè ſalutare, ſeſéque illi pro regio faſtigio ſubmittere. Inſuper verò magnis etiam pro fortuna ſua eum donare muneribus, eíque ſtatim, & liberè in regnum remiſſo de ſeſe omnia polliceri.

De Alphonſo Caſtulonenſi rege.

FLORVERE ſemper Hiſpaniæ non ſolùm claris, illuſtribúſque viris, verùm etiã principibus, ac regibus longè clariſsimis. Inter quos præcipuum ſibi vendicabit locum humanitatis, & clementiæ ſingularis Alphonſus Caſtulonenſis rex. Ille etenim deprehenſum Bethici ſanguinis virum in caſtris ſuis, qui Maumetheum delirium ſe

queretur, ídque tantum peragere feſtinabat, vt ipſum Alphõſum interimeret, quacunque ratione poſſet, dẽprehẽſum, cõfeſſúmque tantum crimen, non modò pœna vlla non affecit, ſed regiè planè veſtitum, ac ornatum, & non mediocri pecunia ſuccinctum dimiſit. O humaniſsimum, & clementiſsimum regem, cuius exemplũ tam memorabile, ne in priuatis quidem inuenias adhuc vllis.

De Saladino.

NEMINI qui regum noſtratium ac principum geſta quingenteſimum abhinc annum pro Chriſtiana pietate legerit, ignotum, obſcurúmque Saladini Turcarũ principis nomen eſſe poteſt. Fuit enim hic tantæ virtutis princeps, & morum elegantia, & rei militaris gloria, vt vix vnum, aut alterum, etiam Quiritij Romaníque ſanguinis imperatorẽ, conferre illi poſsis. Nã captis ab eo Hieroſolymis, quũ paſsim illi fœminarũ vulgus, & matronarum comitatus occurreret, quæ, & maritos ſuos in acie interfectos deflerent, & ſupplices peterẽt, ne pactam pro redẽptione ſua pecuniam, quæ illis nulla ſupereſſet, exigere vellet, tantã humanitatẽ erga illas exhibuit, tantámq; clementiã in eas præ ſe tulit, vt non

modo quicquã ab ijs extorſerit, ſed benignè ad ſe appellatas, numerata ſingulis pecunia, variiſque muneribus ornatas vltrò dimiſerit: datis etiam ducibus, qui eas quocunque abire malent, tutò innocentérque deducerent.

De Sixto tertio Pont. Max.

NEMINEM certè noſtrûm reor æquè admiraturum Sixti Pont. Max. Chriſti vicarij, Petríque ſucceſſoris factum inſigne, humanitatíſque, atque clementiæ ſingularis plenum. Qui accuſatus à Baſſo Romano patritio, interueniente etiã Placida vxore, varijs illi calumnijs obiectis, omnium iudicum ſententijs, nulláque penitus variante abſolutus eſt. Quare quum Baſſus ipſe, & vxor exulare ab vrbe cogerentur, primùm Sixtus id à iudicibus deprecatus eſt, quod cum obtinere non potuiſſet, mortuo non multo poſt Baſſo facilè oſtendit animi ſui benignitatem, & placabilitatem: namque eius cadauer Sixtus, quod in vrbẽ deferendum curauit, proprijs manibus ornauit, varióque genere ſupplicationum, & precum vſus, ipſemet ſepulturæ tradidit.

De Gratis. Caput II.

IMMINVIT mihi quotidianum hunc

laborem ſcribendi meum, quod in ea vitæ parte ſtylus ipſe verſatur, in qua de ipſa virtute pręcipuè agitur, quę ſanè ipſa quũ propria ſit hominis, vníque ſibi precium, in multas tamen diſtribuitur partes, variáſque appellationes. Et quamuis hactenus de ipſa humanitate, & beneficẽtia à me diligentius actum ſit, quæ certè pars multo iucundiſsima mihi fuerit, hæc tamen ipſa, qua grati animi vis elucet, neſcio quo pacto mihi iucundior eſt facta: quis enim neſciat, ſi grati animi laus de medio tollatur, omnem vitæ ſocietatẽ, omnia officia ſublata eſſe? Neq; enim aliud à nobis immortalis Deus magis expetit, quàm vt pro meritis illius in nos gratias perſoluamus. Quid ipſa à nobis patria? quid parẽtes à liberis? quid ab amicis amici, magis aliud exoptãt, aut exquirũt, quã vt cõſtantiſsimè ſemper hunc ipſum, vt nũquam accepti beneficij memoria excidat præferamus animum? Vt ſi in ingratum fortè incideris, acceptíque beneficij immemorẽ, nihil eo homine tetrius, nihil iniquius eſſe ducas. Siquidẽ ingrati animi vitium nullam ſecum virtutem perferre valeat.

De Senatu Veneto.

RETINVIT iam inde à ſui primordio perpetuo quodã tenore hanc grati animi laudem Senatus Venetus, adeò cõſtãter, vt ne minimi quidẽ in ſeſe beneficij vllo vnquam tẽpore ſit oblitus, Et ne alia vetuſtiora nunc repetã, recentioribus explicãdis multò ſanè libẽtius inſiſtã, ab ipſa ſacrorũ cõmemoratione ducatur exordium. Cauit igitur Senatus ſanctiſsimo iure, poſtquam Teupulana coniuratio penitus ſublata eſt, vt eius diei æternam memoriam, ſacrámq; pio cõſtantíque amore retineret. Inuiſitur igitur ab omnibus ordinibus D. Viti Phanum xv. Iunij menſis die, inuiſit Dux, vniuerſúſq; Senatus & populus, magna cum pompa, & gaudio, perſolutíſq; gratijs rite Deo Opt. Max. patres ipſos ſecũ redeũtes, intra palatinas ſuas ædes princeps publicis excipit epulis.

De noui Duci creatione.

VT prætermittam ſuo ſtatóq; tempore annuo varia diuorũ tẽpla celebri etiã Senatus põpa inuiſi, adiríq; ſolita, nemo non ſcit, vbi primùm in demortui locũ principis, nou' Dux ſit à quadragĩta viris dictus, eũ ſtatim D. Marci ſacrã ædẽ inuiſere, ſacráq; ibi obire populũq; ipſum ꝓ cõcione

de ſuperiore loco alloqui:tunc accepto ſacraméto, perſolutóq; ſacerdotib' ipſis de more munere,ſalutatáq; D. Marci ara,hîc ad ducarias ædes, ſacriſque omnibus ritè peractis priuatis ſuis negotijs incumbere.

De eodem Senatu.

Ne noſtratia repetam exépla eius generis,quo ciuibus ſuis optimè de patria meritis, gratiſsima ſemper ciuitas perſoluerit, iuſtis magniſq; honoribus illis attributis, qui maritimis rebus præclarè geſtis claruiſſent, tranſitũ nunc faciã ad ea quæ nõ minus illuſtria celebriáq; ſint futura quãuis peregrinis hominibus attributa ſint,qui de nomine Veneto optimè meriti,gratum ipſum Veneti Senatus in ſeſe animũ ſunt experti. Cattæ igitur mellitæ,qué ꝓpter eius egregias virtutes,ſummúmq; eius in Venetum Senatum ſtudium vniuerſæ rei militari præfecere Imperatoré, quis ne ſciat primũ viuẽti illi maximas ampliſsimáſq; gratias perſolutas? Qui vnus mox Brixiam ipſam ſua diligentia ſeruarit,hoſtium copias ſæpe fuderit,tãtámq; fidẽ támq; conſtanté ſemper exhibuerit, vt meritò mortuo illi,& publicę exequię ſint habitę,&eq̃ſtris ſtatua Patauij ad D. Antonij ſit poſita,

quæ hodie quoque non ſine omniũ expectatione ſpectetur. Cæterũ nunquã obliuiſcar alterius exempli eiuſdẽ generis, quotieſcũq; meminerim Bartholomęi Colleonis Bergomatis ciuis, qui & ipſe ſua ætate rei militaris gloria celebris, poſt magnas præclaráſq; res bello geſtas, ſumma etiam fide, & charitate in Venetos, quoad vixit Imperator rebus omnibus militaribus prę fuit. Cui etiam morienti marmorea equeſtris ſtatua ad Gemellorum ædem ſit poſita: perpetuum omnibus, & exhibitæ in Venetum Senatum ſuæ fidei, & grati animi in eundem Senatus monimentum.

De Paulo Sabello.

EXTAT hodie Venetijs minoritanæ familiæ templum inſigne, multos iam antea annos erectum, quod planè me admonuit, ne & Pauli Sabelli Romani ſanguinis viri, & gratiſsimi in illum Veneti Senatus iudicij obliuiſcerer. Hic enim virtute ſua, & animi robore, & conſtanti in Venetum Senatum fide ſic excelluit, vt & Carrarij principes huius opera præcipuè ſint Patauina vrbe deiecti, & Patauina vrbs diu antea Veneto nomini infeſta, ſit recepta. Quare Veneti illũ varijs & amplis be

neficijs ſunt cõplexi, & morięti in eodem tẽplo (cuiꝰ paulo ante meminimus) equeſtris ſtatua ſupra Sacelli ianuam erecta, celebris in hunc vſque diem habeatur.

De Iacobo Caballo.

QVAMVIS à me tẽporis ordo ſeruatus nõ eſſe videatur, æquiſsimo tamẽ animo, vti ſpero, legẽtes ferent quũ egregiam Iacobi Caballi Veronenſis induſtriã in re militari, ſummámq; illius in Venetũ nomẽ Clodięſi in primis bello exhibitã acceperint. Siquidẽ ille militari vniuerſæ rei præfectus, littoráq; ipſa cõtra Ligurẽ infeſtiſſimũ hoſtem obſeruare iuſſus, ſtrenuè hoc ipſum præſtitit, multáque alia facinora in eo bello edidit: vt illũ Contarenus Dux, Senatúſq; Venetus primũ patritio ordine donarit, cum ſuis omnibus hæredibus, qui etiam hac ipſa tẽpeſtate hodie floreãt, illo etiã inſuper addito munere, vt quodcunq; ille pro domeſtico vſu ſuo in vrbem inferret, neque ipſe, neque eius hęredes quicquã in publicum cenſum referre cogerentur, quod nulli Venetias incolenti, hodie ſit conceſſum.

De XXX. familiis patritio ordine donatis.

NIL mirum dixerit quiſpiam eſſe, ſi Veneti Senatus in vnum, aut alterum grati animi ſpecimen extiterit: quid verò ille dixerit, quum audiet triginta familias plebei ſanguinis optimè de Rep. Venetóque nomine meritas, difficilimo eo tempore, patritio ordine omnes cum ſuis hæredibus eſſe donatas? Quarum hæredes in hunc vſque diem inſignes opibus, & dignitate, atque autoritate floreant.

De Ioanne Quirino, & Benedicto Prunulo.

NON patiar mihi, aut poſteris elabi Ioannis Quirini gratiſsimi in Prunulum diſcipuli memoriam. Ille enim defunctum Prunulum præceptorem ſuum, & meum, cuius per aliquot annos frequens auditor fuerat, natu etiam grandior, ſepeliendũ curauit, monumẽtúmque marmoreum mox inſigne in Minoritana æde poſuit: memor nimirum, & egregiæ illius bonitatis, & ſingularis, quam ſub eo imbibiſſet eruditionis. Inuiſant igitur locum ſtudioſi iuuenes frequẽter, vt hoc exẽplo edocti, quantum diſcipuli ipſi præceptoribus ſuis debeant perpetuò meminiſſe velint.

De Marco Antonio Sabellico.

ET vt tandem à bellicis artibus, ad eas quæ pacis ſunt redeam, Marcus Antonius Sabellicus teſtis omnibus eſſe poterit, quãta ſemper conſtantia Veneti hanc ipſam grati animi laudem retinuerint, quæ certè meo iudicio virtutum omniũ laudatiſsima parens, & autor eſſe exiſtimanda eſt. Ille enim extremi ſanguinis, quum Venetias veniſſet, variiſq; in Italia locis ſumma ſua cum laude Latinas literas profeſſus eſſet, animum tandem adhibuit ad decadas ſcribendas, quibus libris res à Venetis geſtas, & ab vrbis primordio ad ſuam vſque ætatem, ornatè imprimis, & eleganter eſt complexus. Quare non dubitauit Senatus ducentis aureis nummis eum quotannis, dum viueret pro egregio hoc eius munere donare. Non poſſum hoc in loco, & illud ſilentio inuoluere, me quoque eiuſdem Senatus decreto, poſt trigeſimum meæ profeſsionis annũ, pari munere, quoad ſuperſtes fuero, inſignitum.

De eodem Senatu.

FINEM imponent præclari duo Imperatores militaris rei huic parti, quum tamen plerique alij referri in hoc album à me non immeritò potuerint. Nemini

obſcurum eſſe reor ex iis,qui hodie ſuperſint, Carolum octauum Gallorum regem, poſt receptum propria virtute Neapolitanum regnũ,quinquageſimum ab hinc annum redeuntem in Gallias, Tarenſi apud Parmam acie ſuperatum à Venetis, ductu auſpiciíſque Mãtuani imperatoris. In quo prælio deſideratis præclaris aliquot ducibus & viris fortibus,omnes eorũ hæredes, Senatus Veneti decreto eſſe donatos, cum ipſo Mantuano duce,perpetuis amplíſque quoad viuerẽt muneribus. Sed & Nicolaũ Petilianum recentius nos ipſi vidimus, qui magnis, præclaríſque rebus geſtis, poſtremò vrbe Patauio recepta, ſeruatáque mox à grauiſsima omnium obſidione Maximiliani imperatoris, Chriſtianorúmque regum,& principum,quum non multo poſt fatis concederet, publico Venetiis funere elatus eſt,Duce Senatúque,& vniuerſa ciuitate præeunte. Quem nos funebri oratione publicè proſequuti ſumus. Quinetiã equeſtris ſtatua in Gemellorũ æde illi poſita eſt, è regione alterius clari ducis Leonardi à Prato,cuius ob virtutẽ in Patauina oppugnatione præſtitã equeſtris quoq; ſtatua viſitur. Quæ res adhortari iam vnũquenque poſſet ad benemerendum de Veneto

neto nomine, certiſsima ſpe, benefactorum in Venetos memoriã nunq̃ interiturã.

EXTERNA.

De Fla. Valerio Marciano Imperat. Conſtantinop.

SVBIICIENTVR in pręſentia à nobis ea grati animi exempla, quæ in externis hominibus etiam floruere, vt quum latiſſimè fines ſuos grati animi laus propagauerit, mortales ipſi ad hanc virtutem comparandam quotidie magis incaleſcant animis, quando etiam bruta quoque animantia referenda ſunt à nobis, quæ virtutis huiuſce ſenſum imprimis referant. Interim Fla. Valerius Marcianus, memorabili etiã exemplo reponetur. Hic priuatis ortus parentibus, quum in Lycia ageret penes geminos fratres Tarcianum, & Iulium, hoſpes ab ijs benignè ſuſceptus, præterquàm quòd obſeruarant aquilam dormiẽti Marciano ſuperaſtãtem, ab eiúſque capite expanſis alis ſolis radios auertentem: quum inde diſcederet muneribus ab iis donatus, & pecunia adiutus Conſtantinopolim petijt, vbi Ariadnæ coniugis opera Zenoni cognomento Iſaurico cõciliatus, eo mortuo, imperator eſt ab omnibus dictus. Qui

mox accepto imperij ſceptro memor imprimis Lyciorum fratrum, ſtatim ad ſe eos vocari iuſsit: vnúmque eorum Illyrico, alterum Conſtantinopolitanæ vrbi præfecit. Acceſsit ad hoc, quod benigniſsimè ſemper vtrunque apud ſe habuit, magníſque, & amplis muneribus (prout res poſcebat) ſemper ornauit. Dignus certè, qui vel hoc vno nomine inter optimos principes adnumeretur, & certè niſi Eutichiana labe infectus fuiſſet, maiore ſtudio in hũc numerum referri potuiſſet.

De Armirate Turca.

QVIS hoc grati animi exemplum non libenter legerit, memorięque ſuæ fixũ eſſe voluerit? quum audiet Turcici ſanguinis virum, huius laudis expertẽ minimè fuiſſe? Is memor olim à Balduino Hieroſolymorum rege ſe acie victo, vxorem ſuam à victore captam, eámq; ab omni labe ſeruatam, quam in itinere grauidam ipſe reliquiſſet, inſuper ſeruis, & ancillis, & tentorio bene munitam? Deſtitutam igitur omníque ope nudatam Balduinus rex ſic fouit, ſic curauit, vt chlamidem ſuam illi inſterneret: magníſq; donatam muneribus, citra vllam noxam ad maritum remitteret.

Poſtea, memor inquam tantę gratiæ, maritus ipſe Turcarum princeps, dicto Balduino ab ipſis Turcis Románque vrbem immunitam confugiẽti, ipſe Armiras clam ad eum acceſsit, cóque admonito, vt ſe itineris ducem ſequeretur, adeò fidus illi comes affuit, vt tutum in regiam vrbem Hieroſolymam incoluméḿque deduxerit. O grati animi in homine barbaro clariſsimum exemplum, quod omnes vtinam ſequeremur: quando ab hac ipſa veluti à fonte, reliquæ omnes virtutes nobis faciliores, & honeſtiores occurrerent.

De Genuenſibus in Petrum Fulgoſium gratiſsimis.

FLORVERE quidem olim, & hodie etiã florent multis, præclaríſq; animi dotibus Genuenſes. Cæterum in Petrum Fulgoſium memorabile eiuſdem ciuitatis exemplum nunquam à me ſilebitur. Ipſe enim claſsis præfectus in Cyprum inſulam publico nomine miſſus, eam prouinciam adeò diligenter, & fœliciter adminiſtrauit, vt inde recedens, magna abacta prẹda. Famaguſtam quoque vrbem Genuenſium imperio addiderit (præcipuum eius inſulæ oppidum) quod adeò gratanter, lætí-

que Genuenſes accepere, vt ipſum ducem magna prædæ parte donarint, publicóque decreto decem aureorum milibus honeſtarint, tantæque victoriæ diem æterna memoria conſecrarint. Vt tamen Fulgoſio ipſi quotieſcunque annuo ipſo die ad minoritanam ædem publicè proficiſceretur, omnes præirent in eo comitatu, vrbis duce excepto.

De Leone I I I. Pont. Max. & Carolo magno Imperatore.

DVBIVS planè animi eram, quũ in hanc partem referendam totus mente incubuiſſem, Leoné ne Pont. Max. Carolo, an Carolum imperatorem Leoni in hoc ipſo referendæ gratiæ ſtudio anteferrem. Nam tanta magni Caroli in Romanã ſedem benignitas excelluit, tam de ipſa benemeritus eſt, vt meritò, & Chriſtianiſsimi cognomen retulerit primus, & imperatoria dignitate à Leone I I I. Pont. Max. exornatus ſit. Sic incertus, variúſque neſciebã cui primas grati animi partes tribuerem. Certè Carolus ipſe magnã Italiæ parté à Longobardis tot annos oppreſſam, in Pont. Maximorum gratiam ita reſtituit, vt illum tamen pœnitere impenſæ, tributęque gra-

tiæ nunquam potuerit. Contrà verò Leo Pont. accepti beneficij memor, eas illi gratias retulit, vt maiores certè referri nō poſſent. Sed quoniam primum locum obtinuit ille, qui gratiam beneficiúmque contulit, ſecundum verò ille, qui accepto beneficio ſemper de referenda gratia cogitat, vt etiam ſi par pari reddiderit, nũquam tamen obliuiſcatur illius, qui collati beneficij autor, & princeps fuerit: relinquemus igitur in medio hoc ipſum in præſentia, & lecturi quandoque hæc noſtratia, ipſa hæc conſtituent, & iudicabunt.

De leone gratiam referente.

CONSVLENT iidem æqui, boníque, niſi fallor, omnes, ſi ab hominum relatione, & præſertim tam clarorum ad leonum feritatem, ac bruta animantia quædam tranſitum fecero. Id, quod à me eo cõſilio fiet, vt quum in brutis ipſis omnem penitus rationem, virtutíſque ipſius ſenſum abeſſe ſciamus, vnum tamen in quibuſdam referendæ gratiæ ſtudium relictum eſſe minimè dubitemus. Neque verò hac in parte leonem cęteris animantibus pręferre, huiúſq; animantis memorabile facinus, quod Appion cognomento Polyhiſtor à ſe Ro-

mæ in media arena viſum prodiderit, poſteritati celeberrimum reddere pigebit. Ille igitur quanuis in ſuis Ægyptiacis libris multarum rerũ venditor eſſe potuerit (vti ſunt, ſempérque fuere Græcorum hominum ingenia) in hoc ipſo tamen, quod à ſe in medio circo viſum fateatur cum maxima totius populi admiratione, neque ab alijs falli, nec alios fallere potuit. Erant igitur iam leones in prõptu non pauci, qui in ipſa arena homines dilaniarent. Erat & Androdus conſularis viri ſeruus, ſic morti deſtinatus, vt ſtatim laceraretur (dominũ enim dum in Aphrica ageret, propter nimiam eius crudelitatem deſeruerat pœnæque metu in Aphricæ ſpecu triennio delituerat) quum fortè ingreſſus Leo eo conſpecto blandè benignéq; ſummiſſa etiam cauda ad eum acceſsit, tanto ſui terrore, vt deuorandum ſe ſtatim ab eo putaret. Sed quum ille ſæpius pedem illi offerret, tanquam medicam ab eo opem quæreret, animaduertit grauem eſſe Leoni in pede tumorem, ſaniémq; vndiq; erũpere. Securior igitur animi factus, & ſtipẽ è pede euulſit mali cauſam, & diligentius accuratũ à ſe dimiſit. Cuius beneficij non immemor leo, qui tum fortè cum alijs aderat, ſtatim ſeſe

proripiens,ad Androdum à ſe viſum concurrit, illúmque benignè adijt, & quaſi teſtari vellet, ſe eſſe memorem accepti beneficij,pedes,& caudã ſubmittebat. Quæ res ex populi acclamatione vniuerſi tantum admirationis exciuit,vt euocatus Androdus ad principem, ſubſequente ſemper leone,ab eo quæreret imperator,quídnam hoc eſſet rei, ille verò haud equidem ſcire ſe palàm fateri, cęterum meminiſſe à ſe leonem in ſpecu curatum,qui nunc gratię memor ſeruare ſeſe ſtudeat. Qua re cognita perſpectáq;,à principe dimiſſus eſt:hinc per vrbem comitante leone,cum omnium ſtudio viſendi diu profectus eſt. Nec verò Syracuſani Mentoris, aut Samij Elpidos leonum generoſitatem huiuſcéque virtutis ſpecimen teſtentur, qui duo, vt Plinius eſt author, quum Leones curaſſent, ab iiſdem relatam ſibi gratiam ſenſerint, vt etiã apud Samum,ſeruatoris Bacchi tẽplum ab ipſo Elpide erectum ſit,grati in ſeſe leonis teſtimonium approbante.

De canibus.

FIDELISSIMVM homini animal eſſe canem, non ſolùm erit teſtis, certiſ-

ſimus C. Plinius, qui tot, & tanta ſuis libris omni memoria digna contexuit, ſed vita planè omnis noſtra teſtimonium illi præbuerit, quum paucisſimi hodie ſint, qui canem domi non alant. Vnũ igitur volens, Iubénſq; cõmemorauerim, quod Ambroſius ipſe non omittendum ſibi duxerit, in iis libris, quibus ſenum dierum opus complectitur, fuiſſe. ſ. Antiochiæ canẽ, qui domini ſui cadauer aſſeruans, vlulatu, & gemitu dolorem noctu teſtaretur ſuum. Cæterum ſuperueniente luce, quum magna hominum multitudo conueniſſet ad tantæ rei ſpectaculum, ab eodem cane latratu aſſiduo petitum eſſe cædis autorem. Qua re deprehenſa captus cędis patrator à multitudine, ad iudicémque deductus, non potuit non fateri à ſeſe interemptũ canis dominum. Quare illo ſupremo ſupplicio affecto, facilè nobis canis probauerit, grati animi vim ſibi præcipuam adeſſe, beneficiíque memoriã, nunquã interire. Qui verò plura ſcire deſiderat C. Plinium diligentius euoluat, qui veterum ſcriptorũ vnus, multa, & magna fidei, gratíque animi canum exempla prodidit.

De ingratis. Cap. III.

NON poſſum certè non inuitus immorari diutius in hac ſcribendi parte, in qua de ingratis à nobis agendum eſt. Primùm quòd hoc vitium tam làtè, támq; facilè in hominum genere pateat, quum natura ipſa nos alieniſsimos ab hoc ipſo genuerit: vt neſcias certè quomodo id euenerit, vt in hac ipſa virtute retinenda geniti, recordandi collatæ gratiæ, referendęq́ue contumaciſsimi euaſerimus. Quare vniuerſos adhortari velim, vt benefici præcipuè ſint, & referendæ gratiæ, qui beneficium acceperit, memor perpetuò eſſe velit. Cuius præcepti nobis inſiti à deo optimo maximóq;, ſi memores eſſe voluerimus pro certo nobis eſſe debebit, & fœliciſsimam vitam nobis affore, & ab ipſo funere ipſi cœlo quã facilimè, veluti poſtliminio eſſe donãdos. Quando deus ipſe non aliud ferè à nobis exigat, quàm vt grati memoréſque ſimus, gratiæ, quam ſemel accepcrimus. Sed iam ipſum inſtitutum opus aggrediamur.

De Methamaucenſibus.

VTINAM Methamaucenſes aut Heracleenſium retinuiſſent exemplum, qui de ſuis ducibus optimè meriti ſemper fuere, aut meliore fato Methamaucum imperij

Veneti ſedes ab Heraclia tranſlata eſſet. Neque enim nunc à me inter ingratos primi admirarentur, qui partim duces ſuos, aut oculis priuarunt, aut exulare coëgerũt: donec Valẽtini ducis auſpicijs, relictis infauſtis Methamaucis ſedibus, Riuumaltum optimo augurio immigratum ſit, quæ imperij ſedes in hunc vſque diem fortunatiſsimè perdurat.

De Venetis in Riuumaltum tranſlatis.

NON poſſum facere, quando mihi veritas ipſa prodenti maximè placeat, probatáque ſemper ſit, vt non ingratum populi Veneti in duces animum, ſub ipſa primordia tranſlatæ à Methamauco in Riuumaltum ſedis non cõmemorem. Hic enim ſuo ingenitóq; furore duces treis vno eodémque ordine interfecit: duos cum ipſo Centranico in exilium miſit, Vrſeolámque familiam claris ducibus ornatam ab vrbe penitus exegit.

De Carolo Zeno.

FVERINT quæ ſuperius ſcripſimus furentis ſemper populi, & inſanientis iudicia, quid de Caroli Zeni carcere, aut de procuratoriæ dignitatis abdicatione dice-

mus? Vix enim alterũ reperias in hac ſancta Senatorum copia, & dignitate, quem Carolo Zeno conferre valeas: qui virtute ſua, animíque magnitudine Clodiam vrbem receperit, qui Ligurem hoſtem naualibus prælijs toties vicerit, qui Bucicaldum Francici ſanguinis virum fuderit, nauímq; Bichinioniã omniũ ea tempeſtate opulentiſsimã expugnarit, ſenéxq; poſtremò Cyprium regnum, pulſo Ligure ex ea inſula tota ſuo regi aſſeruerit. Omitto quòd neque etiam ſatis exploratum, certúmve crimen id fuerit, cuius accuſaretur.

De Victore Piſano.

FVIT hic Piſana familia Venetiis longè clariſsima ortus, animi magnitudine, & multarum rerum experientia Senator illuſtris, quíque ob egregiam virtutem ſuam, Liguſtico bello imminente, Imperator rei maritimæ totius declaratus ſit. Is cum Polæ ageret Luciani Auriæ Genuenſium ducis inſidijs partim, partim præfectorum ſuorum quorundam ignauia, victus prælio eſt. Id quod Venetus Senatus, & Dux adeò ægrè tulit, vt innocentem ipſum Victorem in carcerem truſerit, vinculíſque etiam ingrata ciuitas vinxerit: quem

tamen non multò poſt expoſcente id ipſum aſsiduè vniuerſa ciuitate inde exemerit, paucorúmque Senatorum inuidia, ingratóq; in illum animo factum excuſans, priſtinæ ſuæ dignitati reſtituit, omnium tátо gaudio & lætitia, tantáque frequentia domũ deductus, vt meritò nõ multo poſt, ex Senatus ſententia, vniuerſæ rei maritimæ præfectus ſit. Qui niſi immaturo fato apud Sypontem deceſsiſſet, inſtructiſsima quidẽ claſſe, magna, certáque omnium ſpe præclara facinora edidiſſet. Non poſſum ſilentio ĩuoluere præclarũ imprimis huiuſce viri facinus, ſimul & dictum illuſtrius. Cùm enim ſolutus carcere domũ tanta cũ frequẽtia rediret, quantam ſuprà diximus, tum nauarchus quidam ex plebe rei maritimæ peritia celebris, illique proximus, adhortatus eum eſſe dicitur, vt tanto populi fauore vſus, illatã in patres vlciſceretur iniuriam. Conuerſus ſtatim in illum pugno genam percuſsit, illud inſuper addens, an ego patriæ decreta vnquam cõtempſerim? Illius, vlliúſque ĩ me iniuriæ meminerim?

De Franciſco Foſcaro Duce.

ADMONITVS Baptiſtæ Fulgoſij ſcriptis, præterire nequaquam poſſum ĩ Fran-

ciſcum Foſcarum Ducem decretum Reip. ingratitudinis exemplũ. Qui dux in Thomæ Mocenici locũ ſuffectus, cum quinque & xxx. annos ſumma ſua cum dignitate, & Veneti imperij amplitudine rebus præfuiſſet, quaſi ingraueſcente ętate par tanto honori eſſe nõ poſſet, paucorum certè inuidia, publico tamen decreto, ſuperſtes adhuc ſumma dignitate priuatus eſt. Qui cũ ex Palatinis ędibus purpurea veſte ſuccinctus, magna ciuium multitudine aſtante, decretúmque publicum improbãte, in priuatas ædes ſuas redijſſet, dolore animi intra triduum obijt. Cuius mortem vniuerſa ciuitas ægerimè tulit: vt illum Paſchalis Maſtripetrus dux, vniuerſúſq; patritius ordo ad minoritanam ædem ſumma cum funeris pompa extulerit. Quem Bernardus Iuſtinianus funebri oratione longè celeberrima laudarit, quæ hodie quoque excuſa extet: monumẽto etiã ad minoritanæ ædis aram maximam, ex pario marmore, auróque puriſſimo illi extructo.

De Leonardo Lauretano.

VT interim in Antonium Grimanum virum clariſſimum maioris conſilij autori-

tatem, nimis fortaſſe immaturam nunc omiſerim, id, quod eius non multo poſt ab exilio reuocatio, additáque procuratoriæ dignitatis reſtitutio, ínque Leonardi Lauretani locũ ducis eiuſdem dignitatis mox declaret aſſertio. Quis neſciat Lauretanũ principem longè celeberrimum extitiſſe? qui Ducis dignitati per viginti annos ita præfuerit, quatuor liberis iam adultis, vt eius prudentiam, ac bonitatem ſingularem dum vixit, nemo vnquã deſiderauerit: præſertim verò temporibus illis Reip. maximè infeſtis, quum accepta ad Abduam clade, de totius imperij Veneti incolumitate, diu dimicatum ſit contra Iulium Pont. reliquóſque chriſtianos omnes principes. Et tamen in hunc ipſum non ingrati fuiſſe videri non poſſunt triũ viri, qui mortuo principe creari ſolent, vt inquirant accuratius, ecquid contra leges ab eodem principe ſit quãdoque geſtum. Quod quũ illi acerbius aliquanto indagarent, nullúmque omnino ſupereſſet veſtigium principatus non ſanctè ab eo ac liberis, adminiſtrati, vix ab inſtituto decedere potuerunt, non ſine totius ciuitatis poſtea querela, quod in memoriam tanti principis, tam acres, tamque vehementes videri vellent.

De Franciſco Carmaniola.

QVAM vellem id mihi ſcribenti in primis dari, vt de ingratis pauciora occurrerent. Sed verſanti mihi hac in parte tot & tanta occurrebant exempla, partim ex veterum ſcriptorum lectione, partim ex his, quæ ſeptuagenario mihi ad hanc diem cõtigere, vt interdum per immortalem deum huius me vitæ pigeat, ac pudeat. Quis eſt enim quæſo hodie, qui collatæ in ſe gratiæ memoriam retineat? aut optimè de ſe meritis priuatim, vel publicè gratum animum tribuat? colimus certè opulentiſsimũ quẽque, vt ab eo frequentius beneficia recipiamus: ſed eo planè animo, vt in vnũ, alterũve diem beneficij accepti memores ſimus. Faxit verò Deus tandẽ, vt tollatur hæc peſtis omnis virtutis ex hominũ genere, quẽadmodum & reliqua in natura mala nulla ſempiterna, diuina maieſtas eſſe voluit. Vtinam verò tibi Franciſce Carmaniola mentem hanc Deus ipſe tribuiſſet, vt tot, tantorúmque Veneti Senatus in te meritorum memoriam retinere maluiſſes: qui obſcuriſsimo loco natus inter Allobrogas,

quãuis non male meritus de Philippo Vicecomite Mediolanenſium duce, quum eum fugiens, vt ingratum principem, vitæq́ue tuæ inſidiantem expertus eſſes, vitabundus eius dolos, in Senatus Veneti tutelam, Venetias cum vxore & reliqua familia confugeris, quique te tanta benignitate exceperit, vt nihil iracundiam tanti principis veritus, tibi ſummã totius Reip. ſuæ veluti mancupio crediderit. Quomodo igitur inceſſere animum tuum tantum nephas potuit, vt poſt claram victoriã Maclodienſem tuo ductu auſpiciiſque ex hoſte partam, Cremonam vrbem è manibus elabi tuis paterere, aut claſſem Venetam in Pado agentem negligeres, & de tota re Veneta proditorem te fore Philippo principi ſponderes? Id quod quum literis manu tua ſcriptis cognitum perſpectúmque foret, meritò tibi ceruix publico decreto, inter geminas columnas abſciſſa eſt.

De Theodato Gothorum rege.

VTINAM hoc ingratitudinis vitium in Barbaris tantum hominibus, & ab omni humanitate alienis inueniretur, & non tam latè iam per omne genus humanum ſerperet,

ſerperet,vt iactę radices conuelli etiam intra Græciæ, Italiæque fines haud quaquã poſſint. Quo in vitio Theodatus Gothorum poſtea rex,adeò implicitus fuit,vt nihil eo tetrius cogitari poſſit. Reliquerat Theodericus rex Gothorum Amalesuentam filiam, quæ in regno ſuccederet cum Alarico filio ſuperſtite. Quo puero mortuo,nõ dubitauit regina in Theodato ſtudium omne ſuum reponere, Gothicíque regni faſtigium vni illi credere. Quare Theodatus tanti beneficij immemor,reginam Volſinienſi lacu ſtatim incluſit, mox ſuo iuſſu ſtrangulatam abijciendam curauit.Quo ſanè facto verbum illud vetus veriſsimum eſſe oſtendit: quo maius beneficium in aliquem contuleris,ab eodem graue maleficium expecta.

De Alexio Comneno.

SI QVIS Græcorum annales recentiores diligentiùs euoluerit, in nullo hominum genere frequentiora,aut grauiora ingratitudinis vitia inuenerit,quàm in Cõſtantinopolitanis principibus,qui Conſtã tino principi ſucceſſere. Videas enim & filios in parentes, & in fratres fratres adeò

ſæuos impióſque fuiſſe, vt nihil deteſtabilius, nihil ſceleſtius cogitāti tibi occurrat. Nemo enim neſcit ab Yſacio Conſtantinopolis imperatore, Alexium fratrē ſummopere dilectum eſſe, quem etiam à Turcis captū magno auri pondere redemerit, quē ſecum in ſumma gratia ſemper habuerit. Sed ô nefariū planè hominem, qui mox fratrem deiectum imperij faſcibus, excœcari iuſſerit, ſæuiſsimóque carceri iucluſerit: donec Venetis, Gallicíſque armis adiutus Alexius puer Yſacij filius, ipſum Alexium patruum deiecerit, & cæco patri Imperij ſceptrum reſtituerit.

De Iuſtiniano Imperatore.

LAVDENT Iuſtinianum principem quicunque voluerint, quòd vetera legum monimenta ad nos qualiacunque tranſmiſerit, eorum opera, qui clari ea tempeſtate literarum huiuſmodi ſtudio florebant: quāuis non deſint, qui illum ipſum literarum omnium expertem prodiderint, quomodo autem eius in Belliſarium ingratitudinem placido vlli animo ferre poterunt? quum pro certo habeant in Belliſarium ipſum ingratiſsimum omnium mortalium extitiſſe. Qui in Italiam ab eo miſſus, vt Go-

thos, Vandalóſque omni Italia pelleret, eum ſe Imperatorem geſsit, vt quem illi conferre poſsis habeas neminem. Nam & vrbem Romam recepit, & Gothos Italiæ finibus expulit, vt Vitigem Gothorum regem captum Conſtantinopolim duxerit, & militarem omnem rem ſumma fœlicitate adminiſtrauerit, vt nulla par oratio eius laudi excogitari queat. Hunc tamen redeuntem Conſtantinopolim, ingratiſsimus princeps eò redegit, vt captus etiam luminibus eiuſdem principis iuſſu, quotidianũ panem mendicare coactus ſit. Id ſemper repetens, Belliſarius qui Perſas vicit, qui Gothos Italia expulit, qui vrbem Romam liberam eſſe curauit, diurnam ſtipem à vobis repetit.

De Narſete eunucho.

PAR propè laus eunuchi Narſetis eſſe poterat, ſed fœlicior aliquanto quàm Belliſarij exitus, ſi non ille faſtum fœmineum imprimis exoſus, Longobardos in Italiam euocaſſet. Meruit ille quidem Italia erepta à Barbaris, aſſertáque in veterem libertatẽ, præclarũ æternúmque nomẽ, ſed cum imperatrix Sophia illũ redire in Græciam iuſsiſſet, vt Eunuchus lanæ penſa,

explerct, vide inquit, & dicito rediturum me ſtatim, ídque penſum exorſurũ (quando tanta ingratitudine mecum agit) cuius illa, nec principium, nec finem inuenerit.

De Friderico ſecundo Imperatore.

SVPERERANT ſanè mihi, cum vetuſtiora, tum recentiora huius vitij præcipuè deteſtandi exempla: imponet tamé finem in præſentia Fridericus ſecundus hoc nomine Germanorum Imp. qui vnus mortalium ingratiſsimus céſeri meritò poſsit, vt tamen ſiquis eius exitum ſecum expenderit, non poſsit non ab hoc ipſo ſcelere in primis abhorrere. Fuerat eius pater Henricus quintus Siciliæ regno à Cœleſtino III. Pont. donatus, fuerátque poſtea patre mortuo adnitentibus pontificibus rex Siculis datus, & puer adhuc Innocentij. Honoriíque Pont. cura ſic educatus, vt imperij quoque Romani titulum, & faſtigium Honorij ſtudio ſit adeptus. Sed quis vnquam tam grauiter Romanorum Pont. maieſtatem inſectatus eſt? Quis verò Italiæ maiorem vnquam vaſtitatem intulit, factionibus Guelphorum & Gibellinorum à ſe inuentis? qua re nihil Italico nomini pernicioſius, nihil calamitoſius excogitari

potuit. Acceſsit ad hęc in Guelphicum nomen tam acre odium, vt neminem huius nominis, quoad eius fieri poterat, ſaluum ſuperſtitémque eſſe vellet. Sed nec Pontificibus optimè de ſe meritis, vllam vnquã acceptæ gratię memoriam pretendit, quin potius omni à ſe inſectatione obnoxios ſemper eſſe voluit. Sed attendite ſceleſtiſſimi hominis finem, infigitéque animis veſtris, quæſo per immortalem deum, quicunque ex profeſſo ingratos homines odiſtis. Nam in Siciliam reuerſus, quum prius tamen varijs cladibus affectus eſſet, anathematíſque ſpiculo à Romanis Pont. meritò ſæpe petitus, à Manfredo filio iacens in lecto atrociſsimè necatus eſt, eo potiſsimùm tempore, quo ſe totius Italiæ regno potiturum ſperaſſet.

De Iuda Iſcariothe.

QVO te Iudas Iſcariothes verborũ nimbo, aut ſententiarum procella feriam? Qui mortalium omnium ingratiſsimus, inter XII. Chriſti diſcipulos aſcitꝰ, leuiſsima etiã de cauſa irritatus, & ea turpiſsima, quod ſcilicet pecuniam ex vnguento à Maria Magdalenę oblato, pedibúſq; Chriſti cir-

cumfuſo, vendicare tibi vni non potueris. Quare ſceleſtiſsimus is omnium mortaliũ, ad pontifices profectus proditurum illum pollicitus eſt, prætoriáque cohorte ſuccinctus, ad locum, qui illi notus erat, vbi Chriſtus ageret, peruenit. Cui occurrẽs etiam Chriſtus, quum amicũ appellaſſet, ne oſculum quidem eius auerſatus eſt. Cęterum capto, & vinculis alligato Chriſto à prætorianis militibus (qui audita eius voce, primum humi aliquandiu ſtrati iacuerant) ad Pilatúmq; deducto, ſtatim facti pœnitẽs, & argenteos, quos accepit, dimiſit, & iniquiſsimè à ſe factum prædicare cœpit, qui innocentiſsimum domimum ſuum falsò accuſaſſet. Móxque præſumpta veniæ deſperatione, laqueo, quem ipſe ſibi cinxerat vitam finiit. O nefarium hominem, ô impium, & planè deteſtandum, qui ſaluatorem ſuum vel potius totius humani generis, à quo tam benignè acceptus fuerat, minimo precio accepto prodendum ſibi curauerit.

De pietate liberorum erga parentes. Caput IIII.

EST quidem pietatis nomen tam veterum ætate, quàm his recentioribus ſæculis

vulgatum,& celebre: vt nihil ferè libentius audias,nihil iucundius accipias,quàm ſi quid piè geſtum, factúmque intelligas. Præcipua autem in hac ipſa vis illa,vt Deũ ipſum in primis piè ſanctéque colamus,ab eius veſtigijs ne tranſuerſum quidem vnguem feramur, huc hominum mens ſe attollat, hoc aſsiduè ſempérque meditetur. Quum verò hinc diſceſſeris, parentes tui tibi occurrent, & patria, tùm fratres reliquíque affines, & conſanguinei, nec hinc excluſerim amicum vnũ,aut alterum bene de nobis meritum.Et ne prius diſcedã,quis non Virgilianum carmen per quamlibenter legat,ſuum Æneam audit hac animi dote maximè inſignem,quum patrem Anchiſem humeris ſuis elatum ab incendio liberarit,vt meritò non vereatur ſeſe pium ſupráque æthera eſſe dicere notũ,quod tanti in patrem officij obliuiſci non potuit,filióque ſuo Aſcanio hoc tam à ſe piè factũ commendarit.

De Carolo Zeno.

NVLLA certè tanta virtus, nulla tam varia fuerit, in qua Carolus Zenus, Petri filius, ab ipſo ætatis primordio, teneríſque (quod aiunt) vnguiculis, vſque

ad ſupremum vitæ ſuæ diem, nō excelluerit. Quare mortuo patre viróque imprimis inſigni ad Smyrnam à Turcis interfecto, quando à ſacris nullo hoſtili metu aduerti, auocaríq; potuit, Carolus ipſe puer VII. ætatis annum agens deductus eſt ad Clementem Ponti. Max. quintum huius nominis, Auenioni tūc in Galliis agentē, apud quem eam orationem habuit, deplorans patris interitum, ſuámque in illū pietatem obteſtās, vt Pont. ipſe admiratus tātam in puero indolem, penes ſe aliquot annos habere voluerit. Quo Pont. tandem mortuo, ad ſuos domum reuerſus, tāta pietate in patrem ſemper eſt vſus, vt eius memoriam frequētiſsimè repeteret, ſingulíſque diebus ſacris operatus, manes patris Deo commendaret, & domi agens inter ſuos nomē eius ī ore ſemper haberet. Adhortatus liberos ſuos, vt infixā aui memoriam pectore geſtarent, eiúſque virtutem patria id exigente referrent.

De Laurentio Iuſtiniano in Quirinam Matrem.

OBIERAT Bernardus Iuſtinianus ſenior relicta vxore Quirina: ex qua præter alios treis ſuſceperat liberos, de quibus ſu-

perius à me dictum eſt. Laurentius igitur adoleſcens adhuc, videns matrem ieiunijs, orationibúſque, & elemoſynis vacantẽ, ferreáque catena audiens lumbos cinctam, nec interim diſciplinam domeſticam negligentem, maternæ pietatis æmulus ſemper cum ea impubes adhuc agere, clámque ſibi lectum ſternere, virentiáque ligna pro molliore pluma ſibi ſubijcere, donec valedicto matri, ſecutus præterea vocẽ nocturnam, monaſticam vitam complexus eſt. In qua ſic claruit, ſic excelluit, vt patriarchali poſtea dignitate primus à Senatu Veneto donatus hodie inter diuos habetur. Scriptis etiam teſtatus, quæ hodie extant ſecutum ſeſe veram pietatem, & matris exemplo, & virginis pollicitatione, quę per ſomnium illi occurrit, quæ ſe ſapientiam Dei eſſe diceret.

De filiis Marci Barbadici Ducis Veneti.

PRIMVS in Barbadicam filiam alioqui claram ſemper & illuſtrem Ducis dignitatem intulit Marcus ipſe Barbadicus quam tamen nondum anno finito præuẽtus morte reliquit, multæ in illo Duce animi dotes, multáque probitatis, & ingenij

bona:ſed illud in primis nequaquam mihi contemnendum, quòd quatuor liberos reliquit hæredes omni quidé laude dignos. Sed illi in primis, quod in Patrem ſumma pietate ſemper ſunt vſi multo magis celebrandi: vt nunquam ex quo ille ægrotare domi cœpit, ab eius thoro diſceſſerint, omnem illi operam exhibentes. Sed & mortui cineres vnà cum Auguſtini Ducis fratris, qui poſtea illi ſucceſsit, ſic in æde charitatis (Barbadici enim ferè omnes ad diui Oribaſij ædem penates habebant ſuos) collocarunt, monuméto marmoreo adeò inſigni vtrique erecto, vt certè omnes, qui ſpectatum veniunt, magnificentiam operis admirentur, ac (vt verius dicam) obſtupeſcant. Vt planè dici poſsit eos Venetias non appuliſſe, quibus hoc opus tam inſigne ſpectaſſe non licuit.

De filijs Antonij Grimani, Ducis Veneti.

VIX ſcio an vllum tale exemplum in veterum monimentis aliquando legerim, variantis imprimis fortunæ, quale in Antonio Grimano patricij ordinis viro ſpectatur. Fuerit celebre apud Athenienſes Miltiadis nomen, nec Romæ minus illu-

ſtris præclaráque Camilli dictatoris memoria. Vixerat Antonius Grimanus fama opibúſque Venetijs inſignis, cum primũ rei maritimæ Imperator, prouincia ſatis fœliciter adminiſtrata, domum reuerſus, procuratoria dignitate donatur, iterúmq; Turcico bello ad vniuerſam Græciam liberandam claſsi Imperator datur. Non multo poſt abrogato illi imperio Venetias reuocatus. Quo tempore ſanè licuit ſpectare, cum ſumma omnium, qui intererãt adminiſtratione, filiorum in eum pietatem, & præcipuè Cardinalis eius filij, qui illi iuxta carcerem occurrens, patrem amplexatus lachrymabundúſque, ego inquit pater pro te, tuáque ſalute in publica vincula me conijciam: nec prius inde diſcedam, quàm audiero te publico abſolutum iudicio. Cæterum à patre publicorũ miniſtrorũ opera diuulſus, petebat ab illis, vt ſe filium in carcere patri adiungerẽt, cui inſeruire ipſe poſſet. Sed quum nõ multo poſt maioris cõſilij iudicio, in exiliũ relegatus eſſet, ipſéque pater Romam aduolaſſet, relegationis ſuæ finibus nõ cõtentus, ſic à Cardinali filio excipitur, ſic in ſummo gaudio, ſummã pietatẽ prę ſe tulit, vt beatũ ac fœlicẽ patrem eſſe dicerẽt qui

talem filium ſortitus eſſet. Qui mox in patriam reſtitutus, incredibili omnium gaudio, procuratórque Diui Marci iterũ creatus, quod nulli vnquã ante contigerat, denique in Lauretani Principis clariſsimi locum, ipſe dux eligitur.

De filijs Leonardi Lauretani ducis.

POTERAM ſanè vereri, ne quiſpiã ſuſpicaretur gratiæ à me aliquid priuatę datum, Lauretaníque principis in me meritis attributum, quòd pietatis exemplo claudã hanc partem, repetito eius liberorum in patrem charitate: ſed illud me conſolatur, ꝙ ſuperſtites multi adhuc viuũt, qui mihi teſtes optimi præcipuæ illorum in patrem pietatis eſſe poterunt. Supererant igitur illi in principatu liberi tres, mortuo iam antea Bernardo adhuc adoleſcente, quum victis ad Abduam Venetis ab Aloyſio Francorum rege, Venetus omnis principatus penè cum vrbe ipſa Patauio eſt amiſſus. Non poſſum hîc commemorare publici huiuſce vulneris totius ciuitatis mœrorẽ, illud tantum, quod ad rem attinet dixerim, ad tam ſubitum acceptæ cladis nuncium, tres ipſos filios ad patrem concurriſſe, cúmque vt forti animo eſſe vellet ad-

hortatos, paratóſque ſe eſſe dicere pro dignitate publica tuenda omne periculum, atque aleam ſubire:non defuturas ſibi priuatas opes, non reliquos conſanguineos, qui præſtò ſemper affuturi ſint. Id quod audientes cæteri, qui aderant, tantum animis incaluere, vt ſtatim de Patauina vrbe recipienda conſilium initum ſit. Cuius ſaluberrimi conſilij, Aloyſium Molinum ſummæ autoritatis dignitatiſque virum præcipuum autorem fuiſſe tradunt. Eámque vrbem à Maximiliani imperatoris armis, reliquorúmque Chriſtianorum principum obſidione cinctam fœliciſsimo euentu defenſam, ad quam tuendam duo filij principis Aloyſius, & Hieronymus, maiórque pars patricij ordinis, cum ſummo vniuerſæ ciuitatis ſtudio conueniſſent. Ecquos alios duces expeteres? ecquæ aliorum auſpicia, ductúmque libentius ſequerere? quàm vbi vidiſſes geminos fratres, præcipua corporis proceritate, ſummaque alacritate tanto cum comitatu, vbi maior periculi alea foret aduolantes? Quare ſic dijs fauentibus, non multò poſt Maximilianus Cæſar, Gallorúmq; copiæ omnes, & Hiſpanorũ infecto negotio diſceſſere. Quid dicam hoc in loco? redeuntibus illis ab

vniuerſa ciuitate obuiam itum, quos plauſus, quáſve in cœlum ſublatas voces repetam? verum ad inſtitutum reuertar. Gratulabundo igitur patri læti alacréſque liberi ſeſe obtulerunt, datáque poſtea ab omnibus opera, vt vetus Imperij dignitas omni ſtudio (quod factũ eſt) recuperaretur. Interim domi cum patre filij agentes, autore etiam Laurentio fratre, qui maior natu Diui Marci procurator poſtea creatus eſt, vt ipſi ad patris gratiam tuendam, ad pietatémque in eum ſummam oſtendendam, nullis vnquam publicis officijs, nullis priuatis defuerint, omnes aduentantes ſumma benignitate amplexari, omnes de Rep. benemeritos curare, vt pro ſua cuique induſtria meritò gratiæ referrentur. Donec vigeſimo principatus anno, mortuo patre ſub idem tectum priuatum ingreſsi, tres ſumma concordia inter ſe vixerint, donec mortali lege alter poſt alterũ eſt ſubreptus.

EXTERNA.

De Roſimunda Alboini regis vxore.

NON facilè fortaſſe perſuaderi poterit legentibus, fœminas etiam in hoc genere laudis excelluiſſe, quum tamen Roſimundam Alboini Regis vxorem, qui pri-

mus intra Italiam Longobardis rex præfuit acceperit in maritũ ipſum ſæuijſſe, cui vitam ademerit, quòd maritus ipſe Caluariam Commundi Patris ſui à ſe interfecti, qua vinum biberet, (ijs enim poculis vtebatur barbara gens, virtutem in bello iactabunda) tranſmiſiſſet, conſilium ſtatim inijt, paternæ pietati plus tribuens, q̃ maritali thalamo. Qua re patrata patrémque ipſum vlta Rauennam transfugerit.

De Childeberto, & Clothario Francorum Regibus.

MOVIT Roſimundæ animum Patris ab Alboino marito interfecti memoria, mouit Clotildis matris præſentia Childebertum, & Clothariũ filios ex ſe genitos. Nã quum acie iam accincti ſtarẽt de regno pugnaturi, viſa ab ijs matre, quæ lachrymãs in media acie adeſſet, & arma, & contẽtionem omnẽ quàm primũ poſuere, concordibúſq; inter ſeſe animis poſtea vixere.

De Ludouico Pio Francorum Rege.

CVI, quæſo, qui aliquando recentiora monimẽta Chriſtianorũ principũ legerit, ignotum nomen fuit Ludouici cognomẽto Pij? Qui Caroli Magni filius, paterni

regni,& diadematis Imperatorij ſucceſſor fuerit. Is igitur bellicis artibus clarus, neq; minus pacis gloria celebris, hoc cognomentum ſibi aſciuit : optimo iure,quod patri ſummo ſtudio ſemper affuit,illius virtutem,& laudẽ imitari ſtuduit,eiúſque mortem acerbiſsimè tulit. In Chriſtiana verò pietate tuenda adeò propẽſo animo,vt nihil illo ſtudioſius eſſe potuerit:quem regis ardorem,& Chriſtianiſsimi imperatoris affectum vtinam & ſubſequentes reges, & præſentes conſtantiùs retinerent.

De Metello Pio.

MOVIT certè animum meũ recens hoc in Francicis regibus Pij nomen,vt quando veræ pietatis laus virtutem omnem ſecum præferat,Metelli Pij apud Romanos factũ obliuioni mandare nequeam. Qui cum Patrem ſuum videret ab aduerſarijs in exiliũ iniuſtè pulſum, tantum precibus obteſtationéque,&demum lachrymis apud populum Romanum valuit,vt patri ſuo viro alioqui clariſsimo, reditum in patriam impetrarit.

De Alexio Imperatore Conſtantinopolitano.

HABEBVNT

HABEBVNT & Græci homines per me ſummam hanc pietatis laudem, quam poſteris ſuis tradere iure poſsint, namque Iſacio Imperatore Conſtantinopolitano, in ordinem ab Alexio fratre redacto carceríque incluſo, & oculis priuato, fortè ita accidit, vt Alexius puer Iſacij filius, è tam ſceleſti patruì manibus elaberetur, qui fatigatis omnium principum Chriſtianorũ fruſtra animis, vt patrem ſuum ab iniuria tam iniuſta vindicarent, tandem Gallorũ principum & Venetorum armis in imperium reſtituitur, Conſtantinopoli vrbe recepta, & Alexio patruo fugato. Primum igitur adoleſcentis ſtudium id fuit, vt patri priſtina maieſtas reſtitueretur, quem ipſe ſuis manibus è carcere eduxerit, & imperatorio reſtituerit ſolio. Quamuis pater ipſe cruciatus non diu vita potitus ſit, cuius & mortem ægerrimè adoleſcens ipſe tulerit.

De Pietate erga fratres. Cap. V.

FRATERNAE charitatis faces eò ſtudioſius hîc repetam, quòd & puer olim in ſcholis acceperam, ingenioſiſsimo vate teſtimonium afferente, fratrum gratiam raram eſſe, & quòd vſus ipſe, multiplexque

Latinarum Græcarũmque lectio me docuit. Sed & illud me ad hoc ſcribẽdum eò magis incendit, quòd quum ſimus eiiſdem parentibus geniti, eadémq; diſciplina imbuti, ſub eodémque tecto mutuo amore educati, quis vnquam credat eos in alios amicitiores fore, qui tantum amoris vinculum contemnere auſint? Accipiant igitur qui noſtratia hæc quandoque legent, memorabile in primis hoc fratrum trium patricij ordinis exemplum, Iuſtinianæ familiæ præſens decus. Fuere igitur Bernardo Iuſtiniano ſeniori, tres filij mares, qui mortuo patre domi ſub matre educati, tãta inter ſe charitate ſemper vixere, vt nihil admirabilius in vniuerſa ciuitate foret. Mox verò quum Laurentius monaſticam vitam ſecutus eſſet, non potuit tamen diuerſa victus ratio, vt nõ ſemper eodem inter ſe animo, mutuóq; amore alter alterũ coleret. Sic igitur Marcus ipſe quamuis Senator egregius, ſic Leonardus frater Orator inſignis, Latiníſque, & Gręcis literis inſtructiſsimus Caſtellana fratris Laurentij quotidie frequentabant, vt aut cum eo cœnarent, aut prandium ſumerent: aſsidui poſtea quantum his licebat, familiaris ſermonis comites. Non poſſum autẽ pro tan-

ta eorum pietate non plura de iis referre, quanto dolore, quámque graui ſuperſtes alter alterius mortem tulerit. Extat adhuc Leonardi Iuſtiniani epiſtola ad Franciſcũ Barbarum ſcripta, cum ſumma animi doloris teſtificatione, quam ſi quis legerit, nõ poterit non ſummopere mirari.

De Marco Barbadico, & Auguſtino, qui ambo duces fuere.

FVERE fratres ij duo Franciſco Barbadico diui Marci procuratore geniti, qui certè iam inde à pueris, tanta inter ſe charitate, ac pietate vixere, vt vterque ſemper ſub eodem tecto vixerit. Quibus etiam ciuitas ipſa illorum inter ſe mutuum amorẽ admirata, paribus ferè dignitatis gradibus, vtrunque ſemper extulit: donec creato Marco procuratore duce, pacéque ſub eius imperio, quamuis breui, cum omnibus Italiæ principibus ſtabilita, ingentíq; peſtilentiæ vi leuata, à qua vrbs iãdiu laborauerat, annonáque opulentiſsima omnibus ordinibus reſtituta, non multò poſt, nono principatus ſui menſe deceſsit, grauiſsimo cum totius ciuitatis dolore. Quẽ tamen ſtatim aliqua ex parte leuarit, ſuffecto in fratris locum Auguſtino ipſo,

vt diuino quodam numine fratri florētiſſimus & ipſe adiungeretur, qui ſub eodem tecto & cubiculo, dum ſuperſtes foret, vitam princeps ageret. Qui certè inter optimos duces & claros adnumerari queat, imperij finibus auctis. Nam & Cremonam in Gallia, & Apuliæ oppida non pauca, & Cephaleniam deniq; inſulam Veneto imperio adiecit. Extat verò quod dicimus, præclarum Barbadicæ familiæ monumentum apud ædem charitatis.

De Franciſco Foſcaro duce, & Marco Diui Marci procuratore fratribus.

ADMONVIT me poſteritati hæc prodentem ſuperiorum ducum memoria, ne penitus duorum fratrum pietatem hoc in loco negligerem, videlicet Frāciſci Foſcari clariſſimi ducis, & Marci eius fratris, diui Marci procuratoris. Quorum mutua inter ſe charitas ſingularíſq; pietas ſua tempeſtate longè clariſsima ſemper fuerit, id quod etiam ſupremo ſuæ vitæ tēpore perſpici, cognoſcique planè potuit. Nam, id quod ſuperius quoque repetiuimus, quum ageretur in decemuirali conſilio magno patrum attributorum numero, de princi-

patu abrogando ipſi duci,ne qua ſuſpicio manare in vulgus poſſet, hoc ab ipſis agi, Marcum Foſcarum fratrem ſingulis diebus eò aduocari iubebant, quem tamen, cubiculo incluſum diligentius aſſeruarét, adactum graui pœna, ne quid tale proderet,qua ex re memor ille fraternæ pietatis, non multùm poſt mortem fratris diem ſupremum obijt.

De filijs Leonardi Lauretani ducis.

NEMO vt opinor mihi oculato teſti obiecerit,niſi idem & maleuolus, quum audiet Leonardo Lauretano Duci quatuor mares liberos affuiſſe,quorum inter ſe ſtudium,& pręcipuū amorem,qui familiarius domi agerét,nō poſſent nō in primis admi rari. Cū igitur domi parenté haberent oī virtute inſignem,bonitatéq;,ac prudentia ſingularem,ſummáque in primis in deum, atque in patriam pietate , quis non intelligat ab hoc patre tanquam à fonte liberos eos emanaſſe?qui ſuauiſsimis aquis longe latéque emanarent. Vtinam verò fraternæ mutuæ charitatis omnes meminerint, quum illorum beneſacta recordabuntur. Nam etiam poſt patris obitum,qui tres ſuperfuere, clari illuſtréſque Venetijs flo-

ruere, dum ſemper in quacunque vitę parte, cum alia extarent virtutis exempla in illis, tum verò fraterni amoris inſignia monimenta, donec ſub eodem tecto viuentes, ſub eadémque vita diſcedentes auitæ nepotibus gloriæ, & ſuæ laudis relictis, nunquam morituri cœlos peterent.

EXTERNA.

De Agamemnone, & Menelao.

RELINQVAM in præſentia illos fratres, & ſtudio, & iudicio ſuo in artibus ſibi deligendis maximè diuerſos, alijs verò vitæ coloribus, ſumma ſemper inter ſe pietate: quũ immortalis vnus dimidia ſui parte donarit alterum, qua amoris teſtificatione, nulla maior eſſe poterit. Veniámque ad ea fraterni amoris exempla, quæ certioribus literarum monimentis ſunt prodita. Quis enim eſt, cui Agamemnonis, Menelaique fratrum nomen ignotum eſt? Aut quis eſt, qui Agamemnonem natu maiorem, neſciat in gratiam Menelai fratris minoris natu bellum ſuſcepiſſe Troianum? in eóque gerendo decennium perſeueraſſe? idque ipſum ob vnius fœminæ decantatam libidinem?

De Aphricano maiore.

NON poſſum non ſummi amoris in fratrem teſtimoniũ Aphricano ſuperiori hac in parte reddere: qui fratri ſuo victam Carthaginem Aphricaníque cognomentum primum, imperatoriámque ſummam laudem, & triumphi tam præclari prætextam ſubijcere potuit. Quum enim animaduerteret Aſyam prouinciam à populo Romano nequaquam fratri demandandam fore, quòd minimè idoneum tanto gerẽdo bello cenſeret, hominem Martiæ rei penitus rudem, procedens in medium, ne vereamini, inquit, decernite fratri prouinciam Aſiam, cui me legatum fore polliceor. Quo dicto ſtatim omnes in eius ſentẽtiam icre. Meritò igitur Corneliæ familiæ alterum Aſiatici cognomen acceſsit, quod ille fratri ſuo labore, ſúáque induſtria tradiderit.

De Fuluio Flacco.

TAMETSI multo maior ſit Scipionis laus, quàm Fuluij Flacci, adiunxerim tamen illi non inuitus, in hoc virtutis genere Lucium ipſum, qui ſecundo punico bello, quum fœliciter ſanè ad Capuam aduerſus Annibalem pugnaſſet, & fra-

tri ſuo audiſſet à tribuno plebis diem dictam eſſe, quod ad Herdoniam eius ductu Romanus exercitus cęſus foret, non dubitauit priuatam ſuam Lauream, certámque negligere, Romámque celeriter ad fratris ſalutem aduolare.

De Tiberio Cæſare.

QVANTVM valeat ſub eodem tecto fratres eſſe genitos, in eodem domicilio ſimul educatos, eoſdem ſæpius appellaſſe parentes, in eodẽ cubiculo, & lecto non paucos annos iacuiſſe, eoſdẽ affines, & cognatos agnouiſſe, ſi quis Tiberij Cæſaris ingenium diligẽtius æſtimarit, hoc facilimè dixerit. Quì ſanè Tiberius ad fratris Druſi nuncium, quòd aduerſa valetudine laboraret, ex Ticino vbi tunc erat, adeò præceps in Germaniã delãtus eſt, Alpibus ipſis, non ſine ingenti periculo, Rhenóque amne, vno tãtum comite, ſuperato, vt Druſum adhuc viuentem amplecti potuerit. Quem tamen paulò poſt mortuum pedes ipſe incredibili ſqualore comitatus ſit, ſepulturæque mandarit.

De Pietate erga Patriam. Cap. VI.

QVANTA ſupremo illi numini à nobis

debeatur pietas, facilè illi intelligent, qui primum hunc noſtrum legerint librum, in quo de vera religione actum ſit. Illud tantum in præſentia dixerim, etſi parentibus noſtris omnia vitę officia debeamus, ſi fraterni amoris arctiſsima vincula retinenda ſunt, ſi cæteris hominibus ſunt impendenda officia, vna tamen patriæ pietate hęc omnia ita contineri, vt poſt Dei præcipuum cultum, huic vni opes ipſas, huic honores, & dignitates noſtras, huic denique vitam ſalutémque ipſam, forti imprimis animo impendamus. Quare meritò ſummam laudem, ſummúmque decus illi ſemper ſibi vendicarunt, qui hoc animo in patriam eſſe potuere. Erit igitur, princeps in hoc cenſu Ordelaphus Faletrus dux, qui poſt multa pręclare geſta, domi foríſque vitam patriæ impendit.

De Ordelapho Faletro duce.

NON defuerat dux hic principatus initio, Chriſtianis rebus in Syria laborantibus: Patauinos memorabili prælio vicerat ad Bebiam turrim, ſed & ipſum Illirium omne Veneto Imperio ſua virtute adiecerat: quũ poſtremò, ne patriæ ſuæ vnquam deeſſet, in ipſa acie fortiter pugnãs pro Ia-

derę mœnibus aduerſus Pannonas mortẽ oppetijt. Qua pietate ſic omnia vitæ officia in eo enituere, vt nihil Ordelapho Faletro Duce laudabilius, nihil glorioſius hodie viuat.

De Henrico Dandulo.

NVNQVAM certè poſſum mihi ipſi ſatisfacere, dum ſingulare virorum illuſtriũ in patriã ſtudiũ, vel (vt verius dicam) pietatem repeto. In Henrici autem Danduli ducis memorãda pietate etiam libentiſsimè vaco, qui dux creatus, eo imprimis nomine, quòd Bizantij legatus, captus penè oculis, dum patrię dignitatĩ ſtudet à Ioanne Comneno Principe Conſtantinopolitano fuerat: ſtatim omnem oram Illyrici littoris, ſocijs Gallorum armis recepit. Hinc in Grẹciam profectus Bizantini Imperij maieſtatẽ Græcis imprimis ademit: Cretámq; inſulã Veneto nomine quæſiuit, quartámque Romani principatus partem patriæ peperit: plura etiam in patriam officia, & ampliora præſtiturus, niſi ſupremus ille dies immaturo Venetis fato deceſsiſſet.

De Andrea Contareno.

SEQVITVR certè in hoc albo Dux

omnium clariſsimus, & celeberrimus nūc mihi reponendus. Qui cum ſemel, atque iterum patriæ principatum recuſaſſet, quē vltrò ciuitas illi demandabat, quòd fixum in animo illi erat, ſe principe patriā ipſam in graues calamitates incurſurā, id quod vates illi ipſi ante prædixerāt. Tamen exilij metu illi à Rep. iniecto ſupremam ipſi ducis dignitatem delatam ſuſcipere, etiam abſens coactus eſt. Quare nō multo poſt Liguſtico bello implicitus, in quo tamen Ludouicus Hūgarorum Rex, & Carrarienſis præcipuas partes ſibi vendicabant, nullo vnquam periculo deterreri potuit, vt ipſi patriæ laborāti deeſſet. Fractæ erant primùm Venetorum vires, amiſſa apud Polā vrbem claſſe Victore Piſano Imperatore, nulla iam reliqua ferè ſpes tuendæ libertatis ſupererat, quum hoſtis ipſe Ligur Clodiam vrbem expugnaſſet, quúmque terreſtribus etiam copijs in ipſa littora paſsim inſultaret. Sed ecce Dux ipſe octuagenarius, id quod nemo vix ſibi perſuadere potuiſſet, inſtructa claſſe, quam vniuerſa ciuitas priuatis tamen opibus cōpararat, ſæuiente hyeme nauem cōſcendit, Clodiámq; vrbem diu obſeſſam, poſt aliquot menſes capit, multáque millia Ligurum Venetias

ſecum abducit. Dataque mox hoſtibus pace, patriæ gloriam, & dignitatem fortiſsimè ſuſtinuit. Quantam igitur in eo pietatem erga patriam extitiſſe dicas, quem animi ardorem, quam vim affuiſſe illi credas, qui rem penè collapſam cernens, non dubitarit tamen ſpiritum ipſum (ſi res ita poſceret) etiam patriæ repoſcenti impendere? Meritò igitur Deus tibi vni & patritio vniuerſo ordini, reliquíſque hanc tantam animi fortitudinem, hoc robur attribuit, vt ſoſpes domũ, incolumíſque redires, pace parta: patriæque ipſi perpetuam æternámque tui nominis memoriam tantíque beneficij monumentum relinqueres.

De Carolo Zeno.

QVOCVNQVE ad ſcribendum aliquod egregium facinus ſtilum verto, eò mihi ſtatim occurrit Carolus Zenus, qui ſemper vbi de patriæ laude, & dignitate agitur, promptus imprimis, & alacer ad eam augendam, ornandámque accedat. Ipſe igitur poſt Contarenum Principem iure optimo præcipuam ſibi vendicauerit laudem, qui ad nuncium tantæ in patriam calamitatis, quum in Græcia ageret, ſtatim aduolans, Bichinionia interim naui à ſe

expugnata, reliquæ ſe claſsi adiunxit, terreſtribúſque etiam prælijs iuſſu patrum præfectus, Clodię tandem vrbis recipiendæ, Liguríſque hoſtis vndiq; expellendi autor princépſq; fuerit, tātáſque opes exhauſtæ iam Reip. donarit, vt hoc nomine vel præcipuè Venetis ipſis res integra ſteterit. Diſcant igitur ij, qui in patriam ipſam ſummæ pietatis laudem expetere vnquam voluerint à Caroli Zeni ſtudio: certè nunquam fallentur ij, qui eius res geſtas diligentius obſeruarint.

De Victore Piſano.

TVLIT hæc ætas Venetijs pleróſque patricij ordinis præclaros viros, cum belli tū pacis artibus claros: inter quos duo in primis floruere Carolus ſcilicet Zenus (de quo ſuperius actum) & hunc ipſum Victorem Piſanum Nicolai.q. clariſsimi viri filiū. Qui quidem Victor (vt interim Thadęum Iuſtinianum, & Ioannem Barbadicum prætermittā, qui & ipſi ſuo loco mox à me reddentur, propter nauatam egregiā Reip. operam eodem bello) declaratus imperator totius maritimę rei Liguſtico hoc ipſo bello, quum ad Polam ageret cum tota claſſe, congreſſus primùm cum Lu-

ciano Auria Genuenſis claſsis imperatore eo magno impetu interfecto, clarã victoriam ex hoſte retuliſſet, niſi & eum partim Ligur inſidijs excepiſſet, partim Venetarum triremium quidam præfecti per ignauiam deſeruiſſent. Qua ex re carceri incluſus, mox totius ciuitatis acclamatione priſtinæ libertati reſtitutus, ſub ipſam Contareni ducis ad Clodiam profectionem quum Zenus abeſſet, vniuerſæ maritimæ rei præficitur. Quo tempore virtus eius ita claruit, vt belli perfecti fœlicitas Zeno ipſi, & Piſano ducibus omnium conſenſu tribueretur. Nec vero multo poſt recepta Clodia aduerſus eoſdem Ligures vniuerſę claſsi præfectus, magno totius ciuitatis plauſu dum Ligurem hoſtem ad Iaderam inſequitur, inde in Apuliã nauigans duodecim Liguſticas naues, quæ antea frumẽtatum in Appuliã contẽderant, quis graui morbo laboraret, perſecutus, in Sypõtino littore diem ſupremũ obijt: tanto nautarũ omniũ mœrore, vt nihil illis triſtius, nihil calamitoſius accidere potuerit. Sanè conſtat neminem vnquam gratiorem ſuis ciuibus fuiſſe. Quo factum ſit, vt viuum illum patronũ vno ore omnes diceret, patrémq; totius Reip. paſsim appellaren*. Cuius ca

daueri Venetias relato, & ad Diui Antonij ædem depoſito, Dux & vniuerſa Ciuitas funus eius incredibili pōpa celebrauit. Viſitur in hodiernum diem monumentum illius ad aram maximam poſitum, marmore, atque auro illuſtre, erecta etiam illi publicè ſtatua.

De Stephano Teupulo.

IVNGENDVS his meritò Stephanus Teupula familia longè clariſsima editus. Vir noſtra ætate & belli, & pacis artibus illuſtris in primis, atque præcipuæ in patriam charitatis. Cuius opera neq; domi, neque foris mari terráque vllo vnquam tempore Reipub. defuit. Cui etiam ob virtutem, ſingularémq; prudentiá totius rei maritimæ Imperium in ſumma omnium rerum difficultate ſæpius commiſſum fuerit: ſuprema etiam cum poteſtate, vt tãtum autoritatis Reipub. gerendæ ipſe vnus foris haberet, quantum domi vniuerſus Senatus. Sed verò, vt innumera eius pro patria prę clara facinora in præſentia omittam, Conſtantinopolitanam legationem nequaquã præterire poſſum, qua vnà & in ſuſcipienda eius in patriam pietatem, & in obeunda prudentiam præcipuè admirari queas. Nã

impetus ferociſsimos Turcæ hoſtis alioqui potentiſsimi, & eo tempore maximè Veneto nomini infeſti, mira quadam ingenij dexteritate adeò flexit, vt Venetis ſuis demum mites placatóſque reddiderit. Vt hunc iure optimo Fabio dictatori comparare poſsis, qui patientia hoſtem ſæpius, quàm armis vicerit. Promouerint alij Veneti Imperij fines, auxeríntque: hic certè omnia ſua prudentia periculoſiſsimo tempore cōſeruauit. Quod profectò nūquam minoris virtutis habitum fuit. Huius quoque tanta ſemper fuit in patriam charitas, vt nullum vnquam laborem ſuſcipere, nullis quāuis prȩſentibus ſeſe pro patria obiectare periculis dubitarit. Quin proximis annis ſenio iam confectus, exigente id patria, claſſem conſcendere minimè veritus, grauiſsimum onus, negotij atque aleæ maximè plenum, libenti alacríque animo ſubijt. Mox verò compoſitis pacatíſque rebus omnibus, in patriam reuerſus ingenti totius ciuitatis gaudio excipitur, vt hodie quoque in ſumma omnium charitate floreat, filijs etiā eiuſdē virtutis decoratus.

EXTERNA.

De Dauide.

NON poſſum certè non libentiſsimè verſari in hiſce referendis exẽplis, quę pro patriæ dignitate, & ſalute edita ſunt, veterúmque ſcriptorum monimentis prodita: cui poſt Deũ ipſum Opt. Max omnia debemus officia: Quippe quæ nutrix ac parens noſtra benigniſsima ſit. Subeat igitur hoc in loco primum Dauid ipſe nondum adoleſcentia egreſſus, qui nõ dubitauit (tametſi derideretur ad omnibus) Philiſtæo militi occurrere, qui cum nullus ex Iudęis ex prouocatione pugnam ſuſcipere auderet, (& tamen quis credat niſi ſacræ literæ id proderent?) inſignem victoriam ex eo interfecto retulit, Iudaicæque gentis iniurias egregiè vltus ab eodem illatas, docuit poſthac omnes, quotquot erant in exercitu Philiſtęum hoſtem cõtemnere, ampliſſimáque trophea, & ſibi & poſteris ſpectãda erigere. Qua ex re meritò factum eſt, vt Ieſſea proles ſtemma regium ſibi, ſuíſq; in multos annos vendicaret.

De Placidia Honorij ſorore.

ERANT quidem in eadem hac gente huius generis exempla non pauca, quę pro ſuo iure repeti à me poterant: ſed & reliquæ gentes nos ad ſe trahunt, quæ & ipſæ

virtutis huiuſce palmam non neglectam à ſe præferant. Adeſdum igitur tu Placidia principis Honorij ſoror, Athaulphíque Gothorum regis vxor, ſed Romani, Quiritiíque ſanguinis Romæq́ue vrbis præcipua vindex. Expugnauerat vrbem Romam Athaulphus, ſecúmque iam animo meditabatur, vt ea penitus euerſa, cui nulla ſupereſſe veſtigia vellet, alio in loco vrbem cõderet, Athaulphiámque vocaret, nullíque amplius Cæſares, ſed Athaulphi, qui imperaſſent dicerentur. Id, quod vxor Placidia ſentiens, tantum precibus, interdum etiam minis apud eum tandem valuit, vt mutata ſententia, & Romanum nomen, & Cęſares poſthac, Auguſtóſque, qui ſibi ſuccederẽt appellari iuſſerit.

De Flacco Valerio Zenone imperatore Conſtantinopolitano.

NON facilè plerique credent, tantam in recentium Græcorũ ingenijs indolem afuiſſe, vt imperij inſulas principes ipſi contemnerent, ne pietatem in patriam negligere viderentur. Sed Zeno Princeps ipſe iam pridem declaratus Conſtantinopolitanæq́ue rei Imperator id approbarit: qui Cõſtãtinopoli diſcedens Calchedonẽſibus

bellũ illaturus, certos accepit nuncios Baſiliſcũ fratrẽ imperij faſces ad ſeſe trahere, fratrẽque Zenonem penitus negligere: ad quem nuncium, quũ pleriq; adhortarẽtur illum, vt relicta vrbis Calchedonis obſidione, Conſtantinopolim quàm primùm repeteret, Baſiliſcique rebus, nondum ſatis firmatis, imperium natu maior ſibi vendicaret: ad eos omnes conuerſus, tantum, inquit, abeſt, vt imperandi cupidus patriæ ipſi, quæ me genuit, bellum indicam, pacémque ac quietem eius turbem, vt iam nunc dimiſsis copijs omnibus in Iſauriã me recipiam. Quo facto non multo poſt Conſtantinopolis ipſa, quaſi grates Zenoni optimè de ſe merito latura, & Baſiliſcũ reiecerit, & Zenonem ad ſeſe reuocarit, vt aliquandiu rerum ſit potitus.

De Farinata Florentino.

LABORAVIT iampridem Florentina ciuitas variis, grauibúſq; diſcordijs: ſed nulla factio ciuitatem magis exercuit, quam Gibelini, Guelphicíque nominis, mutuum inter ſe odium. Pulſi igitur Gibelini à Guelphis Farinata duce, quum inter ſe diu cõſilia inirent quonam pacto poſt hac res ſuæ firmare poſſent, multíque ſuaderent

ex ijs, vt vrbem deſererent, ſed Guelphos prius omnes de medio tollerent: exurgens Farinata, cõuerſúſque ad eos, Deus, inquit, faxit ne in tantam inſaniam incurramus, vt patriam ipſam, quam ſaluá recepimus, euerſam velimus. Stricto igitur gladio, nequaquam ſe dubitaturum profeſſus eſt, eũ, qui talia proponeret, paratum ſeſe interficere, quippe qui pro certò haberet, patriæ incolumitatem rebus omnibus eſſe antepo nendam. Vtinã tibi Farinata Deus ipſe maximè fauiſſet, qui tantam in patriam pietatem præ te tuleris, vt etiam ea ſtante, florentéque, caſurum te libentius eſſe diceres.

De Sarracenis, ad Antilibanum montem.

HACTENVS ſinguli pietatis in patriam ſuæ, me autore teſtimoniũ habuerint: nunc verò rem nouam, & nunq̃ ante eam diem auditam, commemorem neceſſe eſt, vt intelligant mortales, quantam vim vana in primis Maumethis ſuperſtitio in eorũ animis infixerit. Erat ad Antilibanum Phœniciæ monté Sarracenicæ gentis princeps, quem Senis nomine appellabant. Hic erectis aliquot in eo monte Caſtellis, tantum

autoritatis ſibi pepererat, vt ad ſexagīta & amplius hominum millia eſſent, quibus ille præerat. Præcipuum verò dogma ſuperſtitionis id fuit, vt quotieſcunque vellet, delegaret homines, qui ī Chriſtianos principes proficiſcerentur, & hos præcipuè interficerent nulla ſuæ ſalutis ſpe, qui virtute aliqua præcellerent, Sarracenicóque nomini obeſſe poſſent. Sic receptis Hieroſolymis, quum Galli Syriā inuaſiſſent, Montisferrati Marchio intra ſuum tentorium eſt cæſus, ſic Gallorum reges, ſic reliqui principes ab ijſce, qui Aſſaſini dicerētur ferro ſæpe petiti. Nouiſsimè verò noſtra memoria Ferdinandus Hiſpaniæ rex Eliſabetáque vxor vix periculum euaſere, ab vno ex ijs, qui ex Genicæ regno profectus, in Hiſpanorum caſtra, facilè vtrunque ſuſtuliſſet, niſi errore ductus, tentoriúmque viri ingreſſus, eum Regem eſſe credidiſſet, quem cum vxore ferro inuaſerit. O pietatem vaniſsimæ gentis, non certè omittendam, quæ ſic ſibi perſuaſiſſet, ſi clariſsimos quóſque viros ex Chriſtianis, quacunque arte, & quocunque dolo ſuſtuliſſet, magnam ſe laudem conſecuturā, ad ſuúmque Maumethem ſi fortè caderet, fœlices migraturam.

De Parentũ amore & indulgentia in liberos. Cap. VII.

De Angelo Patriciaco.

IVCVNDISSIMA fuerit mihi hæc ipſa prodenti de patrum in liberos amore, ac indulgentia commemoratio, cui ſuo quodam ordine progredienti nullam maiorẽ opem expetere poſſem, quàm diuinam: ſiquidem parentum in liberos charitas, ſtatim Dei Opt. Max. cultum ſubſequitur. Quomodo enim parentum in filios ſuos amor, & charitas conſtiterit, ſi ab aura illa diuina diſceſſerimus? Demus igitur vela iiſdẽ ventis nos vocantibus, perſpectemúſque felicißimum curſum, ſi pari penè pietate, & deum ipſum, & parentes colueritmus. Vnde igitur fœlicius exordium, huic tali tantóque argumento deduci à me poterit, quàm ab Angelo patriciaco. Qui primus dux relicta Methamauco vrbe, in Venetas haſce inſulas fauſtißimo ſanè auſpicio immigrarit, omniúmq; cõſenſu poſtea cauerit, vt hæc perpetua, æternáq; ducũ Venetorum ſedes eſſet. Qua igitur pietate in hæc loca eius aduentus celebrari poteſt, ſic eadem etiam illius in liberos amor, & in-

dulgentia celebrabitur. Quum igitur duo illi eſſent liberi Iuſtinianus ætate maior, & Ioannes: Iuſtinianum ipſum ad Leonē imperatorē Conſtantinopoli legatum miſit, Ioannem verò natu minorem collegam ſibi aſciuit, tametſi non neſciret ſuperiores in Methamauco duces aliquãdo à filijs graues tuliſſe iniurias. Rediens autem Iuſtinianus, ægréque ferens fratri imperium attributum, nec patrem inuiſere voluit, nec paterni palatij fores adire, quod Angelus pater animaduertens, Ioannem ipſum Conſtantinopolim nauigare iuſsit, Iuſtinianũque cum Angelo filio principatus ſibi ſocium aſciuit. Vt tamen parente & fratre mortuo, reuerſus Ioannes, ducariam dignitatem receperit, cui annos octo præfuit.

De Petro Tradonico.

EODEM animo, eadémque in filium pietate Petrus Tradonicus dux in Ioannis Patriciaci locum ſubrogatus, filium Ioannē, & collegam, viuenti ſibi, & poſt mortem ſucceſſorem inſtituit. Sed mortuo prius filio pater diu principatu functus dum à Zachariæ templo reuertitur, à coniuratis interficitur.

De Vrſo Patriciaco duce.

MVLTIS, præclarîſque animi dotibus Vrſus patriciacus dux excelluit, qui in Petri Tribuni Ducis locum ſubrogatus, propter egregiũ iuſtitiæ ſtudium, ſummámq; liberalitatem, præcipuè verò in pauperes, charus in primis omnibus ciuitatis ordinibus fuit, cæterũ & ipſe in filij amorem proclinior. Capto illo à Narentanis hoſtibus, quum à Conſtantinopolitano principe magnis muneribus, protoſpatariique dignitate ab eo donatus rediret, miſsis legatis operam præcipuè dedit, vt illum reciperet. Quod tandem conſecutus eſt, hoſte magna pecuniæ vi delinito, pluribúſq; alijs donis ornato. Tametſi nõ deſint ſcriptores, qui rem aliter tradant.

De parentum ſeueritate aduerſus liberos. Cap. I.

De Candiano Duce.

VIX certè adduci interdum poſſum, vt credam parentes in filios diſciplina ſeueriore aliquando ita vſos eſſe, vt eos partim à ſe alienatos dimitterent, partim grauiore à ſe dãnatos pœna afficerẽt. Quũ verò mo numẽta noſtratia diligẽtius euoluo, incidi in Candiani Ducis ſeueritatẽ aduerſus filiũ Petrũ neceſſariá: quẽ quũ pater ipſe in

principatus ſocietate cooptaſſet,natu medium,ille neq; patris gratiã tantam, neque autoritatẽ veritus,ſtatim patri ita aduerſari cœpit vt inita cũ facinoroſis quibuſdam ſocietate,ſeſe vnũ principem neglecto parente cõſtituere vellet. Quod cũ graue illi imprimis accidiſſet,ſeniorũq; omniũ ordo in parentẽ propenſior eſſet:coactus tãdem eſt pater filiũ,quẽ ſibi cooptauerat reijcere, & indicto exilio,ita cum finibus omnibus Venetis expellere, vt omnes iureiurando ſeſe aſtringerent,nunquam ſe eſſe paſſuros,vt aut viuente patre,aut mortuo, illum Venetias reuocarent.

De Laurentio Celſo Duce.

ABSENS Laurentius Celſus quadraginta virali ſuffragio Dux creatus, patre adhuc ſuperſtite, qui tum Venetijs agebat, quũ vniuerſa ciuitas maximè lætaretur nouo ducis aduentu,patrẽ obuiũ nunquam habuit, qui filiũ Ducem incolumen gratularetur. Quòd ſcilicet ille iniquo ferret animo,ſe patrẽ ita filio occurrere debere,vt eũ nudato capite ſalutare cogeretur. Quaſi verò neſciret quicquid honoris impendereur filio à patre,id publicæ maieſtati non priuato vlli officio deberi. Cæterũ

quanto pater haud ſatis ciuili animo ſeſe geſsit, tanto magis pietas, prudénſque cõſilium filij laudari debet: qui pileo ſuo in fronte crucem auream affigendam curauit (quod & reliqui duces in hunc vſque diem retinent) vt crucis vexillo, non filij dignitati reuerentiam exibere videretur: id quod pacatiſsimo poſtea animo pater exceperit.

De Antonio Venerio Duce.

AFFIXERAT Ludouicus huius filius amicæ ſuæ ianuis (cui etiam iam antea in via publica occurrẽti oſculum inuitæ obtuliſſet) bubula cornua numero non pauca, indignatus illi, quod ſeſe illa aſpernari videretur, quem ducis filium, plebei ſanguinis puella expetere debuiſſet. Ea res ad Aduocatores delata, adeò graue inſolénſque facinus eſt viſum, vt quadraginta viralis conſilij autoritate captiuum Ludouicũ carceri incluſerint, inſuperq; dãnatũ perpetuò aſſeruandũ curarint. Pater verò Antonius grauiter illum ægrotantẽ quũ accepiſſet, móxq; etiam peſtilenti morbo laborantẽ intellexiſſet, tametſi vniuerſa ciuitas ſoluendum eſſe filium tanto ſupplicio duceret, nunquam tamẽ adduci potuit vt ſol-

ueretur filius; quæ res poſtea mortuo filio in ſummam totius ciuitatis admirationem omnium animos conuertit.

De Iacobo Frãciſci Foſcari ducis filio.

INCERTVS animi diu fui cunctabũdóque propior, an hoc Iacobi Foſcari exemplum hac in parte referrem: quod ex eo haud ſatis dignoſcere poſsis paternæ ne pietati, an ſeueritati potius tribuas. Fuit enim res ipſa alieni arbitrij, quę tamen inſigne poſteris monumentum ſit, quantum res humanæ incertę variæq́ue contingant, atque ſuccedant. Interfectus fuerat noctu domum rediens decemviralis conſilij pręfectus præeunte funali, dum ex Senatu rediret, haud longè ab ædibus ſuis Hermolaus Donatus, vir ea tempeſtate longè clariſsimus, nec de cædis autore ſatis conſtabat. Mouit id facinus tam inexpectatum, vniuerſæ ciuitatis animos ſupraquã quòd credi poſsit: quum nõ multo poſt, Iacobus Foſcarus Ducis filius, in ſuſpitionẽ venit, quaſi eo conſcio, vel potius autore tam atrox cõſilium initum ſit. Nec deerant cauſæ, quæ id ipſum comprobare viderentur. Captus igitur grauiſsimiſque tormẽtis diu tort⁹, quũ interdũ pater ipſe filij clamores

exaudiret(ſunt tamen,qui id ipſum dedita opera factum ſuſpicentur) nihílq; vnquã cõfeſſus in perpetuum exilium eſt miſſus, vnde reuocari nunquã potuerit, vt Venetias inuiſeret. Tametſi non defuerint, qui cædis patratorem detulerint,qui tamen ex humanis diſceſſiſſet. Æſtiment igitur lectu ri ſecum,inclinéntq; animũ in quam partem malint,illud certè non poterunt non vehementer admirari,neque principis patris authoritatem,pro filio quicquam valuiſſe, neque tam immanis facinoris ſatis exploratum judicium fuiſſe.

De parentum aduerſus ſuſpectos liberos indulgentia. *Cap. VIII.*

De Michaële Donato.

ETSI plures repeti à me poſſent, qui moderatè filiorum ſuorũ inſolentiã æqui, oréq; animo tulerint, vno tamen exemplo Michaëlis Donati patritij in præſentia cõtentus ero. Is enim filium ſuum indulgentius in omni vitæ parte agentẽ, ſæpius admonens, vt reſipiſceret, victus tandem nimia adoleſcentis pertinacia, publico eum carceri includendum curauit. Quem aliquandiu ita aſſeruari voluit, vt nunquam

eum inuiſerit, cibaria tantum conſueta ad eum inferri paſſus Mox tamen amicorum precibus, admonitionibúſque victus, quú præfecti carceris etiam multa bona de eo nunciarent, tandem dimiſit liberum, domíque ſecum habuit.

De Plebeio homine.

EODEM animo, quo Michaël Donatus in filium, plebei vir ſanguinis in primogenitum fuiſſe dicitur: quem ſæpius caſtigatum, atque repreheńſum, quum incaſſum facere iterum atq; iterum animaduertiſſet, Aduocatorum autoritate teterrimo carceri mácipauit. Verebatur enim pater, ne reliqui liberi iam adoleſcentiores, fratris nimiá natu maximi licentiam, quod ferè vſu venire ſolet, & ipſi imitarentur.

EXTERNA.

De Carolo magno Gallorum Rege.

FVIT Carolo Francorum Regi, qui propter res domi foríſque ſemper egregiè geſtas, magnus ad noſtram vſque ætatem vnus dici meruit, Pipinus filius, iuſto cōiugio nequaquam illi genitus: quem pluri-

mum ſemper amaſſe viſus eſt. Is verò immemor paterni in ſe amoris, adeò rebelles ſpiritus in patrem geſſit, vt quamuis illi veniam pater dediſſet, quòd in eum cōiuraſſe primū deprehenſus pro certo eſſet, quippe qui patrem ſe in filium, non regem meminiſſe vellet, leuitate tamen ingenij in patrem iterum cōſpirauit. Quod quum reſciuiſſet Carolus, diu animi anceps, dubiúſq; quonam modo filium caſtigaret, eum poſtremò monaſticæ vitę addixit, memor adhuc paterni in filium potius animiq́ regij.

De Ludouico Francorum Rege cognomento Pio.

VIX mihi fidem facere potuere Gallorum Regum cōmētaria, externíque etiam aliquot ſcriptores ex legitimis quatuor liberis, qui Ludouico merito ad hoc æui Pio cognomine dicto, fuere, tres in patris caput conſpiraſſe: eámq; cauſam prætenſam quòd Carolum natu minimum nimium diligeret, illúmque reliquis fratribus anteferre videretur. Et tamen id pro comperto traditur (quod ego quoque in meis Cæſaribus ſecutus ſum) Conſpirarunt igitur in parentē, ita liberi tres, vt abrogato illi Imperio, ipſiq́ rem omnem ad ſe tra-

herent,pater priuati vitam ageret. Quæ res tantum omnium animos incendit,vt reſtituto imperio pater rerum omnium iterum potiretur. Qui tandem moriens Lothariũ filiũ,& reliquos fratres æquis inter ſe portionibus hæredes reliquerit.

De Carolo ſeptimo Gallorum rege.

BIS Ludouicus huiuſce regis filius ſuperſtite altero deſciuit à patre. Primò quidem per menſes quatuor, cuius errori indulgentior pater facilè veniã tribuit. Iterum per quadriennium, & eo amplius, vt etiam ad Burgundionum ducem Francis tum infeſtiſsimum hoſtem transfugerit. Quem tamen pater ipſe moriens cum aliqua veneni hauſti ſuſpitione, teſtamento hæredem regni reliquit. Tametſi domi minor natu filius ſupereſſet,qui fratri meritò anteferri potuerit.

De parentibus,qui obitum filiorum forti animo tulerunt.

Caput IX.

QVOMODO per immortalem Deum deeſſe potero Leonardi Lauretani Ducis Veneti veræ laudi, & celebrandæ conſtantiæ? Qui Dux ex quatuor libe-

ris iam grandibus natu, quum Bernardum filium, natu minimum, bonæ ſpei adoleſcẽtem amiſiſſet, idque præter omnem expectationem, adeò conſtanter funeris acerbitatem tulit, vt quo die elatus eſt adoleſcens, Reip. non defuerit, quæ ducis præſentiam in re quadam grauiore tunc imprimis expoſceret.

De Luca Zeno Procuratore.

ECQVIS non tuam Luca Zene fortitudinem animi non libẽter repetat? Qui quũ Mapheum filium iam virum factum, ductáque ab eo vxore honeſtiſsima & opulentiſsima, ſubito quodam fato amiſiſſet, eius mortem tam forti animo, conſtantíque tulit pater ipſe, vt celebrato funere magna quidem pompa, poſtridie aditum omnibus fecerit adeũdi ſui, benigniſsiméque omnes ad ſe adeuntes exceperit, filij indolem, & virtutem imprimis laudando, reliquóſque omnes adhortando, vt quicquid Deus, & natura ipſa nobis præſcripſiſſet, idipſum in bonam partem accipere vellemus.

De Dominico Triuiſano Diui Marci procuratore.

VNIVS filij Lucas ipſe Zenus D. Marci procurator

procurator interitũ inſigni ſua cum laude fortiter tulit: cui rei preſens teſtis affui. Sed quis in Dominico Triuiſano Diui Marci procuratore, viróq; ſua tempeſtate longè clariſsimo, quatuor liberorum mortem diuerſis temporibus inflictam Triuiſanę domo, ſemper eundem animum eandémque animi conſtantiam, ad reliquorum parentum exemplum non lubens referat? Erat ipſe pater in ſumma dignitate conſtitutus, ipſáque ciuitas de illo ſibi omnia pollicebatur, quum vno, & altero funere fatigatus adoleſcentum filiorum, mox parto etiã preſſus, adeò inuictum ſe præſtitit, vt eundem vultum, eundémque animi tenorem, cum vniuerſæ ciuitatis admiratione ſemper præ ſe tulerit. Niſi tu fortè ſolatio illi affuiſſe dicas Marcum Antonium, natu maximum, ſumma bonitate virum, eíque in eadem procuratoria dignitate ſuffectũ, qui hodie quoque paternã virtutẽ referat.

EXTERNA.

De Lamba Auria Genuenſi.

NVNQVAM certè ſuam, verámque laudem Genuenſibus denegauerim, præcipuè quum meminerim Lambæ Aurij literarum monimentis virtutem proditam. Qui

maritimæ rei imperator, fortiſsimè aduerſus nos pugnans, filium præclaræ indolis quum amiſiſſet, nihil tamen eo nuncio accepto de animi ardore inter pugnandum remiſit: quin etiam parta victoria filij cadauer in mare proiici iuſsit. Teſtatus nullum aliud clarius monumentum extrui illi poſſe, quàm in eo loco vbi fortiter pro patria pugnans obijſſet.

De Marzucco Piſano.

HABEBVNT, & Piſæ ſuum poſt Genuam vrbem hac in parte locum, quæ ciue ſuo Marzucco, & ipſæ exultant. Is nanque inter ſuos genere clarus, & aliquanto nouo facinore clarior: quum ſeſe Minoritanę familiæ addixiſſet, filium quem Farinatæ reliquiſſet, non multò poſt accepit à Betino Caprarienſi interfectum. Id quod quũ pro Chriſtianæ pietatis, & religionis ſuæ cultu æquo animo primùm tuliſſet, mox etiam Betinum ipſum ſibi occurrẽtem, nõ modò auerſatus eſt, ſed & dexteram ſuam dextræ eius iungens, abi inquit, atq; vtinã Deus tibi cędis veniam tribuat. Sic inuicto animi robore, minimè vltionis auidus, Betinum ipſum dimiſit.

De Carolo VIII. Gallorum rege.

MINVS fortaſſe mirabile exiſtimari poterit ſuperius Marzucci Piſani exemplum, quando ille religionem profeſſus, veram pietatem ſequi videretur, ſi Caroli octaui Francorum regis inſigne, & ipſe exemplũ cum animo ſuo reputet. Qui VIII. Francorum rex hoc nomine, quum vnicum tantum filium regij faſtigij hæredem ex legitima vxore ſuſcepiſſet, eum vnum paruulum amiſit, eo potiſsimùm tempore, quo de recipiendo Neapolitano regno conſilia inibat. Quo tanto vulnere affectus, nequaquam animo fractus eſt. Nam vt mortem filij ſeſe æquiore animo ferre oſtenderet, nec veſtem vllam mutauit, & publicis ludis ſæpe interfuit. Quaſi adhortari reliquos principes vellet, vt forti animo ad bellum ſeſe accingerent, claſsicúmque, quod ſemel bellis acceperant animis, minimè ſe autore negligerent.

IOANNIS BAPTISTÆ EGNATII, LIBER SEXTVS.

De Pudicitia. Cap. I.

QVOMODO verò tecúm hoc in loco Pudicitia agam? A qua virtus omnis, omníſque bene viuendi ratio proficiſcátur. Si quidem puerilis ætas, vel hoc vno decore commendatur, Adoleſcentiæ feruor corrigitur, iuuenilis ętatis ardor imprimis emendatur: ſine qua nulla vnquam ciuitas firma ſtabiliſque eſſe potuit, nullũ imperium diuturnum, florénſque eſſe valuit. Meritò igitur Romana ciuitas, ſub Mineruæ nomine, ex Iouis capite ſolum prodeuntis, hanc vnam ſumma pietate coluit: huic Veſtales additi foci, qui æterni adſeruarentur, vt ſi violatæ forēt, quę Veſtæ ſacris pręeſſent obeundis, viuentes terræ viſceribus includerentur. Quare non virgineos cœtus eos ſanctos eſſe qui te pudicitiam duxit non coluiſſent. Grauiſſi-

mis pœnis illis affectis mortalibus, qui vel minima labe te violaſſent. Cęterum exempla ipſa, quæ ſubiiciam, mortalium animos incenderint, ad eam conſtantius retinendam.

De Anna Vitalis Michaëlis ducis filia, & Nicolao Iuſtiniano Monacho.

REDIERAT Vitalis dux infauſto ſanè exitu domum, ex Cõſtãtinopolitana prouincia, quem Venetus populus haud ſanè lętis animis acceperat: tum ꝙ claſſem magna ex parte laceram hoſtiũ inſidijs dimiſiſſet, tum ꝙ Iuſtinianę familię viri omnes aut ferro, aut peſte penitus obijſſent, ſenibus tantum domi relictis, quorum ope reparari familia tã illuſtris non poſſet. Hanc inuidiam vt à ſeſe auerteret dux, literis ad Pont. Alexandrum miſsis, haud ęgrè obtinuit, vt Nicolaus Iuſtinianus, qui monachum ad D. Nicolai phanum ageret, adoleſcẽs, religionis initæ voto ſolueretur, cui Annam filiam vnicam in matrimoniũ iungeret. Quo facto, Nicolaus ipſe, & Anna vxor, ſuſceptis maribus liberis ſex, tribúſq; fœminis, mutuo conſenſu vterq; religioné repetiere. Ille ad D. Nicolai phanũ regreſ-

ſus, ipſa cœnobio, ſeſe includens à marito pri'erecto, in loco qui de Amianis dicitur. Qua ex re facilè æſtimes, quantũ illi pudicitiæ tribuerint, quãq; ipſam ſummo animi ardore, conſtantiáque receperint. Nanque vbi reparandæ familiæ tam celebri operam dediſſent ſuam, ad apicem ducémque virtutis omnis pudicitiã ſua ſpõte rediere.

De Quirina Senioris Bernardi Iuſtiniani vxore.

NVLLVM certè præclarius ſeruatę conſtantiſsimè pudicitiæ monumentum repeti à me vt opinor, poterit, quàm Quirinę Senioris Bernardi Iuſtiniani. Quę quidem & viuente marito, & eo poſtea mortuo, dum filijs educandis operam omnem impenderet (de quibus ſuprà diximus) lũbos ſuos lamina ferrea præcinctos eſſe curauit. Quid igitur admirabimur ab hoc veluti materno fõte treis liberos eſſe profectos, Laurentium, videlicet primum Venetiarum patriarcham, meritò inter diuos relatum, & Marcũ ipſum, primum Bergomi prætorẽ, & Leonardum D. Marci procuratorem, eloquentiáquefacilè ſui tempo ris principem, & Bernardi Iunioris Iuſtiniani poſtea parentem, tria veluti numina

Venetijs floruiſſe? Quando Quirina mater omni ſtudio illos à pueritia Chriſtiano lumine, ſuóque in primis exemplo, quum quartum & vigeſimum ætatis annum ageret, à mariti morte erudiendos curarit. Inſtruentur igitur patres & matres in filios hoc exemplo, quo pacto eos à primis annis erudiant, qualéſque ipſi eſſe debeant.

De filio Antonij Venerij ducis Venetiarum.

NON minor fuiſſe Antonij ducis Venerij ſolertia in erudiendis liberis ſuis videri poſsit, quàm Quirinæ ſuperior à me repetitæ. Qui filium iam iuuenem paternæ ac domeſticæ diſciplinæ penitus oblitum, publico iudicio punitum eſſe ęquiſsimo tulit animo. Violatæ enim pudicitiæ in plebeia licet fœmina exemplum, quis non vehementius accuſet, ac damnet: qui amatæ à ſe ardentius puellæ ianuis cornua bubula fixiſſet, illíque occurrenti in via publica oſculum inuitæ ferre voluiſſet. Qua ex re & illum perpetuo carceri, includendũ curauit, nec vnquam dimiſſum eſſe voluit, quamuis grauiter ægrotaret, peſtéq; graſſante in carcere tandem obijſſet.

De fœminis Scodrenſibus.

PATIENTVR æquo animo Venetię noſtræ, Scodrenſes quoque fœminas huc inſeri, quæ non multæ ſanè numero ſuperſtites, dedita Turcarum principi Scodra, ad nos commigrarunt. Quæ ſanè ſuę in patriam fidei memorabile exemplum Venetias intuliſſent. Tãtum pudicitia excelluiſſe feruntur, vt apud nos Scodrenſes fœminæ ſummæ cuiuſdam pudicitiæ famam, & nomen in hodiernum vſque diem retulerint. Siue idipſum domi acceptum huc referre voluerim, ſiue Venetæ pudicitiæ in fœminis exempla celeberrima animaduerterim. Sanè cõſtat ſumma ſemper fuiſſe laude dignas, neque vnquam de ijs infame exemplum eſſe exauditum.

De fœminis Germanicis Venetias euocatis.

POTERANT Scodrenſes fœminę immigrantes Venetias certiſsimum pudicitię Venetæ teſtimonium ſatis amplum perhibere, ſed quod ſubiungam in præſentia de Germanicis fœminis Venetias euocatis, multo admirabilius fuerit. Venetæ enim ciuitatis more introductum fuerat, vt ſingulis annis, certi quidam nũcij in Germaniæ fines mitterentur, qui iuniores fœmi-

nas ex locis illis ſtipẽdio certo cõducerẽt, quæ iuxta carnificinam publicam vbi nũc diui Matthæi phanum eſt, proſtarent, vulgíque libidini inſeruirent, certa mercede perſoluenda, vt ſcirent mortales pro certo nihil eſſe in noſtratibus fęminis quod meritò accuſare poſſes.

De conſilio decemuirali.

DVCENTESIMVS, & quadrageſimus agitur annus, ex quo decemuiralis magiſtratus pro Reipub. ſalute pręcipua creatus eſt: cui tria præcipuè vindicanda ſcelera ſunt commiſſa. Et primum quidem illud fuit, vt nequis contra libertatem patriáſq; leges noui conſilij moliri poſsit. Alterum ne falſam monetam quiſpiam vllo modo excuderet. Tertium ac ſupremum, vt cauerent decemuiri, nequis temerario incœpto maſculam venerem attentaret, vt ipſa pudicitia omnibus mortalibus conſtaret, quæ ſanè crimina capitalia forent hiſce, qui conuicti decemuirali ſententia forẽt.

De Virginum cœnobijs.

QVANTVM verò ſtudium priſcis Venetis adfuerit adſeruãdę omni ex parte pudicitię, vel hoc vno argumento doceri, inſtruíque omnes poterũt, quod intra ipſos

Venetiarum fines triginta, & amplius virginum cœnobia viſuntur longè celeberrima, quæ immortali Deo perpetuam virginitatem vouerint: grauiſsima omniũ pœna iis indicta, qui eam quoquo modo violare auſi eſſent. Quum verò tot numero ſint tantáque ſanctitate imbuta, ſanè conſtat Zachariæ, & diui Laurentij antiquiſſima omnium eſſe, præcipuáque ſanctitatis opinione planè auguſta floruiſſe.

EXTERNA.

De Rodorico rege Gothorum.

OCCVRREBANT mihi ſanè immenſa virginum agmina, quæ ſeruato pudicitiæ decore, iure optimo in cœlum tranſlatæ à nobis hodie ſumma pietate colantur. Sed nec iſte in præſentia eſt locus, & inſtitutũ hoc noſtrum, ac ſcribendi propoſitum aliud eſt, & maximè diuerſum. Quare exemplum vnum vindicatæ pudicitiæ quod Chriſtianorum hominum excidere animis nunquam debeat, maximè inſigne, & memorabile lubentius commemorarim. Quod maximè ijs qui hiſtoriarum recentium lectione delectantur in primis probatum iri, non dubito doctis pleríſque viris. Quum florebant igitur res Gothorum

in Hiſpania Rodorici regis auſpicijs, nimia fœlicitate corruptus regis animus, ad violandã Iuliani Tingitani principis filiã, quæ apud ſuam vxore in regia tũc agebat lõgẽ pulcherrima propenſior fuit. Quod quũ pater filię literis accepiſſet adeò exarſit, vt Mamolinum totius Mauritaniæ, & Aphricę principẽ impulerit, qui ſuperato Gaditano freto Hiſpanias ipſas inuaderet, promittẽs ſeſe illi præcipuũ belli adiutorẽ & ſocium. Quare inſtructis copijs Muza duce, Iulianóq; ipſo pręſente tranſgreſſus mare, Sanctium primum Rodorici filium acie vicit, & occidit, paríq; fœlicitate Rodoricũ ipſum cum ingentibus copijs occurrentem fudit, & interfecit. Quo facinore ꝑpetrato vniuerſa Hiſpania in Maurorum poteſtatem ceſsit, præter Aſtures montanos, ad quos ex fuga non pauci ſe contulerant. Penſet igitur ſecum quiſque animo, quanti conſtiterit Hiſpanis omnibus Rodorici hæc Regis immenſa libido: quamque acriter doleat principes ingenio præſtãtes ſua pignora per vim corrumpi: quum meminerit octingentos annos Mauros ipſos in Hiſpania ad noſtram vſque ætatem Maumethis auſpicijs viguiſſe.

De Ediltrude Angliæ Regina.

SVPERSVNT in hoc genere multa ſingularis pudicitię exempla, quę ſtatim à me repetentur. Cæterum Ediltrudis Angliæ Reginæ, exemplum meritò hunc ſibi vendicat locum, quæ tribus Anglorum regibus nupta, certa quadam ſucceſsione, non dubitauit maritis perſuadere, vt pudicitiã, & ipſi ſecum adſeruarẽt. Quod quidem ita contigiſſe fertur, vt de tanta hac re veteres ſcriptores non dubitarint.

De Ioanne Caſerte Comite.

FVIT hic inter principes Siculi, Neapolitaníq; regni proceres, ex ijs vnus, qui Mamphredo Friderici filio ſua virtute, & fortitudine vtrũque regnum aſſeruit. Huius tamen tam ſingularis beneficij immemor Mamphredus ipſe, minimè veritus eſt Ioannis vxorem familiarius penes illum agentem violare. Quod quum Ioannes ipſe reſciſſet, adeò grauiter tulit, vt ad Carolum Andegauenſem primus transfugerit, viámque illi multo faciliorem aperuerit inuadendi regni. Quare quum Mamphredus primùm acie ſit à Carolo victus, tum verò etiam cæſus, ipſius imprimis Ioannis opera, facilè omnibus conſtare debeat, neque principibus alienas vxores attentan-

das eſſe, neque ſubditorum pecuniam extorquendam, neque calcitronem equum alendum, poſtremóque ſeruum, quem domi habeas iam grandem natu non eſſe verberãdum: quod ſi acciderit, quamprimùm dimittendum. Id quod memoriæ proditũ ſit ab ipſo olim Sfortia patre filium Franciſcum (qui poſtea Mediolani princeps fuit) eſſe præcipuè monitum, vt conſtanter hæc ipſa præcepta princeps ipſe meminiſſet. Quæ præcepta ſi Galeacius Franciſci filius retinere ſecum animo voluiſſet, nunquam certè ab ipſo Lamponiano tam inexpectata cæde oppreſſus eſſet.

De Nicolao Eſtenſi Ferrarienſi Marchione.

SED quis per Deũ immortalẽ Nicolai Principis Ferrarienſis factum non maximè laudet, in cœlúmque extollat eius animi magnitudinem? Qui cum animaduertiſſet præſens ipſe Pariſinæ nouercæ vxoris ſuæ ab Vgone filio adoleſcente alioqui præclaræ indolis, pudicitiã eſſe violatam, corruptáque cõiugij ſui iura, & filium, & vxorem carceri incluſit, vt non multo poſt & filium & ipſam vxorem necandam curauerit: nec paterni affectus memor, nec

ipſius connubij appetentior.

De Ludouico principe Normandiæ.

PARI exemplo memorandus mihi eſt Ludouicus Normãdię Seneſcalchus (quod nomẽ apud Gallos ſummæ dignitatis eſt) qui ſub Ludouico vndecimo Francorum Rege magni vir nominis Carolottam regis ipſius ſororem, coniugémque ſuam, in eodem lecto deprehenſam cum adultero Ioanne Lauerno, minimè quidem veritus eſt vtrunque ſtatim iugulare. Quod factum ne Ludouicus quidem ipſe rex grauius vnquam tuliſſe videtur.

De Philippo Gallorum Rege.

ADEO pudicitiæ ſeruatæ decus mihi ſemper probatum eſt, vt iure optimo Philippum cognomento pulchrum Francorũ Regem hîc inſerere non dubitarim, qui ex tribus nuribus innocentem vnam abſoluerit, duas verò criminis conuictas perpetuo carceri mancipauerit, ipſos autem adulteros, adeò acri pœna affecit, vt diſſecta prius cute, vtrunque ſuſpendio affixerit.

De Franciſco Gonzaga.

HABEBIT & Gonzaga familia po-

ſtremum inter tot Reges, ac Principes locum. Nam Franciſcus ex ea familia Mantuæ Princeps, quũ pro certo reſciſſet vxorẽ ſuam Agnetem Bernabonis Mediolanẽſis ducis filiam, ſponte violaſſe matrimonij legitimi iura, non dubitauit eam capitali ſupplicio afficere: quod etiam nec pater improbauit.

De iis, quæ liberè dicta, aut facta ſunt. Cap. II.

EST ſanè dicendi libertas in primis laudanda, ſi modò & tẽporis & perſonarũ habeatur ratio. Quod qui minùs obſeruarit, in vicium non ſolum incurrit, verumetiam grauiſſima vitæ pericula ſubit. Quare rectè fecerint illi meo iudicio, qui modum cùm in cæteris omnibus rebus, tum verò hac ipſa in vitæ parte retinent. Siquidem virtus ipſa omnis, in mediocritate eſt poſita.

De Henrico Dandulo.

PRIMVS hîc certè hunc ſibi locum vendicauerit Henricus Dandulus qui Sebaſtiani Ziani ducis tempore miſſus Conſtantinopolim orator ad Manuelem Principem, Veneto nomini infeſtum, quum

aliquanto liberius præ cęteris collegis publicam cauſam ageret, in grauiſsimum Manuelis odium incurrit, vt tandem illo ad ſe ſemel aduocato ſeorſum ab alijs, candelas igneas eius oculis diu obiecerit. Quo facto Henricus ipſe lumen oculorum penè integrum amiſit.

De Pantaleone Barbo.

NON eſt mihi conſilium ab Henrico Dandulo poſtquam diſceſſerim, qui poſtea dux meritò in Aurei Maſtropetri locũ ſuffectus eſt, quique Bizantinum imperiũ ipſum dux cum Veneta claſſe, & Francorum auxilio de Gręcorum manibus eripuerit, ab ipſo Henrico longius abire: qui potuit imperator propter eius ſingularem virtutem Conſtantinopolitanus creari omnium ſententijs in eum inclinantibus: niſi Pantaleo Barbus, vnus ex ijs qui aderant patritius Venetus, nimia libertate vſus idipſum fieri diſſuaſiſſet. Mouit vt opinor Pãtaleonis fortaſsis animum, quòd vereretur ne nimia hæc fortunæ fœlicitas, Veneto nomini grauius impoſterũ officeret, Græca gente, pluſquàm credi poſsit, in Latinũ nomen infeſtiore.

De

De Franciſco Dandulo.

QVIS per immortalem Deum non fando accepit memorabile factum Franciſci Danduli? Qui Venetus orator miſſus in Galliam ad Clementem Pontificem Max. vt eum infeſtiorē Veneto nomini propter Ferrariam receptam placaret: quum multa & varia ſecū agitaſſet cōſilia, neque à Pōt. ipſo iratiore quicq̃ impetraret: inuſitati facinoris obeundi, quod quidē neq; antea, neq; in hanc ipſam ætatē auditum ſit, conſilium inijt. Nam quo tempore Clemens ipſe cænitaret, quadrupes effectus catenáque ferrea colo preſſus, ad Pontificis pedes canis in morem ſeſe ſubſtrauit. Quo nouo ſpectaculo Pontifex ipſe attonitus, illum in gratiam recepit, Venetóque nomini iniuriam dimiſit. Vt poſtea reſpublica Veneta grauiſsima & iucundiſsima illi fuerit, cui mortalium omnium congreſſum conſuetudinémque interdixerat.

De Leonardo Venerio.

MISERAT hunc legatum Veneta Reſp. ex ciuitatis principibus vnum qui Mediolani Philippo duce mortuo ageret, vt Mediolanenſes, qui libertatem ſibi vendica-

uerant aduerſus Franciſcum Sfortiam, qui eam armis ad ſeſe trahebat, communi ope, & conſilio tueretur. Et erat quidem apud Mediolanenſes ſumma Venerij autoritas: námque & exercitus Venetus aderat, & Dux Foſcarus nunquam ſe illi defuturum pollicitus erat, quum Ioannes, & Gaſpar Stampę coniuratione inita, rem ad Franciſcum Sfortiã traherent. Quare hi ingenti contracta manu, palatinas ædes per poſticum ingreſsi, quas ab anteriore parte coniurati alij ſubibant, vbi libertatis tuendæ præſides, cum eodem Venerio agerent. hic igitur Princeps tumultu audito, quũ Gaſpar illi primus occurriſſet armatus, acerbè nimium in illum & ſocios inuectus, accuſatáque eorum vehemẽtius audacia, quam ſe liberè mox repreſſurum minabatur, graui eorum ſupplicio. Qua ex re nihil territus Gaſpar primus in eum telum intendit, moxque cum ſuis ſocijs vulneribus non paucis affectum interemit. Qua ex re facilè conſtare nobis poſsit, nimiam loquendi libertatem, non opportunè adhibitam ſæpe grauius officere.

De Dominico Piſano, Oratore Veneto, apud Iulium Pontificem.

ERAT iam pridem Venetis aliquanto infeſtior Iulius Pont. Max. quique Chriſtianos principes omnes in Venetã Remp. occultè armaret. Quo tempore Dominicus Piſanus pluribus iam honoribus functus, in patriam eiuſdem Senatus Veneti decreto venit Orator. Qui cauſam diligéter agens publicã, quũ grauius & acerbius ſæpe ab ipſo Iulio Pont. accuſaretur, tandem ſemel ſtomacho nimium indulgens, tanta cum libertate illi reſpondit, vt nihil vehementius dicere potuerit, minabundus caueret, ne ex tanto dignitatis faſtigio clericuli habitum aſſumere cogeretur. Quę libertas adeò Iulij Pont. animum pupugit, vt conſtantius Principum conſpirationé, ſuámque in Venetos iracundiam perficeret. Ex qua ita contigit, vt ipſis Venetis ad Abduam amnem ſuperatis, grauiſsima omnium calamitas Venetos oppreſſerit.

De Bernardo Capelio.

RELIQVERAT Franciſcus Capelius eques vir patritij ordinis inſignis liberos mares quatuor. Carolum videlicet natu maximum qui iuuenis adhuc immatúro quodam fato ſubreptus eſt: & Bernardum

ipſum proximum, qui vbi per ætatem honores aliquot aſſecutus eſſet, dum nimia libertate iuuenis adhuc vteretur, modò hunc publicè, modò illum accuſans, minabundúſque etiam ſe in reliquos talem futurum: tandem decreto patrum, cui haudquaquam parendum ſibi in animum induxerat, in perpetuum exilium abire coactus eſt. Nunquam ſuſpicatus fore, vt in libera ciuitate, nimia libertas ſibi officere poſſet.

De Leonardo Lauretano Principe.

VICTI erant Galli memorabili acie ab Hiſpanis Gunſaluo Ferdinando eorum Duce, venerátque Hiſpanus Orator ad Leonardum ipſum principem & patres victoriæ laureá nunciaturus. Aderátque eodem tempore Gallorum regis legatus, qui euocati in collegium, quum triſtior alter, alter exultabundo ſimilis aſſediſſet, conuerſus dux ad vtrunque, Ego, inquit, penes vos Pauli Apoſtoli verbis in præſentia vtar: vt quando diuinæ voluntati nemo poſſit obſiſtere, ita nunc fleam ego cum flentibus, gaudeam cum gaudétibus. Quo principis dicto, adeò omnis inuidia leuata eſt, vt Galli, & Hiſpani viciſsim gratias illi agerent. Indéque diſcedentes, eius ſingula-

ris viri prudentiam imprimis admirarĕtur.

EXTERNA.

De Agapito Romano Pont.

PROFECTVS erat Agapitus Romanus Pont. Cõſtantinopolim ad Iuſtinianũ Imperatorem, cum alijs de cauſis, tum verò, vt illum præſens adhortaretur, vt Gothos omni ſtudio terræ Italiæ finibus eijceret. Quod quum ſeſe perquàm libenter facturum polliceretur Iuſtinianus Imperator, contrà ab ipſo Agapito princeps ipſe vehementius petit, vt Euthichianam hęreſim approbaret, quæ tum maximè inualuerat, minâſque inſuper addidit Pont. niſi ipſi obtemperaret. Tum Agapitus ipſe conuerſus ad eum, ignoſce, ignoſce inquit Imperator quando id à me petis, quod pietati Chriſtianæ maximè officiat, memineríſq; te Iuſtinianum principem eſſe, non Diocletianum, ad quem venerim.

De Bonifacio octauo Pont. Max.

DVBIVS animi diu fui vtrum hîc Bonifacij octaui Pontificis dictum, factúmque liberius adtexerem, qui Gibellinæ factioni aliquáto infeſtior, quum prius Columnenſes ipſos armis euertiſſet, Archiepiſco-

pum quoque. Genuenſem occurrente ſibi primo quadrageſimæ die ad ædem ſacram, vt cinerem à Pont. de more acciperet, ita planè excepit, vt mutata conſueti carminis oratione dixerit, memento quia Gibellinus es, & Gibellinus moriere. Nec dicto cõtentus, ſparſum cinerem in oculos illi obiecit.

De Inario Calchedonenſi epiſcopo.

PRAEERAT ea tempeſtate, qua Iulianus Apoſtata rerum potiebatur, Inarius apud Calchedonem epiſcopus, vir ſanctitate vitæ & optimis moribus ornatiſsimus. Cui tum ita contigerat, vt ingraueſcente ætate luminibus captus eſſet. Quum igitur ſignificatum illi fore Iulianum adhuc ſuperſtitem eſſe, & in Fortunæ templo ſacra facere, illéque vehementius coram multis appellaſſet grauitérque reprehendiſſet: ferunt tunc ipſum Iulianum re cognita exclamaſſe, nunquam tibi ô Inari, Galilæus tuus (ſic enim Chriſtum Seruatorem appellare ſolebat) viſum tibi reſtituet? Quo dicto inſoleſcentis Imperatoris vſque adeò commotus Inarius eſt, vt palàm fateretur ſeſe Chriſto gratias agere, quòd eo tempore luminibus priuatus eſſet, quo Iulianum videre non poſſet.

De diuo Ambroſio epiſcopo Mediolanenſi.

NON paucos certè diui Ambroſij ætate vidiſſes oppidorum & prouinciarum antiſtites, qui vitæ bonitate & vera religione imbuti, hanc dicendi libertatem cõtra improbos principes retinerent, eorúmque dicta ſeu improbè facta magno animo non dubitarent apertè arguere. Cuius rei vnus tu diue Ambroſi teſtis mihi certiſsimus adfueris: qui Theodoſium principem alioqui clarum & illuſtrem, quum Mediolani ageret à ſacri templi foribus repellere nequaquam dubitaris: quoniam ille apud Theſſalonicam multos Chriſtianos nõ auditos vno edicto interfici iuſsiſſet. Procul igitur hinc abeas princeps mihi chariſsime & tecum domi diutiùs cogita, quid ad hoc tàm graue delictum remedij adhibeas. Tulit verò Theodoſius hanc à tẽplo repulſam tanta animi æquitate, vt ſtatim inde abiens domum redierit: vt neſcias vtrum magis laudes vel potius admirere. Ambroſium ne ipſum tam libero animo fuiſſe, an Theodoſij patientiam, qui ne minimo quidẽ dicto antiſtitem ipſum laceſsierit.

De Gregorio vndecimo Rom. Pont.

IVVAT me certè in præſentia in hiſce exemplis repetendis immorantem, ſacros præcipuè viros commemoraſſe, vt horum hominum imitatione diſcere eiuſdem ordinis poſsint, & præſtare id audeát, quod à viris ſanctiſsimis frequenter vſurpatũ legent. Erit igitur Gregorij x I. Põt. memoria aliquanto legentibus gratior ipſo etiam facto maximè memorabili: quando ipſa vrbs Roma, terráque Italia veluti poſtliminio redeuntem Pontificem, vrbíque ſuæ reſtitutum in hanc vſque ætatem acceperit. Ipſe enim Gregorius in Gallijs agens, quò Romani Pontifices ſeptuaginta, & amplius annos immigrarunt, occurrentem epiſcopũ adhortari cœpit, vt quando tot annos abeſſet à ſuis ſacris laribus eò tandem rediret. Cui tunc epiſcopus reſpõdés: ego verò inquit ſanctiſsimè pater dictis tuis multo libentius obtemperarim, ſi viderem te exẽplo tuo nos cõmonefacere. Quo dicto in primis tempeſtiuo, & libero admonitus Gregorius, ſtatim de repetẽda vrbe Italiáq; cogitauit. Id quod nõ multò etiã poſt fœlici ſanè euẽtu re ipſa prꝗſtitit.

De Sixto Pont. Maximo huius nominis quarto.

FVIT Sixtus iam tum adoleſcens Sauonæ Liguriæ ortus, ex minoritana familia vnus,qui ingenio literiſque nõ parum excultus,intérque Beſſarionis Cardinalis lõgè optimi familiares aſcitus.Mortuo Paulo Barbo Pontifex à Cardinalib. ſuffectus eſt. Ad eum quum plerique ex ſuo ordine gratulabundi accederent,ita ſanè accidit, vt Fráciſcus Aragonius,illi imprimis olim familiaris accederet.Qui quũ palatij magnitudinem,pompámque , & eius ornatũ maximè admiraretur,vt non dubitarit Sixtus Pont.argentea illi pocula, aureámque ſupellectilem omnẽ liberius oſtẽtare:quinetiam, & illud addere Petrum & Paulum Chriſti Apoſtolos nequaquã hæc ipſa ornamẽta oſtenſuros,tunc pari libertate Frãciſcus ipſe Aragonius vſus.Ne tu quidem Pontifex Maxi. Petri ſucceſſor claudicanti dicere poteris, ſurge & ambula.Quo ſanè dicto admoneri Sixtus potuit, veterem pietatẽ adeò exoleuiſſe,vt nihil iam ex ea niſi nomen ſupereſſet.

De Hyra Gallo militari duce.

FLOREBAT Hyras hoc nomine princeps Caroli ſeptimi Francorum Regis ætate,militari laude clarus,qui Anglis Galliã

vaſtantibus, ad Carolum venit, petitum, vt laborãtibus ſuis auxilio eſſet. Quem quũ ſæpius fruſtra fatigaſſet, Carolo ipſo inter epulas, & conuiuia, reliquáſque voluptates libentius verſante, quærentéque ſemel Carolo ex ipſo Hyra, quiſnam illi videretur quotidianis rerum tam lautarum apparatus: Reſpondit, ego verò (vt hoc interim omittam) illud facilius dixerim, neminem à me regem eſſe cognitum, qui regni ſui opes lætius amitteret. Quo ſanè reſpõſo tam libero, relictis omnibus alijs rebus, poſtmodum ſeſe Rex Carolus aduerſus Anglos geſsit, vt illis Galliæ finibus expulſis, & ipſe regno florentiſsimo poti-retur, & reliqui in hunc diem reges ampliſſimo fœliciſsimóque fruantur.

De Seueritate. *Cap. III.*

HABEBIT & ipſa ſeueritas ſuã hac in parte laudẽ. Quæ omiſſa interim comitate, ac mãſuetudine, prout grauiora ſunt hominũ errata, maiores ſpiritus ſępe ſuſcepit, ad emẽdãda flagitia, quæ vel in vno vel in pluribus accidant. Vt tamẽ ſeueritatis autor relaxare frena ſuæ triſtitiæ, & duritatis poſtea poſsit. Quæ omnia ſubiecta à nobis exempla facilè patefecerint.

De Marino Faletro duce.

NON poſſum non inuitus hac in parte primùm Marini Faletri Ducis meminiſſe, qui clariſsima ortus familia, Dux inſuper abſens patriæ declaratus, tantum ſceleris animo conceperit, vt cum popularibus quibuſdam, plebeíſque hominibus coniuratione͂ inierit de libertate ipſa opprimenda, tyrannidéque inuade͂da. Id quod quū patribus certum exploratúmq; fuiſſet, ſtatim eo capto, criménque ſuum confeſſo, ſupplicium publicè ſumptum eſt. Vniuerſa enim ciuitate ſpectante in ſummo Scalarum Palatinarum gradu ceruices illi abſciſſæ ſunt, bonáque publicata, decrétóq; publico cautum, vt in maiori comitio, vbi ducum omnium pictæ ſpecta͂tur imagines cum ſuis elogijs, nulla eius extaret effigies, tantúmque atro colore locus illius obſcurus eſſet, ea cū ſubſcriptione, quæ teſtaretur Marini Faletri locum eſſe vacuum, cui duci propter ingens in patriā ſcelus, amputata publicè ceruix foret.

De Franciſco Carmaniola.

PRAEFVERAT hic terreſtribus omnibus copijs Imperatoris nomine eo bello, quod cum Philippo Mediolanenſium

duce gerebatur. Et erat alioqui is obſcuriſſimo inter Allobrogos loco natus, Philippo principi antea quàm gratiſsimus. A quo poſtea, illius inſidias vitabundus transfugiens ad Venetos, donatus ab ijs ſumma, quod dixi, dignitate, receptáque vxore & rebus omnibus ſuis à Philippo, Venetis id contendentibus, quum aliquandiu bene his operam præſtitiſſet, mox mutata ſentẽtia, miniméque memor tot beneficiorum, quot acceperat, de Venetis deſerendis, Philippóque principi inſeruiẽdo cogitare cœpit. Quare Veneti ſæpius ab eo deluſi, variíſque caſibus vexati, literíſque etiã eius interceptis, quum Venetias euocaſſent, aliud certè ſimulantes ſeſe agere, carceri publico includitur, cõfeſſúſque omnia, inter geminas colũnas edicto publico cęditur.

De filio Antonij Venerij ducis.

TRANSITVS nunc à me fiet à publica ſeueritate, ad priuatam, qua Antonius Venerius Dux in filium, alioqui egregiæ indolis vſus eſt. Qui adoleſcens publico iudicio dãnatus propter flagitium, de quo ſuprà dictum eſt à nobis, carceri intruſus, quum peſte etiã laboraret, nunquam tamẽ à patre impetrare potuit, vt inde ſoluere-

tur. Quare mortuus cũ totius ciuitatis luctu elatus eſt, mediocri etiã funeris põpa.

De militibus Roberti Sanctoſeuerinatis.

O SEVERITATEM Reipublicæ Venetæ maximè memorabilem, quam nos ætate noſtra vidimus. Diſcurrebant in Riualtina vrbis parte aliquot Roberti Sanctoſeuerinatis milites, modò huic, modò illi infeſti, ſub primam noctis horam: quos quũ publici lictores arcerent, admoneréntque, vt ab inferenda iniuria abſtinerent in libera ciuitate, tum verò violentiores facti, exclamare cœperũt, Roberte, Roberte Imperator, ferto precamur opem militibus ſic optimè de te meritis. Quare ſtatim vinctis ad cõſiliúmque decem virale deductis, ſic in illos animaduerſum eſt, vt deducti eodem momento in aream publicam, inter geminas columnas ſint ſuſpenſi.

De Leonardo Lauretano duce. & Senatu Veneto.

VICERVNT ſcelera nonnullorum patritij ordinis, benignitatem atq; clemẽtiam Leonardi Principis, & Senatus: coëgerúntque eum, vt depoſita interim huma-

nitate ad tuendam Reip. dignitatem ſeueritatem indueret animi. Quare quum eorũ crimina ſæpius delata forent, grauioráque flagitia, comprehenſi, conuictíq; ſupremo ſupplicio, publicè ſpectantibus omnibus ſunt affecti.

EXTERNA.

PERQVAM libenter ſanè in præſentia hæc ipſa ſeueritatis exempla repetam, quod præcipua eorum pars Pontifices maximos autores habitura ſit: quę bonitatem eorum lecturis declarent, & reliquis pontificibus exemplo eſſe poſsint, vt pro vera religione, ac pietate tuenda minimè dubitent ſeueriorem hanc diſciplinam haurire animis.

De Conſtantino Pont. Maximo.

PRIMVM autem locum iurè ſibi vendicauerit Conſtantinus Pont. Max. qui Philippum Conſtantinopolitanum Principem male de fide catholica ſentientem, ſæpius ab ſe literis admonitum, neque vnquam reſipiſcentem, ſeuerè admodum vſus eſt. Nam & dignitatem imperij illi ademit, & ne inter reliquos principes Imperatoréſq; nomé eius referretur edixit. Verùm obſtinationé illius nimiámq; animi

pertinaciã non multo poſt diuina prouidẽtia vindicauit. Nam anno vno menſibus ſex imperij vix expletis, captus à ſuis, oculis primùm, tum vita priuatur.

De Innocentio primo Pont. Max.

LAVDARI certè Conſtantinus Pont. maximè poteſt, qui põtificia ſeueritate, ad quam neceſſaria temporũ ratio illum induxerat, quum accepiſſet Ioannem Chryſoſtomum patriarcham Conſtantinopolitanum ab Archadio Imperatore Eudoxię vxoris ſuæ aſtu in exiliũ eſſe pulſum, Theophilúmq; illi ab eodẽ principe ſubrogatum, Archadiũ ipſum admonuit, vt Chryſoſtomum reuocaret ipſum, quod niſi quãprimum faceret, tunc ſeſe & Eudoxiã vxorem pro certo ſciret, extra communionem Chriſtianam eiectos eſſe, in ordinémque redactos.

De Nicolao Pont. Max.

SED quonã piaculo ſeueritatẽ tuã Nicolae Pontifex Max. prætermittere potero? Qui re cognita, quod Lotharius Ludouici ſecũdi Imperatoris frater, iuſtã vxorẽ reieciſſet, & alterã ſua ſpõte ſuperduxiſſet, adiuuãtibus eũ tamẽ p̃ſulibus Colonienſi, &

Treuerenſi, ipſum Lotharium non dubitauit diris pontificijs perſequi, & duos illos ſacros præſules in ordinem redigere.

De Gregorio ſeptimo Pont. Max.

NEC Gregorij ſeptimi ſeueritas prēteriri vnquam ſilentio à me poterit, qui Henricum Imperatorem redigere in ordinem non eſt veritus, quoniam ille venalia omnia ſacerdotia paſsim haberet, nec ſæpe à pontifice admonitus à tam graui ſcelere temperaret, ſed nec veniam petenti facilè tribuiſſet, niſi id Henricus per mediā hyemem nudis pedibus ad Canuſij portas, vbi tunc Pontifex agebat zona inſuper colum præcinctus, ſupplicem ſeſe pedibus ipſius publicè ſpectātibus omnibus exhibuiſſet.

De Alexandro tertio Pont. Max.

EADEM ſeueritate vſus eſt Alexander tertius Pont. Max. in Fridericum Ænobarbum Imperatorem, quod ille ſchiſmatis autor fuiſſet, vno atque altero pontifice ſuperinducto. Nanque illum dignitate primum priuauit, anathematiſque ſpiculum in illum, & reliquos illi fauentes intorſit. Quem nō prius à tanto crimine abſoluit, quàm Venetias deductus, Alexandrū Pontificem

tificem ipſum, in veſtibulo diui Marci, cũ principe & Senatu ſedentem ſaluere iuſſerit, pontificíſq; ipſius pedes oſculatus ſit.

De Caſtrutio Caſtracane Lucenſium domino.

ERANT mihi pontifices alij, qui recenſeri in hoc eodem albo à me iure optimo poterant, niſi Caſtrutij Caſtracani, Lucæ olim domini memorabile ſeueritatis exemplum me ad ſe vocaſſet: qui Menſarium Lucenſem, quòd vrbe decoquens effugiſſet, breuíque poſt pactus cum ſuis creditoribus redijſſet, deductum ad ſe coëgit, in carceréinque coniectum iuſsit debitam omnem pecuniam diſſoluere. Siquid verò ſuperfuit, totum in publicum redegit, eo perpetuo inſuper exilio damnato.

De ijs, quæ grauiter dicta vel facta ſunt. Cap. IIII.

NON poſſunt quæ dicta grauiter factáque ſunt ab ipſa ſeueritate diſiungi. Dederint mihi igitur vti ſpero, veniam hęc ipſa quandoque lecturi, ſi triſtioribus hiſce referendis exemplis diutius immorabor. In quibus tamen polliceor multa non ingrata illis affutura: propter præcipuã auto-

ritatem eorum,qui in hac laude verſati eſſe creduntur. Habeat igitur primum hunc locum Henricus Dãdulus, qui poſtea dux Venetijs creatus eſt. Hic igitur ad Manuelem Comnenum imperatorem Conſtantinopolitanum, Veneto nomini infeſtiſsimum,miſſus orator, quum multa alia prudenter apud eum principem locutus eſſe dicitur, vt illum patriæ reconciliaret, tum verò illud grauiſsimè addidit, vt meminiſſet Sybillini carminis iam pridẽ vulgati:futurum nõ multo poſt, vt Andria orti Conſtantinopolitani imperij faſces,ſceptráque ad ſe traherent. Quod tam graui dicto adeo excanduit Manuel, vt illi intra cubiculum euocato æneum vas candens obiecerit, quod inſpectare diutius voluit, vt eum oculorum lumine priuaret. Quam pœnam ita paſſus eſt,quamuis grauiter laborarit, vt præcipuus ille autor fuerit imperij ad Gallos transferendi.

De Franciſco Dandulo Oratore ad Clementem Pontificem.

TENTARANT ſæpius Veneti, ídque fruſtra,vt Romanum pontificem Clementem ſibi iratum, infeſtúmque propter Ferrariam receptam, pluribus ad eum miſsis

oratoribus reconciliarent. Poſtremò verò miſſus eſt & Franciſcus Dandulus, qui eo animo profectus eſt Auenionem in Gallias (ibi enim pontifices Romani aliquot egerunt annos) vt quacunque ratione fieri poſſet, ipſum Clementem pontificem ſibi patriæq́ue conciliaret, Cúmque incaſſum multa variáque tentaſſet, tandem id conſilij inijt, quod omnium mortaliũ animos implere admiratione poſsit. Veſte enĩ mutata quadrupedíſque canis habitu ſumpto, zona in catenę modum etiam collo vinctus, ad prandẽtis menſam Clemẽtis propius acceſsit, pedibúſque eius aduolutus, neque habitum, neque animum præſentẽ ſeſe mutaturum teſtatus, niſi Venetã Rempublicam, Pont. ipſe prius in gratiam recepiſſet. Tantum rei nouitas, neque antea viſa, aut audita grauitas, animum Pontificis perculit, vt ſtatim ſurgere eum iuſſum admiſerit, ſéque omnia facturum, quę petiiſſet annueret, quòd & factum eſt. Quare illi Veneti gratiam rei tam optatæ referentes, ducem in Superantij mortui locũ, canis cognomento illi indito ex quodã facti (vt ita dixerim) miraculo ſibi pręfecere.

De Stephano Contareno.

CREATVS hic in Petri Zeni locum Senatus iudicio, qui maritimæ rei rectè peragendæ in Benaco lacu præeſſet, quãdo res aduerſæ nunciarẽtur, ſtatim ſuſcepta prouincia, domum eſt profectus, euocata de ſuperiore ędium parte vxore: Scias, inquit, me Benacenſi orę præfectum, Senatu ita iubente: tu igitur omnia domi parato curatóque, vt præſto ſint, quæcunque mihi neceſſaria futura ſunt. Atque intra paucos dies aut lætum à me partę victoriæ nunciũ expectato (id quod campani ęris ſonitus ex Marciana turri tibi ſignificauerit) aut mortis meæ literas: quibus tu cadauer hoc ipſum auitæ ſepulturæ mandes. Quæ vox quæſo grauior eſſe potuit, ad teſtandam ſuam in patriam charitatem? cuius dignitate, aut gloria nihil ſibi charius, aut iucũdius eſſe profitebatur.

De Antonio Grimano.

SINGVLARIS opinor atque incredibilis duûm in Dandula familia Senatorum virtus, ac grauitas pleríſque videri poſsit: ſed quod nos audiuimus, & vidimus, non minus admirationis ſecum afferet. Si quidem Antonij Grimani ab exilio reuerſi grauitas ipſa egregia fuit: qui Nicolaum

Michaëlem (acerrimum ſui accuſatorem) vbi primum domũ redijt, & reliquos eius collegas duos, Piſanum, & Sanutum, eos auidè complexus omnes, Nicolaum verò ipſum ſummopere laudauit, quòd pro dignitate ipſius, quã geſsiſſet conſtantiſsimè publicam cauſam tutatus. Addens quòd optaret Reſpublica, ſimiles illi vt plures ſemper haberet. Sed enim, & Dux in locũ clariſsimi Lauretani creatus, eum occurrentem ſibi primùm ſaluere iuſsit, omnia de ſeipſo illi pollicitus. Extant adhuc literæ ipſius ad ipſum ſcriptæ plenæ ſummę grauitatis, & amoris.

De Andrea Gritto duce.

SVCCESSIT in Antonij Grimani locũ Andreas Grittus, cuius virtus & in patriã merita, præclara & egregia imprimis extitere. Cæterùm vt id agam, quod præſentis eſt operis, & inſtituti, ea nunc omittã, quæ ad rem præſentem minus attinent. Illud in præſentia maximè memorabile tacere minimè poſſum, quod quum nunciatũ illi eſſet abſenti, Conſtantinum Cauaciam, vnũ ex quatuorſcribis, à deceuirali cõſilio delectum, qui locus honeſtiſsimus in primis ſit, ſummæque inter plebeios dignita-

tis, Vtinã inquit patres ipſi maturius Reip. conſuluiſſent: nam laqueum video Conſtantini collo, hoc ipſo decreto appenſum eſſe. Quod & ſanè illi contigiſſet, niſi exilio ſuo peſsimè de Rep. meritus fugã arripuiſſet. Quid hoc principis reſponſo grauius eſſe potuit? Nanque operã eius quandoque expertus, publico munere facilè ingenij prauitatem, & peſsimos eius mores deprehenderat.

EXTERNA.

De Vgone Cæſarienſi equite Gallo.

MISERAT Almaricus Hieroſolymorũ Rex Vgonem Cæſarienſem principem virum, militia clarum, oratoris nomine ad Baldacenſem Caliphã, vt res inter Chriſtianos & Sarracenos componerentur, diſcordiæque, ac bella ſedarentur. Verum quum ipſe Caliphas nudam ſuam dexteram Vgoni porrigere nollet, ſed tantum veſtem ſuam contrectare iuberet, præcipuè verò quòd chriſtianus eſſet, auerſus procul à Maumethis ſacris, nunquã adduci Vgo potuit, vt id faceret: quin bellum denuncians quàm primum ſe diſceſſurum pollicitus eſt. Qua ex re Calipha territus inui-

tatum ad ſe benignè excepit: virtutem hominis admiratus, dextráq; ſimpliciter iuncta fœdus ſanxit.

De Sergio II. Pont. Max.

PERQVAM libenter equidem exempla Romanorũ Pontificum ſi qua occurrunt, proſequor: ſi modò ea huiuſcemodi ſunt, quæ veterem religionem ac pietatem referant. Quale Sergij Pont. extitiſſe literarũ monumentis eſt proditum. Nam quum Ludouicus à Lothario patre conſors imperij factus eſſet, Romámque ille veniſſet, imperij inſignia accepturus, Italiámque omnem varijs vaſtaſſet cladibus, ſuſceptus tamẽ ab eo benignè, ad D. Petri fores, vbi Pont. ageret, magna cum populi pompa deductus eſt, qui à Pont. exceptus, clauſis tamen foribus diui Petri, conuerſúſq; ad illum Sergius, ſummáque grauitate vſus, Si veniſti, inquit, ad nos depoſita feritate, qua ferè vniuerſam Italiã populatus es, argenteę ſtatim fores tibi patebũt, imperiíq; faſces à me quamprimũ accipies: ſin verò eo animo es, vt nõ chriſtianũm principem agere velis, hinc quamprimum diſcedito, méque Pontificem Chriſtianæ pietatis aſſertorem arreptum primum diripito. Ad

quam vocem, quum Ludouicus ipſe ſeſe Pont. pedibus ſubieciſſet, oſculatúſq; eos foret, benignæque ſe omnia facturum reſpondiſſet, ſtatim pontificis iuſſu patuere fores, admiſſúſque ab illo perhumanè, omnibus imperij inſignibus donatus eſt. Quare inde poſtea diſceſsit, vt pacatiſsimo agmine in Gallias redierit.

De Gregorio ſeptimo Pont. Max.

NON ſilebimus Ildebrandi quoq; Pont. Max. qui Gregorius ſeptimus eſt dictus, grauitatis plenum exemplum in Henricũ Germaniæ imperatorem. Nam quum relatum illi pro certo eſſet, Henricum venalia omnia habere ſacerdotia, minimè dubitauit ſtatim eum admonere, vt à tam perdito facinore temperaret. Nam etſi nullas adhuc literas à Conſtantinopolitano principe recepiſſet, interminatus eſt tamen fore, vt diris pontificijs illum inſectaretur, imperatoriámque maieſtatẽ illi abrogaret.

De Rodulpho Imperatore.

FVERAT hic dum tenuiores res eius eſſent, in Ottochari Boëmorũ regis familia magiſtri nomine. Cæterum quum multis

variiſque virtutibus corporis & animi excelleret, imperator à Germanis declaratus (tantum virtus eius excelluit, vt in hodiernum diem) annum ferè trecenteſimum, eius familiæ gloria perduret, & in primis Carolo principe, qui hodie maximè viget. Sed (vt ad Rodulphum redeamus) nō poterat æquo animo ferre Otthocarus, hanc tantam viri ſubitam támque repentinam maiſtatem: ſed amicorum ſuaſu victus Otthocarus ad ipſum Rodulphum profectus, benignè ab eo excipitur. Ita tamen vt ſtatuto die ad ſeſe ſalutandum in tentorium conueniret, vt à ſe iuſiurandum acciperet imperatore. Quare eò profectus genua flectens, dum iuriſiurandi verba repetit, collapſis tentorij ornamentis omnibus, quæ de induſtria comparata fuerant, in conſpectu omnium, viſus eſt Rodulphi genua tangens. Id quod poſtea Otthocarus vxoris ſuæ etiam contumelijs irritatus, ægerrimè ferrens, bellum illi indixit, ſed à Rodulpho victus acie mox interijt.

De Genigemi Otthomano.

RELIQVERAT Otthomanus Turcarum princeps liberos duos mares, qui poſt eius mortem imperij totius hæredes, quū

parum inter ſe concordes agerent, à Baiſethe fratre pulſus Genigemi Rhodum fugiens, petijt: inde ad Innocentium Pont. captiuus miſſus, quum aliquot poſt dies, vt Pont. ſalutaret deductus eſſet, nunquã adduci potuit, vt pontificis pedes oſcularetur, ſed apprehenſo eius humero, Cardinalibúſque tantum complexis, ſic ita inde diſceſsit, vt etiam in homine Turca facti grauitatem admirari poſſes.

De Iuſtitia. Cap. V.

IN nulla commentariorum huiuſcemodi parte libentius verſatum me memini, quàm in iuſtitię ipſius laude pręcipuè cõmemoranda. Quæ certè communis omnium virtutum parens, ſi rectè à nobis colatur, vt omnes amplectamur virtutes efficit. Prima autem huius virtutis pars eſt, vt deum colamus, altera, vt patriam reliquis omnibus ſtudijs præferamus, tertio loco, vt parentes ipſos ſumma pietate diligamus tum agnatis, atque affinibus reliquíſque mortalibus ſuum cuiq; ius ſuppeditemus. Rectè enim ſacris eſt proditũ literis, beatos eſſe, qui ſemper iudicia cuſtodiant, & iuſtitiã ipſam in primis diligant: ne quis vnquã abs te etiã inimicus vel tua, vel aliena

opera te autore vel cõſcio circũuentus ſit.

De Venetorum iuſtitia.

NVNQVAM certè inficias ierim, Romanam ciuitatem per multas ætates in ipſa iuſtitia excolenda vnam præ ceteris excelluiſſe: quippe quæ pro certo ſciret, & ampliſsima imperia præcipuè parta retentáque ipſius iuſtitiæ aſsiduo cultu, & ampliſsima quæque regna, non facilius corruiſſe, quã ſi iuſtitia negligatur ipſa. Quare nos Venetis referendis exemplis, relictis vetuſtioribus intenti, primũ illud reliquis præponemus, quod celebre ſit, omnibúſque gentibus maximè memorabile. Erat Andronicus ſenior Bizantinus imperator, qui à Michaële filio pulſus, Venetis id prę cipuè ſatagentibus, quòd ſenex, certúſque imperator inops, egénſq; terras omnes oberraret ſolicitus in primis, vt faſces imperatorios toties iuſtè repetitos, tandem reciperet. Id quod Veneti animaduertentes, primi illum ſuſcepere, & quamuis Liguſticis opibus Michaël filius obſiſteret, ne deſerti quidem ab ipſo Andronico, qui Liguribus ipſis adhæſerat, ab illius tutela diſceſſere, donec ſeptuagenario maior Andronicus ipſe deceſſerit.

De iiſdem Venetis.

RECEPERANT Veneti Tenedum, illiſque inſulæ Ioannem Mutatium præfecerant, qui dum ſibi, ſuiſque inſulanis nimium placet, ſtatuerat nec Venetis ipſis repetentibus, neque alijs principibus vllo modo reſtituere, & ſi arx ipſa dirueretur. Quod ipſum inter Genuenſes, & Venetos compoſita pace Allobrogici ducis opera conuenerat. Quare grauiſsimo in eum decreto patres decreuere, & illum perpetuo exilio damnandum, & ordine patritio penitus, eijciendum. Quinetiam, Fantinum Georgium paratę claſsi pręfecere, qui Mutatium ipſum per ſeptem & amplius menſes obſedit, intra arcē, quā fame victus nuncijs Allobrogici ducis tandem reſtituit, cū ſumma admiratione Genuenſium ipſorū, qui tantā iuſtitię vim in Venetis ipſis ſummis poſtea laudibus extollerent.

De iiſdem Venetis.

ACCERSIERANT Veneti Sebaſtiani Ciani ducis auſpicio, cum ex alijs orbis partibus extruēdis nouis edificijs inſignes præfectos, tum ex Conſtantinopolitana vrbe vnum, ampliſsimis premijs inuita-

rant: qui omniũ iudicio omnibus alijs ea tẽpeſtate præferebatur, vt aureã diui Marci ædem, omnium quæcunque extarent celeberrimam, ab ipſis fundamentis extruerent. Quod quum Græcus homo præſtiturum ſeſe polliceretur, ea tamẽ conditione, vt abſoluto ab ſe opere, ad æternam ſui memoriam, pateretur dux ipſe ſenatúſque in oculatiſsima templi parte ſtatuam marmoream ſibi poni: non dubitauit Cianus dux ipſe, & patres id pro certo polliceri. Inchoato igitur ab ſe opere, quũ iam præcipuam templi partem abſoluiſſet, quum dux, & reliqui patres adeſſent, nimia quadam ingenij leuitate elabi ſibi ex ore paſſus eſt, ſe quidem multo celebrius templũ ipſum fuiſſe extructurum, niſi inter ipſum opus occurriſſent plura, quæ illũ prudentiorem feciſſent. Ad quem ſubridens dux: nec nos inquit contrà omnia, quæ de ſtatua petieras, integra tibi dabimus. Quare illi in veſtibuli fronte marmoream ſtatuã collocarunt, manu ad os obiecta quaſi illũ dicti ſui pœniteret. Illud interim hoc in loco prçterire minimè poſſum, templi ipſius apparatum tantum, talémque hodie extare, vt nemo ſit, qui, quum omnia diligentius perluſtrarit, non fateatur omnibus

antiquiſsimis operibus, & recentioribus cum ipſa Tarpeia arce eſſe anteferendum. Quod etſi parergon videri multis poſsit, non dubitem tamen plures fore, quibus quàm gratiſsima templi ipſius ſit futura explicatio. Eſt igitur templum ipſum, nō tam magnitudine & vaſtitate ſua, vt pleráque alia, quàm ornatu inſigne, & inprimis auguſtum. Quod ſi primum ingrediare crucis figuram præferre videatur: cuius anguli in altiſsimas cōſurgunt teſtudines. Quarum faſtigia, vt reliqua templi facies, plumbeis tegulis operta, ad centum viginti ſtadia ex alto ad vrbem nauigātibus inter eminentiſsima vrbis ædificia occurrant. Superbiſsimi ad id fornices, mira inter ſe arte coëuntes totam molem fulciunt. Illud non poſſum non vehementer admirari, vnde tanta vis auri Venetis ipſis affuerit, quod tanto operi impenderent. Nā quicquid operis eſt à media templi parte puriſsimo fulget auro, quod muſiuo opere ita variatum eſt, vt quocunque oculos vertas, inſigne in primis occurrat. Recedunt tantum in ipſo teſtudinum connexu Græcanici operis vetuſtiſsimæ imagines, mœſta quadam venerabilíque præſentia, horrorem cum religione mixtum

ſpectantium animis inferentes. Quod ſi ad alias ſpectandas templi partes animum cõuertas, marmoreę vndiq; tabulæ, ad pauimentũ vſque ipſum, varij marmoris occurrẽt. Quæ tanto artificio ſunt ſibi adinuicem compoſitæ, vt eædem inter ſe ſimiles videri poſsint. Sedilia quoque ipſa circum ædem marmorea, ita diſtincta, vt defatigato iam tibi cuncta perluſtranti, quietem, & ocium parent. Hic tibi pauimentũ liceat intueri vermiculato opere, marmoreis fruſtis ita diſtinctum, vt tantum extruendi templi ſtudium in cœlum meritò tollas. Columnæ verò complures Parij lapidis, vel Tapſici aut Numidici tibi interim adſurgant iure optimo admirabiles, cũ duplici ſuggeſtu marmoreo, vnde ſacerdotes ſæpe emineant. Sic enim cautum publico decreto fuerat, vt quicquid egregij operis Veneti ipſi nauigantes quocunque terrarum ambirent, non dubitarẽt idipſum Venetias deferre, ad æternam templi aurei memoriam, vtque nulli impenſæ omnino parcerent. Quod ſi ex templo egrediare, veſtibulúmque ipſum ſubeas, quis per immortalem deum ſtupor non te inuadat? Cuius aurei fornices trecentis, & amplius fulciuntur columnis, nõ magnitudine ſua

magis,quàm colorum varietate conſpicuis, intercolumnia, & quicquid in area ipſa operis eſt, cum ipſo pauiméto marmoreis tabulis pro tectorio renitet. Quod ſi ſuperiorem veſtibuli partem ex area ipſa conſpicias, ecce tibi equi quatuor æneі, diuerſo ſtatu varióque occurrunt, qui veteris operis inſignia planè referentes, ſtudium inſigne ciuitatis ipſius ſecum præferant. His operoſum tēpli ſupercilium incubat ſenis ſeſe pinnaculis explicans: quorū ſingula in tabernaculi ſpeciem ſurrecta, ſingulas habent ex candido lapide ſtatuas, nudi genij, aliáque verò ſplendidiſsimi aſpectus ſimulachra, ſuo quæque ſtatu operibus inſerta, miro quodam modo, ipſam pinnarum exornant intercapedinem. Idem opus excellentiſsimum, candémque ſpecioſiſsimā materiam, tam dextrum, quàm læuum latus habet.

De Catta melita.

ECQVAE maior certiórq; iuſtitiæ laus cē ſeri poterit, q̄ ſi optimè de te meritis gratias referre ſtudeas? Fuit Catta melita obſcuriſsimis parentibus Narniæ natus, ſed militiæ longè clariſsimus dux poſtea euaſit. Qui quum operam ſuam in terra Italia diuerſis

diuerſis principibus præclaram exhibuiſſet, à Veneto Senatu poſtea imperatoria dignitate ornatus, talem, tantúmq; ſe præſtitit, tantum militari peritia, tanta in Venetos ipſos fide, & charitate enituit, vt vnius opera & Brixia duriſsima hoſtium obſidione ſit erepta, & reliquus principatus in ſuo gradu Venetis conſtiterit. Quare Veneti, & viuentem ampliſsimis beneficijs ſemper ſunt proſecuti, & mortuo ſtatuam equeſtrem Patauij erexerunt, quæ ad diui Antonij ædem poſita meritò ab omnibus viſitur.

De Bartholomeo Coleoneo.

CVI quæſo Venetias venienti ſpectatiſsima Gemellorum ędes Ioannis & Pauli non occurrat? In quorum area, marmoreus coloſſus cum equeſtri ſtatua Bartholomei Coleonis erecta, periucundè ſpectatur: vel operis ipſius admiratione, vel memoria tanti viri non ſtatim capiatur? Qui Bergomi natus ſatis clara familia, militarique laude inſignis, Venetorum imperator hinc creatus, tanta cum fide tantáque conſtantia & gloria militaris diſciplinæ perpetuò excelluit, vt nunquam vllum parē illi ferè inueneris. Qui etiam moriens Senatū

Venetum hęredem inſtituit. Quare gratiſſimi patres ipſi ſtatuam eam erectã eſſe voluere, quę pręter alia perſuadere cuiuis poſſit, à gratiſsimo ſenatu omnia ſemper expectanda eſſe.

De Petro Mocenico.

ET ne à templi ipſius memoria longius diſcedam, occurrent tibi Venetorum ducum aliquot monimēta inſignia, ſed præcipuum extiterit Petri Mocenici. Qui maritimæ rei imperator, Græciam vniuerſam ſua virtute libertate donarit, Cyprum inſulam in ſuo veſtigio ſeruarit, Epirum, & Scodram oppidum à duriſsima Turcarum obſidione liberarit, ſempérque quoad pręfuit, Turcas ipſos repreſſerit

De Nicolao Vrſino, Venetorum imperatore.

SI QVIS diligentius templum ipſum perluſtrarit, interioráque illius cognoſcere maluerit, Nicolai Vrſini Veneti Senatus imperatoris publicum monimentum aſpiciet, quod illi Lauretanus Dux, patréſque poſuere: poſteris futurum exemplum rerum ab eo præclarè geſtarum. Siquidem il-

le pluribus pontificibus & regibus Italicis, & rebus publicis egregiam operam ſemper nauauit. Nouiſsime Venetis ipſis per quindecim annos, clariſsimis partis victorijs, adeò charus fuit, vt recepta vrbe Patauio, mox etiam à duriſsima omnium obſidione liberata, moriens nō multo poſt, ſummum ſui deſiderium poſteris reliquerit.

De Senatu Veneto.

NVNQVAM certè prætermiſerim memorabile illud conſilium Andreæ Contareni ducis, & patrum, qui cum ſeruandę patriæ Clôdienſi bello aduerſus Genuenſes plura remedia excogitaſſent, illud vnũ præcipuè iniere, quod ſanè nemo inficias ierit, rectum in primis extitiſſe, vt triginta familiæ plebei ſanguinis, in patritium ordinem cooptarentur, eorum videlicet qui præclariorem operam ad patriæ ſalutem comparandam attuliſſent. Quare incenſis omnium animis, vniuerſa penè ciuitas ita inflammata eſt, vt plerique priuato ſuo ſtipendio, nouas naues ipſi extruxerint, quibus ipſimet præeſſent, alij ingenté pecuniæ vim in publicum dono dederint. Nec defuere, qui ſeipſos cum liberis, & reliqua familia grauiſsimis qui-

búſque periculis obiecerint. Bello igitur tam graui fœlicißimè perfunctus ipſe dux & patres ad Clodiam, & ea vrbe recepta captiuorúmque Genuenſium, & aliorum non parua manu Venetias abducta: tunc dux ipſe ſenatúſque omnis memor promiſſæ fidei, & iuſtitiæ, ſemper ab hac ciuitate conſtantißimè retentæ, triginta familias in amplißimum ordinem cum ſuis hæredibus aſciuere. Et quoniam non deerant, qui bene de patria adhuc eſſent meriti, reliquos publico ære annuo ex ſuo arbitrio donarunt, vt non deſint tot iã annos, quibus idipſum publicè perſoluatur.

De Michaële Mauroceno.

MICHAEL Maurocenus, qui poſtea dux in Andreæ Contareni locum creatus eſt, omnibus exemplo eſſe poterit, quanta iuſtitiæ vis inſit eorum animis, qui patriæ ipſi omni ſtudio, atque ope rectè ſemper cõſuluere, nihílque illi negatum vnquam eſſe voluere, quod neceſſe eſſet ad eius retinendam dignitatem. Is nanque ex Syria rediens quum amplißimas opes ibi cõparaſſet, Rhodum inſulam cum ijs appulſus incolumis, ibi accepit patriam ipſam in ſummo poſito eſſe diſcrimine, neque vl-

Iam eius ſeruandæ ſpem ſupereſſe. Quum igitur illum multi adhortarentur, vt diuenditis mercibus, ingentíque theſauro cõflato, aliò ſe reciperet, Ego ne inquit tam graue facinus, & ſcelus hoc tempore auſim? Vt laboranti tam grauiter patriæ deſim? Diuendam igitur perlibenter omnia, & quicquid inde conflauero pecuniæ, id totum in patriæ ſalutem impendam. Mox celerrimè comparata naui auríque & argenti copia ſuccinctus, Venetias appulit, nec ducẽ patréſq; paſſus eſt celare cõſiliũ ſuum. Pecunijs igitur omnibus profuſis, quæ magna ex parte ſummo vſui publicè fuere, meritò Contareno duci ſubrogatus eſt, vtinámque diu frui ea dignitate licuiſſet, ſiquidem intra menſes quatuor obijt.

De Franciſco Balduino Patritio Veneto.

DIVERSVM omnino Frãciſci Balduini à ſuperiore facinus facilè oſtenderit iuſtitiæ vel præcipuum munus eſſe, malos ciues, maléque de patria meritos, grauiſſimis affeciſſe pœnis: quod Franciſcus Balduinus meritò probauerit. Qui ciuium opulentiſsimus iuris vim, æquique in tanta

ciuitate ferre non valens, animum adiecit ad libertatem, ſi fieri poſſet, opprimēdam. Re igitur variis artibus, & cōſilijs ſæpe ab illo fruſtra tentata, quum dux, ac patres id reſciſſent, captus in minoritana æde etiam ſacratiſsimo die Iouis ſancto, tantæ audaciæ pœnas meritò luit. Iure enim eo ſtatim mortuo bona eius omnia publicata ſunt. Quinetiam & illud additum, nè quis in Balduina familia nobilitatis munere perfungi poſſet: ianuáque domus illius perpetuo die, noctúque pateret ac Diui Symeonis cognomento parui Diuíque Marci effigies ſupra ianuam ſemper aſtaret.

EXTERNA.

De Sancio Caſtulonenſi rege, cui Deſiderati cognomentum fuit.

FLOREBANT vno eodémque tempore reges in Hiſpania duo, vnus quidē Sancius Caſtulonenſis, cui Deſiderati cognomentum fuit: alter Legionenſis Ferdinandus. Qui quum in Pontium Principem Hiſpanum arma ſumpſiſſet, magnámque partem principatus ſui illi ademiſſet, Sancius, hoc ferre æquo animo non valēs (quū illum Pontius propter egregiā eius virtutē, & nauatam pluribus bellis operam erat

expertus) maximis copijs aduerſus Ferdinandum fratrem bellum mouit. Quod ſciens Ferdinandus, ſtatim in Sancij fratris caſtra paucis comitantibus peruenit, cauſaque à fratre cognita quæ illi honeſtiſsima viſa eſt, immemor Pontij in ſe iniuriarum, fratrémque inſuper magnopere laudans, q̃ primum dimiſſa belli cura, domum redijt: rebus omnibus, quas ademerat Pontio reſtitutis.

De Ferdinando rege Arragonio.

NON poſſum non ipſis Hiſpanijs teſtimonium reddere ſeruatæ in primis iuſtitiæ. Cui enim queſo paulo humaniori non maximè probetur Ferdinandi Arragonij regis pietas, & iuſtitiæ cultus? Qui Caſtulonenſis regni tutor à fratre relictus, quum nepotem ſumma virtute, fidei ſuæ cõmendatum optimè tueretur ac regeret, charúſque in primis omnibus Caſtulonenſibus eſſet. Sed ij veluti pertæſi puerilis imperij, ad ipſum Ferdinandum regem conſtituendum omni ſtudio contendebant. Cúmque dies locúſque ſtatutus eſſet, quo ipſi Ferdinando, & ipſius hæredibus ſceptrum, & regias inſulas traderent: ecce ipſe ſuperueniens Ferdinandus, regia chla-

myde laxiore ſuccinctus, qua puerum ipſe clam geſtaret, in concione acclamantibus omnibus Ferdinandum regem Caſtulonéſem, eiúſque hæredes, reiecta regia chlamyde puerum ipſum humeris collóque inſertum oſtentans, En inquit exclamans, hic, veſter rex cui ſceptrum, cui regias ſeruatis infulas, qui planè Caſtulonéſium regum præcipuus ſit futurus. Quare hoc veluti miraculo attonita concio, tantáque admiratione capta, regiámque animi moderationem admirans, & iuſtitiam, regem ipſum puerũ excepit, Ferdinando ipſi fœliciſsma quæque deprecabũda. Poteſt quis ſummam pecuniæ vim aſpernari, poteſt ſacerdotia opulenta reijcere, regnum autem tantum ac tale, ſine ſcelere oblatum, quis vnquam reſpuat?

De Tancredo Normando Anthiochiæ principe.

ERIT vti ſpero Ferdinandus Arragonius Rex in ore omniũ, qui noſtratia hæc aliquando legerint: nec verò Tancredus Normandici ſanguinis vir ſilebitur. Qui Antiochiæ præfectus capto Boëmundo patruo, principatum ipſum Antiochenſem, ſumma diligentia ac fide rexit. Adeò verò

augendæ ſtudio rei, vt aucto etiam principatu magnáque auri atque argenti vi coacta, patruum ſuum Boëmundum inter Sarracenos captum iuſtis vindicijs liberarit: eique ſtatim Antiochenſe imperium optima fide reſtituerit.

De Balduino Hieroſolymorum rege.

ACCEPERAT hic Antiochẽſem principatum ſibi oblatum à ciuibus, abſente Boëmundo iuniore. Quem quum armis, etiam fortiſsimè aduerſus Turcas tueretur, fortè ita accidit, vt victus acie à Turcis caperetur. Sed quum biennio poſt ſua pecunia reſtitutus eſſet, aduenienti puero non dubitauit ciuitatis imperiũ, & reliqua omnia illi tribuere, iuſtitiæque cultum rebus alijs omnibus anteferre.

De Saladino Sultano Aegyptio.

NVLLVS vti reor iurè nos accuſauerit, ſi Maumethei delirij ſectatorem vnum Saladinum hîc inſeruero: qui maximis ſemper rebus geſtis, clariſsimíſque ad extremũ vitæ ita floruit, vt eius nomen perpetuò celebrandum nobis ſit. Atque vtinam huiuſmodi reges ſortita eſſet Chriſtiana pietas, fœlicius enim res noſtræ ſeſe haberẽt. Cæterum hæc aliàs Saladinus igitur maximus

& ampliſsimus inter Maumethanos Principes, vel eo nomine, quòd Hieroſolymitani regni faſtigiũ nobis ademerit, vt nunquàm ſit à nobis poſtea receptum, claris victorijs aduerſus nos partis celebris, celeberrimus verò capto Guidone Luſignano Cypri Inſulæ rege, & alijs nõ paucis principibus Chriſtianis, quos omnes apud ſe humaniſsimè habuit, faciléque poſtea dimiſit. Sed eſt illud eius facinus non minus memorabile: quòd recepta arce per biennium à ſe obſeſſa, quam Chriſtiani milites tuerentur, qui coacti fame illam reſtituere, eos omnes ſumma humanitate excepit, vxoréſque ſingulis ſuas tribuit, ſuáque pecunia multas ex ijs captiuas redemit, magnóque auri pondere eos donauit, incolumeſque domum dimiſit. Tantam in illo virtutem admiratus, neſciàs quibus laudibus nõ inſignem principem hunc laudes,

De Florentino populo.

HABEBIT & ſuam laudem Hetruria, eiuſque caput Florentia, ſi exemplum in primis iuſtitiæ, ab ea cultæ, quod patrum noſtrorum memoria accidit, meminerimus ſæpe. Siquidem quum Pac-

cia familia ciuitatis primaria infeſta in primis Mediceæ eſſet, conſilium id inierat, vt Iulianum & Laurentium fratres, vel in templo diuæ Reparatæ, interimerent. Quod quum tandem confeciſſent, Iuliano interfecto, Laurentio non leuiter vulnerato, ciuitas ipſa adeò indoluit, vt coniuratos quoſcunque potuit graui pœna affectos ſtatim ſuſtulerit: Iacobúmq; Paccium, Piſanúmque Archiepiſcopum ſuſpendio affecerit, reliquámque omnem Pacciam familiam perpetuò exilio damnarit. Vt ſanè mirandum ſit, aut Paccios tandiu in ea coniuratione perſeueraſſe, aut nihil vnquam Iulianum, Laurentiúmque fratres reſciuiſſe, quum res multis mortalibus credita foret

De fide publica. Caput. VI.

NON erit certè multum in iuſtitiæ cultu, niſi fides ipſa cum priuatatum publica iuſtitiam ipſam fuerit cõplexa. Meritò igitur ipſi fidei ſuus ſtatim dabitur locus, qua vna ſocietas hominũ vel ſola cõtineatur, vt ſi in infidũ, ac perfidum incideris ꝓ certo ſcias nihil tibi vnquam rectè ceſſurũ. Adeſte igitur huc Veneti, atq; ea fidei exempla prodite, quæ exhortari reliquos mortales

facilè poſsint,ad eam retinendam ſummo ſtudio ſemper eſſe contendendum.

De Dominico Michaële duce.

OBSIDEBATVR terra,maríque Ioppe Syriæ vrbs,magna contentione,in continentíque,præerant Galloru͂ Duces,Hieroſolymitanúſque Varimundus Pontifex: Veneti verò Dominico Michaële Duce ſuo,omni opera mari adnitebantur, vt eam expugnarent. Verùm quum Galli trepidi in caſtris agerent, quod cum ingenti exercitu nunciaretur Sultanum Ægyptiu͂ adfuturum:tum verò multitudo palam voces in caſtris iactare cępit,eſſe ſibi inde abeundum, ſoluendámque obſidionem,qua͂do ipſi ſoli grauiſsimo diſcrimini obijcerentur:Venetos enim facilè inde in pacatum abituros,quibus mare ad fugam pateret. Id quod quum Michaëli duci annunciatum eſſet, tametſi primò commotus animo, mox tamen ſolertius cogitans,conſilium id inijt, vt nauium remi omnes in Gallorum caſtra deferrentur(non deſunt tamen, qui reuulſas trabes ex ſingulis nauibus prodant) Id quod Varimundus aſpiciens,& reliqui duces,maximoperè ſunt admirati. Ad quos co͂uerſus dux ipſe. Au-

diui, inquit, frequenter, penès vos iactatũ eſſe, Venetos vbi hoſtes aduentaſſent à cõtinenti ſtatim obſidionem ſoluturos ſine vllo periculo: ne igitur de fide noſtra, & cõſtantia in poſterum aliquid vereamini, quum ad vos hæc fugæ inſtrumenta ſint à me delata. Agite igitur, vt decet viros fortes, & poſthac Venetam fidem prædicate. Quo dicto exclamantibus cunctis, Venetóſque ſummis laudibus extollentibus, intrepidè cuncti ad obſidendam vrbem rediere. Quæ non ſolùm à noſtris capta, expugnatâque eſt, ſed & quanta ſemper ab initio Venetorum fides eſſet, memorabili declarauit exemplo.

De Senatu Veneto.

ACCEPERAT Franciſcus Sfortia, à Philippo Mediolanenſium duce Blancam eius filiam vxorẽ, haud ſanè legitimo thoro natam. Cremonámque vrbem, Cremonenſémque agrum omnem in dotem acceperat. Igitur celebratis nuptijs profecturus in Vmbriam, atq; Hetruriam cum exercitu, Cremonam ipſam Venetæ fidei cõmendauit. Illi verò perlibẽter curam eam ſuſcepere: nec dubitarunt bellum etiam cum Philippo gerere, qui iniquiſsimo fe-

rebat animo, ſe ſocerum à genero ſuo contemptum eſſe, Venetóſque ipſos intra ſuos etiã fines ſibi eſſe celebri tutela prępoſitos.

De eodem Senatu.

GESSERANT Veneti diuturnum graueque cum Genuenſibus bellum in Græcia. Cæterum pace tandem inita, ídq; Allobrogum ducis opera, ita tamen, vt Veneti ipſi præſidium ex Tenedi arce reuocarent, eámq; Inſulam omnino liberam relinquerent, qua in re datæ fidei memor Venetus Senatus, quàmprimum iuſsit Ioannẽ Mutatium arcis præfectum inde cum omni præſidio Venetias redire, quod quũ obſtinatus ille minimè feciſſet, & Genuenſes ipſi Venetam fidem in dubium vocarent, Florentinóſque pro hac re fideiuſſores appellarent: non dubitauit ſenatus Venetus, validam claſſem inſtruere Fantino Georgio duce, qui omni opera ac ſtudio pulſo inde Mutatio arcem eam euerteret, integrámq; inſulã eam Græcis reſtitueret. Cuius præcepti memor Fãtinus Georgius, nõ prius inde cum claſſe diſceſsit, quàm dura obſidione plurium menſium ad deditionem Mutatium ipſum premente etiam fame, compulerit. Quæ res, & Genuenſi-

buſ ipſis, & reliquis omnibus memorabile fidei Venetæ exemplum eſſe poſſet.

De eadem ciuitate.

SED quænam ſeruatæ fidei à Venetis exempla ſingularia iam referam? Quum paſsim inter Chriſtianos principes, eiſque ſubditos vulgatum planè eſſet, quicquid apud eos non facilè ſolui poſſet ſeu publicè, ſiue priuatim, id ſtatim communi conſenſu remiſſum eſſe Venetias, vt bonorum Venetorum iudicio (ſic enim appellabãt) diſſolueretur. Huius rei innumera ſubijceremus monimenta. Iam verò quid dicam principum virorum ac fœminarum teſtamenta penes Diui Marci procuratores hodie extare, quibus illi ſupremas voluntates ſuas commendarint. Sed & illud nunquàm ſiluerim, in hodiernum vſque diem à regina Daciæ, quæ Barrum in Apulia præclarum oppidum dotis nomine poſſideat, ingentem pecuniæ vim Venetias tranſmitti voluit, quæ à ſacris viris patritiiſque diligentius aſſeruetur.

De Procuratoribus Diui Marci.

EXTANT hodie Diui Marci Procura-

tores, ſupremæ dignitatis penes Rempub. Venetam:qui ferè duces,vbi cõtigerit principem ipſum diem ſuum obire, declarari ſoleant.Horum autem præcipuum eſt munus,vt ciuium teſtaméta ſumma fide tueantur,ac colant, exequendáque in primis curent, quæ teſtamentis ſuis ãdſcribenda vita functi mãdarint. Quorum fides tantum breui eluxit, vt etiam apud exteras gentes plerique principes viri (quod diximus) & fœminæ tutores eos eſſe iuſſerint . Quare & Scalanæ viridis, quæ hoc nomine ſic dicta ſit, extat hodie celebre teſtamẽtum penes ipſos, Luchini vicecomitis , & Luciæ eiuſdem filiæ,& Dominici Malateſtæ Ariminenſis principis.

De Viride Scalana.

NON poſſum huic fœminæ, è Scaligerorum illuſtri familia ortæ non lubens teſtimonium ſummæ in Venetum nomen fidei,& beneuolẽtiæ perhibere.Quæ quum ſupremum vitæ diem obiret, non parentis in ſe voluntatem,non mariti principis erga ſe amorem ſecuta, procuratoriam fidẽ, & Veneti nominis autoritatem & patri & marito præpoſuit. Siquidem teſtamenti tabulis immenſam auri vim procuratoribus

ipſis annumerari iuſsit, quæ ſingulis annis pauperibus ab his diſtribuenda eſſet; id quod hodie quoque ab eiſdem ſumma fide ſeruetur.

De Luchino, Lucia, & vicecomitibus.

FVIT Lucia Mediolanenſis principis filia, quæ Angliæ regis filio nuptui data ſit. Hæc verò moriens, teſtamenti ſui tabulas ita conſcripſit, vt ab ipſa Britannia multũ auri, & argenti mittendum Venetias curarit, quod ſingulis annis Diui Marci procuratorum fide, præcipuè certis locis à ſe deſcriptis, diſtribueretur. Id quod, & Luchinus vicecomes, & ipſe ſupremis ſuis tabulis iuſſerit. Extant teſtamenta penes nos vtriuſque, libríque ſinguli, quibus iam tot annos conſtet diſtributæ pecuniæ, prout ipſi voluerant ſumma cura, & ſtudio.

De Dominico Malateſta Ariminenſi principe.

ERIS & tu Dominice princeps fidei Venetæ teſtis vel maximus, qui ſupremis tuis tabulis, non paruam fundorum & agrorum manum Diui Marci procuratoribus teſtamento moriens legaris, ex quibus di-

uenditis, quicquid pecuniæ cogi poſſet, (quæ ſanè immenſa fuit,) id totum partim ſacris viris, qui litatorium ſacrum obirent: partim reliquæ egentium turbæ numerarétur. Id quod procuratores ipſi prę-cipua pietate, & fide quoad per Pontificē Iulium licuit præſtitere.

EXTERNA.

De Genuenſibus.

HABEBIT hoc in loco Genua ciuitas ſuum ſeruatę præcipuæ fidei locum, quæ varijs diu iactata caſibus, diſcordiíſque, & inteſtinis bellis diu laborarit, naualibúſq; tamen clara rebus, à multis etiam principibus ſummo ſtudio expetita, non dubitauit tamen in Carolum Neapolitanum regem, infeſtiſsimum ſibi hoſtem memorabile ſeruatæ fidei exemplum poſteris præbere. Nam inuitatus Carolus à Guelfa factione, quę tunc in patrię exilio agebat, vt in Genuenſes bellum moueret, qui tum illi fœdere iuncti erant, arma ſtatim ſumeret, quinetiam vt grauiore iactura Genuenſes afficeret: regio edicto iuſsit, vt quicunque Genuenſis intra regnorum ſuorum fines inueniretur, quamprimum bo-

na eius omnia diriperentur, publicóque carceri includeretur. Quod tametſi Genuenſis populus præter omnem ſpem ſuã, ſit paſſus; vt tamen icti fœderis cum rege obliti non eſſe viderētur, fidémque ſemel datam retinerent, promulgari vbique iuſſerunt, omnes qui ſub regis imperio forēt, qui intra fines ſuos vbicunque terrarum agerent, per quadraginta dies ſaluos incolumésque futuros, quo temporis ſpatio ſe, & ſua ſeruare tutò poſſent.

De Gregorio Pontifice, & populo Romano.

MAGNI refert ad pietatem ipſam, cultúmque vitæ omnem rectè obtinendum, quem pontificem populus aliquis ſortiatur. Id quod exemplo hoc Romani populi facilè comprobetur, qui Gregorium pontificem virum ſanctiſsimum ſecutus, datam ſemel fidem conſtãtiſsimè retinuit. Nam & Tranſemundum ad ſe confugientem perbenignè recepit, & Luithprandum ipſum, cum magnis copijs aduentantem, Romámque ipſam acerrimè oppugnantē forti animo ſtuduit, donec pace inter eos inita, Trãſemundus incolumis ſaluúſque intra imperij ſui fines rediret. Vt

certè hoc ipſum laudare vehementius in Romano populo poſsis, qui in tam graui diſcrimine, datam Tranſemundo ſemel fidem, tam ſæua tempeſtate ſeruare maluerit.

De Saladino Maurorum rege.

SALADINVS Maurorũ rex, qui Hieroſolymitanum regnum Chriſtiano nomini tandem vniuerſum abſtulit, multiſ animi dotibus excelluit. Id quod ſcriptores fermè omnes noſtri teſtari ſtuduerunt. In hoc verò principe fides maxima excelluit: quippe qui quum munitiſsimum caſtellum à Chriſtiano homine eius præſide recepiſſet, qui diu ab eo obſeſſus, multáque pericula paſſus, tandémque ingenti fame coactus deditionem fecerit, ea conditione accepit, vt ipſe cum ſuis omnibus inde abiret. Saladinus ipſe ſic amplexus eũ eſt, ſic vniuerſos etiam fouit, (tametſi ſciret neceſsitate coactum eſſe,) vt non ſolũ incolumem cum reliquis omnibus eſſe voluerit, ſed & caſtelli præfectum inter familiares aſciuerit, cúmque ſemper inter præcipuos amicos habuerit. Quinetiam abiurare Chriſtianæ fidei ſacramenta nolentem, magnis tamen præmijs, & ampliſ-

ſimis ornatum muneribus dimiſerit, ad ſuóſque redire ſit paſſus, cum ijs omnibus qui ſalui euaſerant.

De Brixianorum fide in Venetos.

DIGNA eſt Brixia Ciſalpinæ Galliæ vrbs præcipua, quæ ſeruatæ fidei nomine multum laudis, & gloriæ præter cæteras dotes mereatur. Nam quum à Philippo Mediolanenſi principe diutius obſideretur, fameq́ue, & peſte intus etiam laboraretur, prætore Franciſcò Barbaro, & præfecto Chriſtophoro Donato, conſtantiſsimè ſeſe & vrbem tuentibus: tantum abfuit, vt de vrbe dedenda Brixienſes ipſi vnquàm cogitarint, vt omnibus obſeſsi malis vrbẽ tamen tutati ſint, donec Catta Melita imperator cum ſumma rerum omnium difficultate, obſidionẽ ſoluerit. Viſitur, adhuc in aurea diui Marci æde oblatũ vexillum à Brixienſibus, tantæ fidei teſtimonium.

De Almenone Arabe Tolletano rege.

INCLVSERAT Sancius Rex Hiſpanus Alphonſum fratrem cœnobio, monaſticamq́ue vitam eum ſequi iuſſerat, vti ſolus, mortuo patre, regnis Hiſpaniæ poti-

retur, eúmque cuſtodiri diligentius iuſſerat, ne fortè inde effugeret. Cæterum quũ tandem Alphonſus inde clam abſugiſſet, ſeſéque fidei Almenonis Maurorum regis Tolletaníque principis recepiſſet, tantum abfuit, vt Chriſtianum hominem reiecerit, regia ſtirpe iuuenem, vt eum ſit imprimis amplexus, illúmque præcipuo amore ſemper ſit proſecutus. Et cum non multò poſt Sancius ipſe rex ſine liberis deceſsiſſet, peterétque Alphonſus ab Almenone, vt paterna, fraternáque regna reciperet, illum benigniſsimè miſſum fecit: tametſi amici familiaréſque omnes Almenonis diſſuaderent, admonentes eum, vt totius Hiſpaniæ Mauri quàm facillimè potirentur imperio, quando nullus ſupereſſet hæres & timeri præcipuè poſſet, ne Alphonſus ipſe receptis regnis, Mauros omnes expellere ex Hiſpania contenderet. Cæterum datæ fidei memor, eum ita dimiſit, vti Tolleto perpetuo abſtineret, páxq; perpetuò inter vtrunque foret. Id quod ab vtroque ſeruatum eſſe conſtantiſsimè prodatur.

De vxorum fide erga maritos.

Cap. VII.

De Franciſci Foſcari ducis clariſsimi vxore.

DVXERAT Franciſcus Foſcarus dux vxorem ſecundo loco, priore mortua, ex Nana familia, cum qua diu dux vixit, & ex qua ſobolem quoque ſuſcepit. Verùm abrogato illi principatu, publico patrum decreto (qua de re antea diximus) ſatis cõſtat, in Foſcareas ædes reuerſum illum intra triduum diem ſuum obijſſe. Quem quum patres publico funere efferri vellẽt, ad Minoritanum templum, ipſa vxor nũquam adduci potuit, vt factum hoc probaret, ſibi eſſe dicens & opes, & voluntatem optimam erga maritum, vt idipſum præſtaret. Cæterum quum patres ipſi conſtanter in propoſito eſſent, mináſque illi graues intenderent, niſi illa cadauer exhiberet, nũquam flecti valuit, vt ab eo diſcederet. Cúmque exclamaret ſeſe graui admodum à patribus atque Rep. iniuria affici, quòd viro ſuo, tã bene de patria ipſa merito, iuſta ſoluere ſibi vni non liceret, tandem per vim domi incluſa eſt, extractúmque cadauer, ſumma pompa patres efferendum curarunt. Quo facto, triſtis illa ſemper, & vehementius in dies

plorans, nunquam quoad vixit, quieuit: indignabunda ſemper, viuentem illum, & ſentientem, tam graui iniuria affectum, nec mortuum tamen ſine publica nota ſepultum.

EXTERNA.

De Sarra vxore Abrahæ.

REVOCANT nos ad ſe in hac ipſa veterum vxorum fide repetẽda ſacræ literæ, reuocãtque ita vt Sarræ Abrahami vxori princeps tribuatur meritò locus. Quum enim illa maritum iam ſeneſcentem, ſeſéque grauem annis aſpiceret, non dubitauit marito Abrahamo perſuadere, vt Agari ancillæ domeſticæ, & adoleſcentulæ adiũgeretur, ex qua facilius illi ſoboles parare poſſet. Quod etiam facilimè contigit, Nã grauida facta Hiſmaëlem filium habuit, quem cum matre lubens voléſque ſummo amore proſecuta eſt, virum Abrahamũ ſuum in vtroque ſemper reſpiciens.

De Liuia Augusti vxore.

NVLLVM ſanè exemplum ſeruatæ erga maritos pietatis inuenies par Liuiæ Auguſtæ, quæ à marito tranſiens in Auguſti Cæſaris poteſtatem, (quando illam

vxorem acceperat) ita illi indulſit, vt ipſamet puellas adhuc teneriores, quibus impenſius oblectabatur Auguſtus, deduceret. Non minus Auguſtum ipſum conſtantiſsimè ſemper ad ſupremum vſque diem amarit, vt meritò priuignum Tyberium ſuum plurimum interdum dilexerit, illúmque imperij ſucceſſorem habuerit. Illud nos interim Liuiæ exéplum admoneat, quod conſtanti omnium ſcriptorum fide memoriæ proditum eſt, in triumuirali videlicet proſcriptione, vxorum erga maritos fidem omnium ſemper fuiſſe, libertorum mediocrem, ſeruorum quàm pauciſſimam, filiorum verò in parentes, nullam omnino extitiſſe.

De Octauia. M. Antonij triumuiri vxore, eiuſdem Auguſti ſorore.

FVERVNT in Octauia Auguſti principis ſorore, præclarę inſignéſq; animi laudes. Quæ nupta Marco Antonio triumuiro, quũ ſub belli ciuilis initia Romam ad fratrem ab ipſo marito remiſſa foret, conſtanti in eum fide ſemper extitit, nec reuocari vnquã fratris autoritate potuit, vt Antonij penates deſereret. Quinetiam Antonium ad Cleopatram confugientem,

ſemper eſt aſſecuta: vt non deſineret tamē interim eum monere, ne ciuile bellum tanto ſtudio gereret, néve patriæ excidium pararet.

De Giberti Corrigienſis vxore.

NVNQVAM mihi tantopere veterum illuſtrium fœminarum fidei in maritos probabuntur exempla, vt ſi patrum noſtrorū ætas inſigne aliquod exemplum rei tam præclaræ habuerit, ipſum illud huc non transferam. Quis igitur ignoret Giberti Corrigienſis nomen? Quis non eius vxoris fidem erga illum ſummopere admiretur, dignámque ſuprema laude non lubentiſsimè legat? Hæc enim ipſa Roſei Rolandi ſoror, quum maritum ſuum Gibertum Parma per factionem pulſum ſciret, nunquam tamen fratris Rolandi precibus adduci potuit, vt maritum deſereret. Quin potius nudis pedibus, paſſóque capillo neſciente fratre, ad eum extra vrbem confugit. Quem complexa adhortari non deſtitit, vt forti animo eſſet, nec fratrem ſuum reſpiceret, ſe enim eo animo ad eum confugiſſe, neque ab illo vel veſtigio vnquam diſceſſuram, quæcunque illi fortuna immineret.

De mutatione morum & fortunæ. Cap. VII.

MIRABITVR fortaſſe aliquis, quòd de ſeruorum in dominos fide nulla à me mentio quando Valerij Maximi veſtigia præcipuè ſequor, hac in parte fiat. Sed ille mihi aut veniam lubens conceſſerit, aut re ipſa melius expẽſa conſilium meum probauerit: quũ animaduertet ſeruorum Venetis ipſis nullum vnquam vſum extitiſſe. Trãſibimus igitur ad eos, qui in Rep. floruere viri, qui tamen morũ mutatione magnã ſui poſteris admirationẽ reliquerint.

De Petro Candiano Duce quarto.

ERAT is iam quartus in ea familia princeps, & viuentis iudicio patris, & totius ciuitatis aſſenſu, propter egregiam adoleſcentis indolem, in tantam dignitatem aſcitus. Qui tamen non multo poſt mutatis moribus, & fortuna, tantum ſibi conflauerit odium, & patris, & totius ciuitatis, vt non multo poſt, in exilium ſit miſſus, huic decreto fauente etiam patre. Cæterũ eo non multo poſt mortuo, reuocatus ab exilio vniuerſo populo id ipſum

exigente, iterum Reip. præfuit magna eorum lætitia, qui eius adoleſcentiæ annos meminerant. Nec verò ille opinionem ciuitatis fallebat, tãta erat illius erga Remp. & reliquos ciues moderatio, atque comitas. Cæterum bis vertente anno, mutato planè ingenio, primùm vxorem legitimã, & filium ex ea ſuſceptum dimiſit, & Valdradam Guidonis Italici principis filiam, paternis bonis ſuccinctam ſibi iunxit, quæ in paterna aula genita, diúque verſata maiores quoſdã ſpiritus marito tacitè ita ſubſtituit, vt iam ille tyrannus non princeps haberi poſſet. Quum igitur omnes veterum principum bonitatem, & prudentiam in eo deſiderarent, tandem ita euenit, vt totius ciuitatis conſpiratione iure optimo ſit oppreſſus, petitúſque primùm incendio, dum cum paruulo filio tantum diſcrimen euadere tentat (quod ipſe ſibi perſuaſerat) per auerſam à tumultu partem fugiens, in infeſtiorem multo turbam incidit, quæ nullis eius precibus flexa, & ipſum, & infantem ſuſtulit eiúſque cadauer in macellum exportauit, quod canibus eſca foret. Quamuis Ioannis Gradonici opera in diui Hylarij ædem clàm ſit poſtea delatum.

De Boëmundo Teupulo.

NEMO ſuis vnquam aut opibus, aut gratiæ, aut authoritati tantùm tribuat vendicétque, vt ſibi perſuadere poſsit, vt ſi de ipſa patria male meritus fuerit, id illi conſilium benè vnquàm, fælicitérque ſit ceſſurum. Legant hi ſacrarum literarum volumina, legant Grecorum res geſtas, euoluãt Romanę ciuitatis monimenta, ſuorũ quiſque temporum memoriam repetat neminem certè inuenerit tãti facinoris ſibi cõſcium, non grauiſsimas acerbiſsimáſque perſoluiſſe pœnas. Id quod tibi quoque Boëmonde in mẽtem venire debuerat, qui clariſsima familia natus, patre quoq; duce genitus, atque ab adoleſcẽtia tua patriæ charus, nũquam certè tanto ſcelere inquinare te debueras, niſi fortè Sarmatici ſanguinis mater, notam hanc hęreditariam tibi reliquerit. In hoc igitur vno homine fortunam mutatã, mutatóſque mores priſtinos facilè videas, qui in patriæ libertatẽ penitus tollendam conſpirarit, eo animo, vt duce patribúſque interfectis, ipſe ſibi tyranidem aſtrueret, cum aliquot nobilibus, qui tantam eius amentiam, & inſaniam ſecuti ſint. Dedit igitur meritò pœ-

nas, dederunt & reliqui tanti furoris comites, quando alijs aut ſubitò ſecuri percuſsis, aut in exilium miſsis, ipſe quoque Boëmundus exularit, donec meritò ſit ab externis hominibus interfectus. Celebris eſt adhuc Venetiis tã nefandi ſceleris memoria, multis patrũ indicijs, vel quod primùm inuiſitur à principe patribúſque, & ab vniuerſa ciuitate diui Viti templum, vel quòd ipſius Boëmundi ædes, quæ in Riualtina ſede poſitę erant, in publicum macellum ſint conuerſæ, in hunc vſque diem: vel quòd decemvirale conſilium, à quo publicæ dignitatis & libertatis faſtigium pẽderet, tum primùm inſtitutum ſit: cautúmque etiam ne in centum annos vni familiæ, quæ cum ipſo Boëmundo conſpirarat præcipuè, aditus ad decemvirale eſſet, vel denique, quòd familiæ ipſius inſigne ſit penitus immutatum, hoc etiam decreto addito, vt nemo Venetiis, aut in albo, aut quouis, alio loco nomen ipſius Boëmundi retineret.

De Marino Faletro Duce.

CVI vnquam perſuaſum eſſe poterit, Marinum Faletrum ducem ex clariſsima familia natum, Reipub. quæ ipſi lõgè gra-

tiſsima,quem ſibi maximis honoribus ornandũ vniuerſa patria delegerat vt eũ oratorẽ Venetũ apud Pont. agentẽ ducẽ ſibi in locũ celeberrimi nominis Andreę Danduli ducis creandum non dubitarit.Et tamen ille,quum omnem ætatem cum ſumma laude tranſegiſſet,declaratus princeps, non dubitauit in patriæ libertatem conſpirare,ídque ipſum haud ſanè iuſta cauſa. Quare illi meritò publicè abſciſſa eſt ceruix, & in maiori comitio, locus inter duces datus illi non eſt.

De Michaële Steno, qui poſtea fuit dux.

FVIT in hoc adoleſcente vita aliquãto liberior,atque in luxum,& nimiam libertatem propẽſior:ſed mox mutatis moribus & fortuna cum ipſa iuuentute, ita nimiam licentiam caſtigauit,vt ſummis honoribus, grandi iam ætate functus,Verona, & Patauio Veneto imperio adiectis, maritimíſque etiam rebus auctis,principatu ſuo tertiumdecimũ poſt annum ita functus eſt,vt Antonij Venerij ducis in eo iuſtitiam non deſiderares,nec Thomæ Mocenici prudentiam,ac bonitatem,quẽ pręceſsit requireres.

EXTERNA.

De Auguſto cæſare.

POTERVNT ij, qui noſtratia hæc aliquando legerint, ex hoc vno perſpicere, quantũ valeat, quámque varia ſit hęc morum naturæq́ue vis, in hac ipſa vitæ parte. Nemo enim neſcit ipſum Octauium, qui poſtea, iure optimo Auguſtus eſt dictus, à primis adoleſcentiæ annis, poſtquàm ab Apollonia, interfecto Cæſare redijt, bellis ciuilibus per viginti annos crudeliſsimè eſſe verſatum, non illum pietas in Patriam, non ſenatus, nõ populi Romani autoritas continere potuit, nullæ illum leges, nulla iura tam ſãncta, nulla hominum in ſe ſe merita, nulla religio inhibere potuit, quominus ſæuiſsimus, maximéq; immanis haberetur. Omitto nunc D. Bruti Coſ. inſectationem, omitto Hyrcium, & Pãſam Coſs. pari fato cęſos, Antonium in fugam conuerſum, non peſsimè de ſe meritum. Quis triumuiratum eius, cum M. Lepido eodémque Antonio ictum non in primis hoc nomine execretur? quòd centum & quadraginta Senatorum proſcriptionem ſceleſtiſsimam fieri paſſus eſt? & in hac vnum Ciceronẽ optimè de ſe meritum,

tum, vel vt verius dicam alterum parentem adſcribi non dubitarit? Sed quonam loco Philippenſem aciem, aut Sex. Pompeium in Cilicia, aut M. Antonium ad Actium promontorium, repoſuero? in quẽ mouens, quum in Aſinium Pollionem incidiſſet Brunduſij, adhortaretúrq; vt ſecum aduerſus Antonium pugnare vellet, planè ita reſpondit Aſinius, maiora eſſe Antonij in ſeſe beneficia, quàm vt eum pro hoſte habere poſſet, interea daret Auguſtus ſibi ocium, ne ingratiſsimi hominis ſubiret nomen. Cæterum finitis poſtmodum bellis ciuilibus, atendamus quæſo, quanta in illa morum ſecuta ſit mutatio. Sepulta etiam externa, reuocata vndique pax, ſopitus vbique armorum furor, reſtituta vis legibus, iudicijs autoritas, ſenatui maieſtas, imperium magiſtratuum ad priſtinum redactum modũ, priſca illa & antiqua reipub. forma reuocata, redijt cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa cuique rerum ſuarum poſſeſsio, leges emendatæ vtiliter, latæ ſalubriter, ſenatus ſine aſperitate, nec ſine ſeueritate lectus, principes viri triumphis, & ampliſsimis honoribus functi, hortatu principis ad ornandam vrbem delecti ſunt, conſulatus

ſupra vndenos nullus vnquã illi placuit, domini nomen ne à familiaribus quidem audire vnquam potuit, nec dictaturam oblatã ſibi à populo ſæpius admittere vnquam voluit, vt vnum planè ſeſe ciuem eſſe perpetuò meminiſſet. Bella verò quęcunque aut Oriẽs, aut Septentrio in Germaniis mouiſſent, nec non Hiſpanias pręſens interdum ipſe ſic ſedauit, vt quæ per ducentos, & amplius annos Scipiones aliòſque duces Romanos fatigarũt, quæ tot conſules, tot prætores fugarant, vt iam de ſumma imperij, cum Romanis contendere viderentur, ſic pacauit, vt nulla in hominum animis feritas iam ſupereſſet.

De Diuo Paulo Apoſtolo.

NEMO planè qui Chriſtianam pietatem profitetur, diui Pauli nomen cum ipſo Petro Apoſtolorum principe, ignorat. Cuius ingenium iam à prima adoleſcentia, dum Iudaicæ ſuperſtitioni idulgeret, tam ſæuum, atròxque in Chriſtianã pietatem fuit, vt quùm Stephanus lapidibus peteretur, inter principes tanti ſceleris gaudens lætúſque adnumeraretur. Mox verò mutatis moribus, mutatóque inge-

nio, ſic de Chriſtiana pietate benemeritus vixit (vt reliqua nunc præclara eius opera taceam) vt Chriſtum ipſum ſemper in ore &corde perferret, meritóq; religionis noſtrę princeps habit⁹, Romę ſub Nerone pro Chriſto mortem obierit.

De diuo Auguſtino Aurelio, Epiſcopo Hypponenſi.

POTERANT innumera à nobis exempla huiuſce generis repeti, ſi Chriſtianos annales euoluere maluiſſem. Sed quoniam illuſtriſsima quæque proponere in animo eſt, nemini dubium, vt opinor, ſit, quin inter anteſignanos attingam principem Aurelium Auguſtinum, qui poſtea Hypponenſis etiam epiſcopus fuerit. Hic verò, Monica matre natus Chriſtiana, parentibus obſcuris, ingenio longè clariſsimo, Manichæam hęreſin quam tum à primis annis imbiberat, quam etiam acerrimè defenderat, diui Ambroſij præceptis admonitus animo neglexit, & ad verã pietatem regreſſus, ſic eam poſtea illuſtrauit, ſic tutatus eſt, adeò ornauit, vt meritò ſibi inter omnes noſtros, primum locum vendicarit. Vt enim omittam Hypponenſem,

Epiſcopatum,inuito illi demandatũ, quotuſquiſque hodie eſt,qui conferri illi iure poſsit?nã ſi tam fœlicis ingenij monimenta, tam ſibi conſtantis euoluas, neminem certè inuenias,quem ipſi Auguſtino præponas, ſiue ingenij vim, ſiue acumen, aut præſtantiam rerum ſcriptarum æſtimes. Siquidem tam vera eſt in eo pietas,talis fides,tanta eius doctrina,& eruditio, vt nemo ſit,qui vel tranſuerſum vnguẽ ab eius ſententia diſcedere auſit.

De Alphonſo ſecundo,Neapolitanorum Rege.

EXTABANT immenſa penè virorũ, ac fœminarum agmina,quæ in hoc albo referri poſſent, ſi hoc vnum in præſenti opere tantum agerem. Quapropter recentiora patrum noſtrorum exempla libentius ſequar,& vnum Alphonſum ſecundũ Neapolitanum regem attexam. Qui Alphonſo maiore natus, à ſua iuuentute paternæ omnis virtutis æmulator,reíque militari præcipuè addictus, Hydruntem à Turcis expugnatam, ſuo in primis ſtudio receperit,præclaráque alia monimenta ædiderit. Mox in omnẽ deſidiam delapſus, ſic regios omnesſpiritus bene agendi con-

tudit, vt ad primum aduentũ Caroli Francorum regis trepidiſſimus, regnum Ferdinando filio reliquerit. Nihil regnum tam præclarum à parente Alphonſo partum, nihil tot præclaros duces, quos ſecum haberet, nihil filiorum præclaram indolẽ, nihil poſteritatis memoriam veritus, in Siciliam inſulam aufugit, fracto adeò imbelliqueanimo, vt breui, diem etiam ſuum obierit.

De ſublimitate, à ſtatu humili. Cap. VIII.

ERAT ſuperius de fortunæ morúmque mutatione dictum, quod omnes perlibenter legerent, ſed non minus iucundum futurum legentibus arbitror, quod in manibus noſtris in præſentia eſt. Perpulchrum enim erit & hoc ipſum legere, vt intelligant omnes virtutem ipſam, verámq; laudem, bonorum omnium cauſam, ſi quis rectè appeteret, cuiuis ordini eſſe poſſe. Sumemus autem auſpiciũ à Liguſtico bello, quod à maioribus noſtris ad Clodiam geſtum eſt, primúmque locum vendicauerit ſibi Raphaël Carcſinus: qui Scribarum per eam ætatem princeps (quem magnum appellãt hodie cancellarium) humili ſanè

loco,plebeióque natus,propter eius egregiam virtutem, ſtudiúmque patribus impenſum, in patriciorum ordinem meritò eſt aſcitus,cum ſuis hæredibus, ſiqui legitimo loco nati editi forent.

De Iacobo Caballo Veronenſi.

SI QVIS diligentius Venetos annales euoluerit,ille verò ſecum maximè lętabitur,quòd animaduertet neminem vnquam de Veneto Senatu benemeritum ab eo ordine fuiſſe neglectum. Semper enim in optimè meritos deſe dux ipſe ſenatúſque omnis,vti pares gratias referret adnixus eſt. Idquod facilè hoc quod ſubiiciam exemplo comprobabitur.Fuit igitur Iacobus de Caballis patria Veronéſis,Clodienſi bello tanta támque præclara virtus eius in Rempublicā Venetam,tantum bene de ea merendi ſtudium,vt perfecto bello,quum domum redijſſet,princeps patréſque ipſi illum propter egregia merita,hæredéſque eius,in patritium ordinem aſciſcēdos curarint:hoc etiam, quod neſcio an vlli alij contigerit addito,vt ipſe liberíque omnes, perpetuò,vectigalibus omnibus pro rebus fortuniſque ſuis eſſent immunes.

De Bartholomæo Coleoneo.

SED quis vnquam poterit obliuiſci, vel potius non libẽter meminiſſe Bartholomęi Coleonei Bergomatis? Qui ſua virtute militaríque ſciẽtia, ac fœlicitate, tantum apud Venetos valuit, vt illum gratiſſimi patres patritio donarint ordine: ſempérque propter egregiã eius fidem in magno precio habuerint. Quare ille teſtamento condito,& gratum ſe,ac memorem Veneti nominis oſtẽdit,& ipſe dux, ac Senatus,quo tantæ virtutis monimentũ perpetuum foret,in Gemellorũ æde marmoreum ſepulchrum,& ſtatuam illi equeſtrẽ in eadem Gemellorum area, (quæ hodiæ quoque viſitur) erexit.

De Narſete Eunucho.

FREQVENS fuit in Oriẽte penes Parthos,& Perſas Eunuchorum vſus: qui primùm ad fœmineam ſobolem tuẽdam,domeſticóſque parietes ab omni impudicitiæ labe ſeruandos haberentur. Mox, ij quodam fato ſuo ad maiora ita contendere,vt omnibus priuatis publicíſque negotiis,ſemper præeſſent: quin etiam gerendis grauiſsimis bellis,ampliſsimíſque prouinciis præficerentur. Quod hominum genus

ad noſtros etiam tranſlatum, magnis rebus non ſine magna ſua cum laude interfuere. Quare Narſetem minimè mirandum eſt, ab Iuſtiniano principe in Italiam miſſum, qui incredibili fœlicitate, ſummáq; virtute Gothicum nomen vniuerſa Italia expulit, clariſsimíque Imperatoris nomen ſibi vendicauit. Vtinã verò Imperatoris vxor modeſtius ad eum ex Byſantio ſcribens, quum Neapoli ageret, non iuſsiſſet illum ad texendam telam, ducendámque lanam reuerti, ne obliuiſceretur veterum Eunuchorum inſtituti. Quæ vox inflammauit adeò incẽdítque Narſetis animum, vt iam de vocandis in Italiam Longobardis conſilium inierit: affirmãs ſe iam telam texturum, cuius finem illa nũquam explicaret.

De Eugenio Tyranno.

NIHIL humilius, aut ſordidius fuit hoc ipſo Eugenio: quippe qui primùm pueros erudierit literarum elementa, paulatim verò à Theodoſio principe delectus in eorum numero, qui à ſecretis agerẽt, varijſq; negotijs ſe immiſcens, tandem ad tyrannidem ineundam animum adiecit. Quod ſi occaſio fortunáq; melior illi aſpiraſſet, haud dubium erat, illum diutius imperio

potiturum.

De Franciſco Carmaniola.

IN nullo fortuna magis luſiſſe videri poteſt, quàm in hoc ipſo Franciſco, quem paſsim omnes Carmaniolam ab oppido, in quo genitus eſt apud Allobrogas, nuncupabant. Natus igitur ruſticanis parẽtibus, militiam mox ſecutus, ſic breuì enituit penes Philippum Mediolani principẽ, vt non dubitaret Philippus ſummam rerũ illi tradere. Cuius ductu maximas & amplißimas victorias ex diuerſis hoſtibus, ſit adeptus, Mediolanenſéque imperium auxerit. Verùm non multo poſt, mutata Carmaniolæ ſors eſt: ſiquidem inuidia in illũ graui exorta, Philippus ita illum odiſſe cœpit, vt ille coactus relicta Mediolani vxore, rebúſque omnibus ſuis neglectis, vix ad Venetos transfugerit. A quibus benignè exceptus, Imperatórque copiarum ab eiſdem dictus, præclarã victoriam ad Maclodium fuſo profligatóque Philippi exercitu, ſuperatíſque præclaris eius ducibus primùm ſit cõſecutus, Brixia, Bergamóq;, opulẽtis Ciſalpinæ Galliæ ciuitatibus, Veneto nomini additis. Neque verò non ſic confirmatis Venetorum rebus, vt inter cla

riſsimos ſuæ ætatis duces haberetur. Cæterũ malo quodam ſuo fato, quum ad Philippũ inclinari cœpiſſet eius animus, proditionis conuictus, iure optimo à Venetis ſupremo ſupplicio fuit affectus.

De Catta Melita.

NATVS hic Narniæ humilioribus etiã parentibus, qui fornacariã artem exercerent: mox militiam profeſſus inter Imperatores Italicos ſibi primas vendicauit. Venetorum autem dictus Imperator, ea fide ac fœlicitate bellũ contra Philippum Mediolani principem geſsit, vt præclaras inde victorias atque trophæa retulerit. Tandem verò à gratiſsimo ſenatu equeſtri ſtatua donatur.

De Nicolao Picinino.

GENVIT hunc Peruſia ciuitas, ſed ita genuit, vt obſcuriſsimis parẽtibus ac penè ignotis natus eſſe prodatur: qui ſub Bráchio duce militiam ſecutus, tam breui clarus, celebríſq; Imperator in terra Italia effectus eſt, vt nihil illo clarius aut celebrius diutiſsimè fuerit. Fuſi ſæpe ingentes hoſtium exercitus ab illo, Venetum nomen illi præcipuè infeſtum, ſeruatum Philippo vicecomiti planè imperium.

De Magno Sfortia, Iaco-bo Attendulo.

FLORVERE in terra Italia complures, ex quo Alberici Cunij militaris diſciplina reſtituta Italiæ eſt, (nam ſexcentos & amplius annos externo milite vſi ſumus) floruere inquam præclari, illuſtréſque duces Italici nominis: qui intermiſſam longo interuallo militiæ laudem, plenis ſuffragijs ita reſtituere, vt abeant Fabij, Camilli, & Scipiones, Marcelli, & Cæſares, quibus iuſto Marte conferri noſtrates ij recentiores facilè poſsint. Sed quis Iacobum Attẽdulum Cotoniolæ gentium Attendula familia ſatis obſcura (qui poſtea Sfortia propter inſitam ingenio vim, quæ nulli cęderet dictus eſt, vnde Sfortiadum familia poſtea nuncupata ſit, longe clariſſima) quis inquam non hunc cæteris omnibus præferat? Satis igitur conſtat hũc ab initio fortuna tenuiore æditũ, vt diximus ſtatim militia clarum celebrémq; ſuis Imratoribus extitiſſe. Nam poſtmodum & Neapolitani regni diu aſſertor fuit, quãuis interdum varia fortuna ſit vſus. Summa etiam fide, ſummáque liberalitate & reliquis virtutibus excellẽs omnibꝰ charus,

admirãdúſq; etiam hoſtibus fuit. Hic põtificiæ dignitatis vindex, Romam ipſam in libertatem aſſeruit, magnos præclaróſque duces acie ſæpe vicit, Franciſcum Sfortiam Mediolani ducem genuit, reliquorúmque liberum ſobolem præclaram reliquit. Niſi Aterni amnis vi abſorptus eſſet, dum aduerſus Bracchium properat Aquilam obſidentem, maximum, ampliſsimúmque nomẽ ſummæ virtutis, & fœlicitatis, ſuę Italiæ, ſuíſque poſteris reliquiſſet.

De Michaële Attendulo.

ECQVIS non Cotoniolæ togatæ Galliæ oppidulo non ſeſe debere plurimùm lubens, voléńſque fateatur? quum præter Sfortiam ipſum præclarámque eius ſobolem, quæ vno Franciſco Sfortia Mediolani principe glorietur, Michaëlem Attendulum quoque ædiderit? Qui præter alias res præclarè geſtas dum Florentinos, aut Romanos pontifices tuetur imperator, nouiſsimè vniuerſis copijs à Veneto Senatu præfectus, dum aduerſus Mediolanenſes in Ciſalpina Gallia bellum gereretur Philippo duce vita functo, fœliciter & ſumma fide ſanè omnibus illis præfuit, quãuis ipſe Franciſcus Sfortia Mediolanenſibus co-

pijs præeſſet. Cæterum non poſſum non prius illud adſcribere, fuiſſe ſcilicet ea tẽpeſtate viros in primis illuſtres militari gloria non paucos, quorum nomina nũc repetere non indignum duxerim. Erat in caſtris Venetis, Michaël Attendulus ipſe princeps, erant in eiſdem caſtris Ludouicus Gonzaga, Bartholomæus Coleo, qui non multo ante ad Venetos trãſierat, Gentilis Leoneſius, Tyberius Brãdolinus, Ioãnes comes Romani ſanguinis, Guido Rãgonius, Albertus Bodienſis, Cęſar Martinengus, Nicolaus Guererius, & cũ his ad duodecim equitum millia, ac vis peditum ingens, in Franciſci vero Sfortiæ Attenduli caſtris vigebant & hi, quos nominare nõ pigeat, Alexander Boſius, & Corradus fratres Rubertus Seuerinas, Franciſcus & Iacobus Piccinini, Gulielmus Monferratenſis, Carolus Gonzaga, Aloyſius Vermius, Ioannes Tolentinus, Chriſtophorus Torellus, & Bartholomæus Quartarius, Erántq; in his caſtris ſexdecim equitum millia, qui omnes obſcuro loco nati intra Italiæ fines militari virtute clari, celebréſque habebantur. Dum verò Frãciſcus ipſe Carrauagium obſideret, variaréntque ſententiæ complurium an obſidione leuandum

eſſet oppidum, Michaël ipſe auerſatus eorum ſententiam, qui nequaquam leuandá obſidionem apertè cenſerét, cum loci iniquitate, tum hoſtium numero ac robore. Tandem ex legatorum ſententia, & aliorũ ducum, poſt diturnam grauémque vtriúſque exercitus pugnã victi ſunt Veneti memorabili acie, vt tamen Michaëlem ipſum Senatus Venetus ſemper magni fecerit, eiúſque conſilio ſit vſus, donec ille ſupremum obierit diem.

De varietate caſuum. Cap. IX.

POTERAM hîc aliquot Heraclianos commemoraſſe duces, qui varijs iactati caſibus, poſteaquam principes creati fuerãt, luminibus demum partim excœcati, partim interfecti, ſupremum vitæ clauſerunt diem. Poteram non paucos Venetę ciuitatis prĩcipes fortunę telis eiuſmodi oppreſſos, ſed recentiora huiuſce rei exẽpla plus valitura reor, ne homines ſecundiore fortunæ aura, plus nimio elat , aliquando amplius de ſe ſapiant, ſibíque tribuant, quàm par ſit.

De Nicolao Piſano.

NIHIL hoc ipſo Senatore ſua ætate

clarius, nihil illuſtrius fuit: qui memorabilem victoriam naualem claſsis imperator circa Corſicam inſulam cōtra Ligures retulerat. Idem ad Cariſtum Eubœę eoſdē ſumma fœlicitatē oppreſſerat. Qui tandē non multo poſt ab iiſdem Genuenſibus circa ſapientiam (quæ non longe inſula à Methone eſt) ita oppugnatur, vt cum tota claſſe Venetus imperator opprimeretur, captiuúſque Genuam duceretur.

De Andrea Dandulo.

PRAEERAT vniuerſæ Venetæ claſsi, quæ nonaginta, & amplius triremium numerum expleret, Andreas Dādulus publicæ rei negotijs multis, cum domi, foriſq; celebris, tum naualibus prælijs non paucis dux inſignis. Tanto igitur apparatu nauium inſtructus apud Corcyram nigram Liguri hoſti congreſſus, iam victoriam in manibus habere videbatur, quum ventorū aduerſa vi iactatus, & quindecim Liguſticarum nauium occurſu improuiſo ex inſidijs oppreſſus eſt. Qua ex re iactati Veneti oppreſsíque ita ſunt, vt vniuerſa claſsis partim capta, partim merſa fuerit: ipſéque etiam Andreas ſit captus. Qui dum captiuus Genuam duceretur, patriæ ſuúmque

caſum ingemiſcens, ſpiritum tandē emiſerit, ſuo capite ſępius prætoriæ puppi illiſo.

De Victore Piſano.

QVID memorabilius hoc vno totius rei maritimæ præfecto, qui Nicolao patre natus, quū præclaras victorias ex diuerſis hoſtibus patrię peperiſſet, paternóque nomine illuſtris maximè cenſeretur (quaſi fortuna ipſa vno, eodémque loco ſemper ſtare ſciat) Lyguſtico ad Clodiam bello exardeſcēte vniuerſæ maritimæ rei præficitur, omnium votis, atque ſuffragiis. Quare in Polenſi littore cum tota claſſe quadraginta penè triremium agens, Lygurem ipſum hoſtem expectaret, & omnē euentum animo conſtantiſſimo, paratiſſimóque, ſic vel præfectorum quorūdam ignauia, vel fortunæ varietate, fatóque ſubito eſt oppreſſus, vt vniuerſam claſſem amitteret, Venetiáſque cum paucis veniens carceri includeretur. Qui mox totius populi voto expetitus, claſſi vniuerſæ præficitur, magna certáque omnium ſpe præclari alicuius facinoris, niſi illum repentinus morbus, & ex eo improuiſa mors ſuſtuliſſet.

De Nicolao Canali.

RECENTIOR

RECENTIOR adhuc memoria Nicolai Canalis, qui Turcico bello, quod cum Othomano gereretur claſsi præpoſitus: Petróque Mocenico maioribus comitijs antelatus Chalcydem inſulam diu obſeſſam acerrimè tutatus eſt. Mox neſcio quo fato quum multa tentare poſſet, negligentior redditus, eam magno cum detrimēto Reip. Venetæ & totius ferè chriſtianæ pietatis excidio amiſit. Qua ex re domum reuocatus abrogato illi imperio: carceríque īclusus, in perpetuum exilium mittitur, & ſanè fuerat iam à primis iuuentæ annis apud vniuerſos gratioſiſsimus, ita vt ſemper prematurè ampliſsimis honoribus ſit functus.

EXTERNA.

De Romano, Imperatore Conſtantinopolitano.

SVMETVR exordium à tanta principis dignitate, qui Imperatorio ſtemmate fulgēs, ab initio ſtatim cum magna ſua laude Byzātinæ rei præfect⁹, quippe qui ſumma liberalitate, & beneficentia erga omnes vteretur, non multò poſt victus à Sarracenis acie, captúſque, quum redijſſet, magna auri vi hoſtibus data, ingenium non mul-

to poſt mutauit, auaritiæ præcipuè ſtudioſus, & in omnes odij plenus. Sic igitur factũ eſt, vt Zoæ vxoris inſidijs, & Michaëlis Paphlagonis adulteri dolo, imperio vitáque miſerabiliter breui ſpatio priuaretur.

De Beliſario.

NVLLVM certè futurum exemplum, vel hac in parte, vel reliquo in opere magis memorabile reor, ſæpiúſque mortaliũ animis voluendum, quàm hoc ipſum Beliſarij, quod mox ſubiiciã. Cuius res bello præclarè geſtas ſi quis accuratius cogitet, vitæq́; finem animaduertat (cui mendicata ſtipe viuendum fuit) non poterit nõ ſtatim cohorreſcere, fortunámque ipſam credere nihil aliud eſſe, quàm incertum, variúmque rerum humanarum caſum: cui ſi quis vnquam plus æquo tribuit, ille verò maximè deceptus eſt. En igitur Beliſariũ tibi affero, qui deuictis Perſis vltráque Euphratis ripam deiectis, non multò poſt in Aphricam à Iuſtiniano miſſus, Vandalos omnes ex ea terrarum parte eiecit, Gilimerémque eorum regem cœpit, déque eo poſtmodum triumphauit. Hinc in Italiam ab eodem principe miſſus, Gothicum om-

ne nomen contudit, Romam libertate donauit, de Vitigine Gothorum rege apud Rauennam capto, Gothíſque ipſis omni Italia pulſis triumphauit, omnibúſque in prouincijs maximè inſignis ſemper extitit. Et ecce fortunæ (ſi qua eſt) vim ſubitam víxque credibilem. Nam captus oculis, in Sophiæ templo panem mendicare quotidie coactus eſt: frequenter hac voce vſus: Panem Beliſario dato, quem nũquam virtus, ſed fortuna deſeruit.

De Othone ſecundo Imperatore.

SEQVETVR Beliſarium ipſum Otho ſecundus Imperator Germanici ſanguinis vir, certe felicioris fortunæ, ſed vario rerũ euentu ſępe exagitatus. Hic igitur delectus à Germanis Imperator in patris locum, quũ multa bello præclara geſsiſſet in Italiam deſcendens, dum Calabriam recipere ſtudet, ab ipſis Gręcis acie vincitur, profligatúſque ſcapham inſcendens, (quę littori proximè aderat,) à pyratis, incognitus capitur. Ab his tamen magna vi auri redemptus, Romámque reuerſus, ibi nõ multo poſt moritur, præclaro monumento in diui Petri æde extructo.

De Radagaſio Gothorum rege.

NVNQVAM omiſerim Radagaſi Gothorum regis hac in parte caſum, maximè memorabilem, qui cum ducentis Gothorum milibus in Italiam euocatus, Honorij principis ætate, cùm in ſumma ſpe principatus Italici retinendi verſaretur, apud Feſulas in Hetruria à Stilcone ita oppreſſus eſt, vt bello faméque coactus, & ſuos omnes amiſerit, & viuus in Stilconis poteſtatem ipſe Radagaſus venerit, magno fortunæ ludibrio: vt qui ſibi totius Italiæ & orbis imperium vendicare poſſe videretur, tam breui ſpacio victus cathenis ad Stilconem infeſtiſsimum hoſtem duceretur.

De Ludouico Sfortia, Mediolanenſi Duce.

LEGANT quæſo frequenter hi omnes Ludouici Sfortiæ Mediolanenſis ducis inſignem maximè caſum, vt erudiri poſsint omnes, nihil eſſe tam incertum, támque varium quàm ſit hominum vita. Nam Ludouicus exemplo cunctis eſſe poterit certiſsimo, quantũ credere rerum fœlicitati quiſque debeat. Natus enim clariſsimo patre, fratrémque Galeatium ſortitus, Mediolanenſem & ipſum ducem, fato iniquiſsimo functum, dum ſeſe ſucceſſorem fratri am-

bit, principatúmque etiam armis ad ſe trahit, Simoneta ingratiſsimo ſublato, nepotibúſque peſsimè à ſe habitis, dux tandem creatus, aliquótque annos rerum fœliciter potitus, ſua ſtultitia, nimiáque ſapiẽtię appetitæ cupiditate, à Gallis primùm imperio pulſus, iterúmq; ab iiſdem captus, perpetuo carcere intra Gallias vitam finiuit, vt ne filij quidem ipſius ſuperſtites imperio ſint potiti.

IOANNIS BAPTISTÆ EGNATII,

LIBER SEPTIMVS.

De fœlicitate. Cap. I.

NON deerant ſi fortunæ varietaté, & inconſtantiam retuliſſe mallem, ídq; in magnis claríſq; viris, & imperatoribus innumeris prȩſtare poterã, quibus doceri deberent mortales, quãuis illa ſeſe læta iucũdáq; oſtentaret facie, nõ tamen nos illi ſtatim debere credere, quę tam lubrico ſaxo

immineat,aſsiduóq; rotatu voluatur præceps. Quare omittatur hæc ipſa pars,& ad ſecundiorē fortunā,felicitatémq; intendamus animū,quæ quidē vt parcior ſit,& anguſtior,non deerunt tamen exempla præclarorum aliquot virorum, qui Venetum nomen longè latéque illuſtrent.

De Henrico Dandulo duce.

ET ſi nulla,vſquam fuit tam ſolida felicitas,quam aliqua contumelia non violet (cuius rei Plinius ipſe ſit author) ſolabitur tamen me hæc ipſa noſtrorum commemoratio,quod nihil tale in Henrico Dandulo duce inuenire poteris. Qui dux in Aurei Maſtropetri locum creatus, quadraginta virali ſuffragio,Veronenſibus ipſis,qui Venetis impedimento erant,ne Atheſim fluuium peterent,denunciauerit,vt vrbis Venetæ poſthac ne vterentur cōmercio: quare ſtatim illis recōciliatis Veneti cuncta facilè tribuere. Idem monetam argenteam (cui groſsi nomē fecit) primus excudi iuſsit,octonis taxatam aſsibus: in cuius altera parte Ieſu Chriſti in throno ſedentis ſpectatur imago,in altera quidē parte D. ipſe Marcus viſitur,aſsiſtente illi duce. Interim Piſanis ipſis rē Venetā turbantibus,ſic oc-

currit,vt ad Methonem eos nauali prœlio vicerit,recepta iam antea Pola vrbe, quam illi occuparãt,captiſque tunc eorum duabus onerarijs nauibus:quibus poſtea pacẽ auidè petentibus dedit. Succeſsit poſtea non multò poſt maior quædam belli moles, quæ longè feliciſsimum ducem ipſum reddiderit Henricum. Nam Galli duces aliquot Venetias cum ingẽtibus copijs appulerant,vt Syriam ipſam peterent, quos dux ipſe benigniſsimè excepit, & pecunia claſſéque ingenti iuuit.Quorum auxilijs Henricus dux & Iaderam feliciſsimè recepit,& Alexium puerum Yſacij Imperatoris filium,quem frater carceri incluſerat, oculíſque priuarat, & Alexium, inquam, ipſum fuga in caſtra lapſum in imperium reſtituerit,fugato illius patruo. Quinetiã interfecto puero Alexio,qui cũ patre carcere educto rerum potiebatur, à Murciphlo,qui imperij faſces, clam inuaſerat, iterum Conſtantinopolim bello recepit, Murciphlóq; ipſo fugato, quũ ipſum illũ Gallorum omnes duces imperatorem dicere vellẽt,cõſtantiſsimè renuit,ipſas Venetias rebus omnibus anteponens. Mox verò Balduino principe omnium conſenſu dicto,magnáque Imperij Conſtantino-

politani parte Veneto nomini quęſita, & Patriarchali dignitate perpetuo parta, Cretam quoque inſulam Veneto imperio adiecit, ſenióque confectus in atrio Sophiæ cum ſumma dignitate ſepultus obijt. Quē igitur tu mihi Macedonicum Metellum feliciorē dixeris? Quippe qui clariſsimus magnis domi militiæque muneribus, iniuriā ſibi grauiſsimam illatam ab vno tribuno plebis vlciſci nunquam potuit, neque eius triumphales liberi. Quem Corneliū Syllam felicis cognomine gaudentem, qui tam ſęua in ſuos proſcriptione ſit vſus, cōmemores? Quid Auguſtum ipſum mihi obieceris, tot tātiſque domeſticis calamitatibus oppreſſum, vt etiam hoſtis ſui filiū Imperij ſucceſſorē relinquere ſit coactus? Quum ipſe Henricus abſens Rainerium filium publico decreto Reip. præfecerit.

De Petro Lauretano.

GAVDERE ſanè, ac potius lętari Venetiæ poterunt, quod non vno Henrico Dādulo gloriari velint, in quo fœlicitatis exemplum ſummæ deſiderari expetíque valeat. Nam ſtatim nobis Petri Lauretani memoria noménque occurret, hac in parte præcipuæ fœlicitatis, qui ad Calipolim

Turcicam claſſem rei maritimæ præfectus primus vicerit. Idem memorabili nauali bello ad Rapalum Franciſcum Spinulam egregium belli ducem in Liguſtico mari congredi ſibi auſum, inſigni felicitate nauibus non paucis captis, Venetias captiuũ adduxit, cum octo triremium gubernatoribus, conſiliariíſque tribus. Quę ſanè victoria eo celebrior ſit habenda, quòd Genuenſium ipſe imperator familiariter in ſummo honore ſit habitus: curatũq; poſtea ab eo, vt in patriam reſtitueretur. Quid commemorem excitatam ſeditionem in area Marciana à claſsiarijs remigióque, quod frequens ex Hiſtria, Dalmatiáq; cõuenerat, in ſupplementum Padanæ claſsis, quã vnus ipſe Petrus Lauretanus ſuo aduentu compreſsit? Nam quum proximas ædes areæ incubantes incoleret, D. Marci procurator, audito tumultu, licet ægrotaret aliquantum, in ipſum forum deſcẽdit: cuius audito nomine ſtatim turba illa, quæ in paniceas tabernas, & olitorias, aliáſque ædes impetum fecerat, dilapſa eſt, & quam non Ducis Imperium, non decemuirûm autoritas, non ſatellitum copiæ auertere potuerunt, priuati viri gloria atque maieſtas ſic ſubitò impulit, vt nullus ſupereſſet

eorum, ſed trepidi omnes in latebras confugerint.

EXTERNA.

De Franciſco Sfortia.

POTERAM Carolum Zenum clariſsimum in re militari ducem, Thadæum Iuſtinianum celeberrimum ad Clodiam: poteram quidem alios non paucos huc repetere: ſed reuocabant me exempla recentia duûm præcipuè illuſtrium virorum, quos nemo non, qui hæc noſtratia legerit, mortalium feliciſsimos intra Italiæ fines fateatur. Vēdicet igitur ſibi primum locũ Franciſcus Sfortia qui Iacobo Attēdulo genitus, qui poſtea Sfortia ſit dictus, iam tum adoleſcens, clarus militari gloria celebríſque fuit. Victo enim Bracchio ad Aquilā, eiúſque exercitu profligato, mox in Neapolitano regno ſemper victor, reſtituta re Pontificibus Romanis magna ſibi Piceni parte addita, tum Philippi Mediolanenſis principis dux optimè de eo meritus, ſed mox ab ingratiſsimo illo diſcedens, quod Blancam filiam ſibi in vxorem promiſſam negaret, Veneti nominis Imperator, amiſſum penè Ciſalpinæ Galliæ Imperiũ, Venetis ſuo ductu auſpicijſq; reſtituit. Inde

imperij ſui exacto tempore, Philippo ob inſignem eius virtutem reconciliatus, ducta ea vxore Florentinis maximè laborantibus præcipuam opem tulit. Iterum Philippo mortuo dum ſoceri imperium repetit Veneto nomini aliquanto infeſtior (nã ad Carrauagium Venetas copias Mediolanẽſis Imperator fudit) Mediolano mox potitur, tantúmq; autoritate, felicitatéque ſua valuit, vt in ſumma concordia & pace Mediolanenſem principatum diu Florens retinuerit, & filijs ſuis fruẽdum in ſummo otio reliquerit. Si modò liberi, Ludouicúſque ipſe, paternas virtutes retinuiſſent.

De Laurentio Medice.

NON grauatè feret, opinor, Franciſcus Sfortia Laurentiũ Medicẽ ſibi parẽ in hoc genere laudis à me introductũ, qui & ipſe Florentiæ dum vixit principatum tenuit à maioribus ſuis ſibi traditum. Qui præterquàm quòd Paccianam coniurationem ab initio paſſus eſt fratris funere & vulnere ſuo grauem imprimis, tamẽ poſtea claruit multis animi dotibus. Nam ſapienter, moderatéque ſeſe gerens, bellum à Sixto Pontifice & Ferdinando re-

ge illatum ſingulari prudentia à ſe repulit, quum non dubitaſſet ad Ferdinandum ipſum, ſibi infeſtiſsimum ſolus accedere, vt eodem autore belli quoque ſuſpicionē omnem tolleret. Pace igitur parta ſingulari ſapientia ſua reconciliatóq; Pontificis animo, ſic literas bonáſque artes cœpit excolere, vt princeps ille Demetrium Chalcondilam Græcarum literarum profeſſorem egregium, publico ſtipendio conduxerit. Vnde egregij claríque literis viri tũ primùm floruere. Qua re animaduerſa ab ipſo Laurentio, quod feliciter ſucceſsiſſet, doctiſsimos quoſque viros Florentiam ad ſe euocatos, ſingulari beneuolentia eſt cõplexus, & in his Ioannem Picum, Mirandulæ ducem, virum longè doctiſsimum, Marſilium Ficinũ Platonis longè ſtudioſiſsimum, & Angeli Politiani ingeniũ in primis admiratus: bibliothecam quoque Græcam, & Latinam perinſignem inſtituit, filio etiam ſuo, qui poſtea Romanum Pontificatum eſt adeptus, fœlix.

Sapienter dicta aut facta.

Cap. II.

ADMIRABVNVR, vt opinor, omnes

quicunque iſthæc legent, & in primis Fraciſci Danduli conſilium laudabunt, veluti ſapientiſsimi viri, patriæque amantiſsimi. Qui legatus à Veneto Senatu miſſus in Galliam, vt iratum infeſtúmque animum Pontificis Clementis in Venetos molliret, quod à multis fruſtra tentatum antea fuerat, quum omnes artes aggreſſus eſſet, nihílque omnino profeciſſet, nouo conſilio, & longe prudētiſsimo vſus prandenti Pōtifici quadrupedē ſeſe obtulit, catena ferrea collo innexa. Quæ res Pontificis animum adeò commouit, vt ſtatim illum re impetrata dimiſerit, conſiliúmque viri tàm prudētis maximè laudarit. Quod factum canis illi cognomentum, quum in patriam rediiſſet, re cognita indidit, vt meritò poſtea princeps ſit creatus.

De Franciſco Foſcaro duce.

MVLTA ſunt, & præclara Franciſci Foſcari dicta factáq; ſapiēter: ſed illud imprimis, quòd quum Franciſcus Carmaniola ſummo mane ad eum veniſſet, cauſámque quæreret, cur totam noctem Senatus habitus eſſet, qui paulò ante dimiſſus erat: ecquis alius, reſpondit, quàm tu autor fuiſti? Sed quum ſtatim cognouiſſet potuiſſe

illum ſuſpicari de ſuo interitu actum (qui ſecutus mox eſt) egim⁹, addidit, de tuis laudibus, déque tuo augendo ſtipendio, donandóque tibi oppido vbi malles. Ita igitur nihil amplius ſuſpicatus mali Carmaniola, à ſatellitibus, qui iam conuenerant, retentus eſt, carceríque incluſus, nec multo poſt ſupremo ſupplicio affectus.

De Thoma Moccnico.

NVNQVAM ſine graui piaculo poſſim omittere quanta fuerit Thomæ Mocenici ducis ſapientia, nunquam non libẽtiſsimè meminerim, ídque ipſum poſteritati tradiderim, vt ſemper aduerſatus ſit Franciſco Foſcaro ſuadenti vt bellum pro Florentinis, próque augendis imperij Veneti finibus contra Philippum Mediolan. principem in continenti ſuſciperetur: publicúmque hoc ſtudium rei maritimę proponeretur. Quod vtinam & per ea tẽpora ſeruatum eſſet in noſtram vſque tempeſtatem. Quis enim per immortalem Deũ, hodie ſaltem nõ intelligit Venetias ipſas intra maris ambitum poſitas eo fato Deíque Opt. Max. numine conditas, vt maritimas res omnibus aliis præferrẽt? Extant adhuc conciones eius aliquot grauiſsimæ habitæ

in ſenatu, hac ipſa de re tanta copia, tantáque grauitate in hanc ſententiam, quas ſi quis quandóque leget, hunc ducem longè clariſsimum fuiſſe intelliget.

De eodem Thoma Mocenico.

AGE verò quis non huiuſce ducis memorabile factum perpetua memoria dignũ cenſeat? in quo ſumma ſapientia, ſummáque bonitas, atque in ipſam patriã charitas eluceſcat. Nam moribũdus iam conuocatis intra cubiculum ſuum aliquot ciuitatis principibus, quos certò nouerat creando principi intra quadraginta viros præfuturos, ad eos conuerſus, ita breuiter locutus eſt: Ego inquit patres non multo poſt moriar, Franciſco Foſcaro in primis æquus, ſed patriæ tamen ipſi multo beneuolentior: quare vos ſingulos ſeorſum rogatos velim, vt ad me iuxta thorum aduenientes, non grauemini clam ſententiam promere veſtram, quem mihi ſucceſſorem daturi ſitis, id quod certè in primis ſcire aueo, pro mea in patriam pietate. Quare ſinguli ad eum venientes, quum maior eorum pars in Franciſcum Foſcarum pronior appareret: intellexi, inqt, patres opti-

mi ſententias omnium veſtrum: ex qua re video facilè plurium ſententias in Foſcarum propenſiores, itaque in promptu eſt vobis omnibus perſpicere, quo ſemper in Foſcarum animo fuerim, nunquámque in illum odio laborauerim, ſed pro patriæ charitate eius ſententiæ de bello ſuſcipiẽdo ſemper aduerſatus ſim. Quare Deum immortalem precor iam moriens, vt opinionibus veſtris faueat, patriæq́ue dignitas, & incolumitas perpetuò vobis hæredibúſque noſtris æternè extet.

EXTERNA.

De Matthæo Vicecomite Mediolanenſi.

POTITI ſunt diu rerum imperiíque Mediolanenſis Vicecomites, & potiti ſunt quidem rerum ſatis fœliciter. Inter quos celebre nomẽ Matthæi fuit, qui principatu illo non paucos annos cum ſumma fœlicitate functus, poſt modum à Martino Turriano pulſus, Veronam confugit, penéſque Scallanos principes non paucos menſes ſecurus egit. Poſtea verò Benacum petens, frequénſque in his locis verſatus, quum interrogatus eſſet, quidnam ageret in loco Turrianis tàm propinquo, neque ſatis tuto, quo animo ibi eſſet: eo, reſpondit,

dit,animo hic adſum,vt piſcationi vacem, interea,dum id mihi contigit, quod quæro,nec deſpero futurũ,vt præualente Turrianorum ſuperbia,ſtudium hoc meũ fœlicem in patriam reditum prę̄ſtet,quod nõ multo poſt illi ſucceſsit.Nam turbantibus omnia Turrianis prægrauantéque eorum ſuperbia,reſtitutus mox eſt Matthæus ipſe Henrici imperatoris opera,quum Turrianĩ ipſi inter ſe non ſatis concordes agerẽt. Decémque annis functus imperio,Galeatium filium ſucceſſorem reliquit, & propter rerum magnarũ gloriam, magni cognomentum in hunc vſque diem tulit.

De Coſma Medice.

PARI quoque fato, atque fortuna vſus eſt Coſmas Medices vir lõgè ſua tempeſtate clariſsimus,qui & ipſe à Strocianis quandoque in exilium pulſus, quum ad Benacum, & ipſe ageret, à Pallantis nuncio quãdoque requiſitus,quídnam ibi ſolus ageret,prudentiſsimè ſanè reſpondit, ſeſe gallinæ incubanti frequentem adeſſe, vt eius poſtea fructu potiretur. Cuius reſponſo nũcius ille in riſum conuerſus,nõ animaduertit viri prudentiſsimi reſpõſum

eò tendere, vt de reditu in patriam aſsiduè cogitaret, quod non multo poſt ſenatus Veneti ope conſecutus ſit.

De Saladino Aegyptio.

FVIT Saladinus princeps Aegyptius (id quod vix perſuaderi poſsit) dum vixit longè clariſsimus. Nanque imperij ſui fines in primis auxit, & fœliciſsimè diu rerum potitus, Chriſtianorum quoque opes ita in Oriente oppreſsit, vt Hieroſolymis captis Chriſtianum nomen in hunc vſque diem ex Syria eiecerit. Ille verò moriens in ſumma rerum fœlicitate teſtamēto ſuo præcipuè cauit, vt interula tunica linea, quā geſtare ſolebat, vertici prælongæ haſtæ affigeretur: exclamaréque aſsiduè, qui lanceam gereret, hanc vnam eſſe reliquam tunicam, quæ illi ex tantis opibus, tantóq; imperio ſuperfuiſſet. O vocē pręclarā dignámque in primis quam inſolentiſsimi principes frequentiſsimè in animo repetant: nobis omnibus vita functis, nihil omnino ſupereſſe, niſi ſiquid bene, ſanctéq; geſſerimus.

De Pio ſecundo Pontifice.

VACENT nunc mihi quæſo ſacerdo-

rum qui ſupererunt aures, vacent etiam reliquorum mortalium, vt Pij ſecundi Pontificis Romani vocem attendãt, qui in mores præſentis ſeculi ſui intendẽs animum, ſuperioríſquè ætatis diſciplinam frequentiſsimè recordatus, quod ad ſacerdotes ipſos attineret, dicere ſolitus erat, iuſta ſanè de cauſa per ea tẽpora, interdictas eſſe ſacerdotibus nuptias, ſed iuſtiore reſtitui nunc iiſdem poſſe. Nouerat enim tunc ſacerdotia liberorum copia conſumi, perdíque, nunc verò ita firma, ſtabiliáque reddita, vt nihil addubitandum ſit.

Vafrè dicta aut facta. Cap. III.

De Carolo Zeno.

NIHIL fuit Venetiis ea tempeſtate, qua Genuenſes Clodiam nobis ademerãt, Carolo Zeno clarius: de cuius laudibus dicta ſunt à me plura ſuperius, & mox dicenda ſuperſunt. Illud verò nunc quomodo ſilentio inuoluam, in hoc genere multo celeberrimum, vbi honeſtiſsima eius vafricies explicabitur? Pace nanque inita inter Genuenſes, & Venetos, quum Ligures oratores Venetias veniſſent, frequentéſque ad Caroli Zeni ędes venirent, quaſi ad ciuitatis principem, admiratione

ſumma affecti, illum omnia moderatiſsimi ciuis munera obeũtem, domi animaduertebant. Quod Carolus ipſe animo ſæpe voluens in vafriciem conuerſus ſapientiæ plenam, deduxit quadam die à Marciana area ad Riualtinum petentem magno ſanè domeſtico comitatu, vt conſtare poſſet illis magnum Venetiis omnium ordinum eſſe conſenſum, neminémque eſſe in hac ipſa ciuitate, qui ſupra ciuis mediocri fortuna aliquid ſaperet. Cõuenerat autem cũ Riualtino magiſtratu, dedita opera, vt obuium ad ſe ſuum ſatellitem mitteret: cui pugionem ipſe, vel inuitus traderet, quem geſtare ſolitus erat, ſimúlque ipſum euocaret ad pœnam, quaſi ſupra ciuem ſeſe gereret, qui ferrũ per vrbem ſecum deferret, quod lege iam pridem prohibebatur. Tradito igitur pugione ſatelliti, à quo etiã ad magiſtratum euocabatur, conuerſus in legatos ipſos rogare cœpit, vt ſecũ proficiſcerentur: quibus perbenignè pollicentibus, rectà tendit ad præſides, qui viſo Carolo grauius & penè acerbius in illum inuecti, propter pugionem ipſum penes ſe retentum, mulctam etiam illi grauem indixere. Qui mox à Carolo legatíſque exorati ægrè conceſſerunt, vt Carolus tutus

domum dimitteretur: quibus ille reuertẽs, multa in ea ſententia connumerauit. nihil in vrbe ſupereſſe, in quod non omnes vno ordine conſpirarent.

De Petro Lauretano.

CONVENERANT iam quadraginta viri, qui ducem in Thomæ Mocenici clariſsimi principis locũ ſufficerent. Nec dubium vlli erat quin Petrus Lauretanus ſenator longè clariſsimus maritimæq́ue rei celeberrimus, iam multis victoriis Imperator, votis omnium crearetur. Id, quod patricius vnus ex his conſiderans, qui Frãciſco Foſcaro maximè fauebat, in concionem aſcendens, Petrum Lauretanum ampliſsimis extulit laudibus, dignúmque in primis illum eſſe, qui huic dignitati præficeretur. Quinetiam ſe vnum ex iis eſſe, qui illum cunctis præponeret. Sed eum eſſe tẽporum ſtatum Turcis ab Oriente inſtantibus, qui iã Conſtantinopolim expugnarant, ex alia Genuẽſibus, qui Philippi Mediolanẽſium ducis partes tuerentur, vt vno Petro Lauretano Reſpublica maximè indigeret, qui maritimę rei prę eſſet omni, cõtra tot, tãtóſque turbines rerũ, vt niſi vno eius præſidio tot mala ſiſti non facilè

poſſent. Differrent igitur hanc in Petro Lauretano hoc tempore ſententiam: & alium, quemuis ducem declararēt, cuius oratio & autoritas tantum valuit, vt Foſcarus ipſe, quod maximè optabat ſit aſſecutus.

De Franciſco Foſcaro.

INCLINABANT non paucorũ ſtudia in hunc ipſum Foſcarum, qui vniuerſæ Reipublicæ præeſſet: ſed recentior eius ætas multorum vota retardabat (alterum enim, & quinquageſimum ætatis vix agebat annum) quæ res maiorem quadraginta virûm partem ab hoc propoſito auocabat, multis longè ſenioribus, qui Mocenico principi ſuccederēt, adhuc extantibus. Effecit tamen prudens vaferque Foſcarus, vt voti ſui compos tandem eſſe. Qui quũ in quadragintavirûm numero aliquot eſſent, qui illi vni præcipuè ſtuderent, effecit cum iis, vt in ſuffragando minimè ſibi fauerent, niſi quum ille annuiſſet. Quare conuerſus in alios omnes, hoc vnum ſeſe ab illis petere agebat ſupplex, vt ſuo tãtum ſuffragio dignum illũ in cēſerent, qui ſummæ rei præeſſet, turpe enim & ignominiæ plenum ſibi videri, ſi diui Marci

procurator, ſempérque de Repub. optimè meritus, vix tria, aut quatuor ſuffragia referret, quum in nomen eius iretur. Quod ſi ſemel ſupra dena numerare poſſet, ſeſe id æquiſsimo animo laturū. Quod quum illi ex animi ſui ſententia obtigiſſet (nemo enim rem tam ęquam negare ei poterat) nactus opportunam, vt ſibi videbatur occaſionem, annuit fautoribus ſuis ne deeſſent, ſed omni opera ac ſtudio, ſibi adeſſent. Euntibus igitur omnibus in Frāciſci nomen, aſtu, & arte id adeptus eſt, vt quinque & viginti ſuffragia ſortiretur, qui numerus tunc temporis in eligēdo duce ſatis eſſet. Quapropter ſtupentibus omnibus dux ſalutatur. Sícque Franciſci verſutia, & aſtus extorſit, quod vna illius ętas recentior negaſſe hactenus videretur.

EXTERNA.

De Ioanne vij. Pont. qui fœmina inuentus eſt.

VIX adduci poſſum tantum aſtus & calliditatis in puella vna Britannica ineſſe potuiſſe, vti patrijs laribus relictis, virenti adhuc ætate, Athenas ſtudiorum cauſa proficiſceretur, virúmque mentita,

habitu, & omni vitæ ratione, ſic poſtremò in literis proficeret, vt quicunque cum ea progrederetur, aut diſputando, aut ſimul viuendo fœlicitatem ingenij, ac potius diuinitatem admiraretur, obſtupeſceretque. Quare Athenis ſoluens, Romámque petens, ingenio callido, & vafro mentita ſemper ſe virum eſſe, tantum gratiæ apud omnes cõſequeretur, vt mortuo Leone quarto Pont. Max. in eius ſufficeretur locum, Ioannéſque ſeptimus diceretur. Quod niſi biennio poſt grauida dum Lateranẽſem ędem inuiſit, victa dolore peperiſſet (quod iam omnibus ſcriptoribus cõſtare video) quis crederet in vna fœmina tantum fallaciæ, támque conſtans mendacium ſimulati ſexus, tamdiu perdurare potuiſſe?

De Nicolao Picinino.

RECENTIOR erit memoria, aliquãtóque fęlicius Nicolai Picinini cuiuſdã noui inuſitatíque aſtus cõſilium, quod ille ſua ætate rei militaris Imperator celeberrimus, Philippíque Mediolanenſis ducis ſtudioſiſsimus, apud poſteros reliquit, qua de re nequaquã addubitare poſsis, quin memorabile ſit, vafrúmque viri illius monimentum. Victus enim acie à Frãciſco Sfor-

tia Veneti Senatus Imperator,quum Gardam oppidum fuga circa Benacum lacum petijſſet, videns nullam ſuæ ſalutis ſpem, quoniã ſaluus ad ſuos ire minimè poſſet, nec Gardæ oppidulo ſatis fidere quiret, nouum facinus & ante eam diem inauditũ eſt aggreſſus:vt ſacco incluſus à Germanico milite per Sfortianorũ caſtra ferretur, quaſi is panem ad ſuos deferret,vt tandem euaſerit. In quo ſanè viro haud facilè ſcias, cui rei primas partes attribuas, Fortúnæne plus nimio fauenti,an miniſtri fidei, qui vitæ ſuæ periculo ſaluũ incolumémq; illum eduxerit, an potius nimiæ Picinini fiduciæ,qui dum Sfortiam plus æquo pertimeſceret, non dubitarit quoduis diſcrimen ſubire.

De Stratagematis. Cap. IIII.

EFFICIT ſumma,egregiáque Caroli Zeni virtus, vt in quamcunque partem ſtilũ vertã,ille mihi ſtatim occurrat. Quẽ certè ſi alterum Camillum dixerim, Venetæ vrbis ſeruatorem,rectè ſanè nuncupauerim. Cuius opera recepta Clodia libertas ipſa Reip.conſtitit. Sed quoniam veterum ſtratagemata in re militari maximè illuſtria ſunt,& ea præcipuè quæ pro patriꝫ

libertate geruntur: Caroli Zeni primùm illud explicabitur, quod memoria maximè dignum habeatur. Siquidem is Robertum Recatēſem qui in Venetis caſtris merebat ductoris nomine, quíque etiam plurimos milites ſibi fauentes haberet, ex toto Piceno lectos, ſic vltus eſt primùm, vt nequaquam de eius fide dubitare videretur: quem paſſus eſt in Clodiam ingredi, adhibito ei comite, cui Carolus ipſe crederet. Cuius opera re ipſa planè percepta, & Robertum ipſum ſuſtulerit, dolo in Venetos omnia peragentem, & Genuenſes coëgerit ſtatim deditionem facere. Quare effectum eſt, vt Veneti rerum potiti, gloriáque pleni domum redierint, contráque Genuenſes ipſi in ſumma rerum deſperatione adacti, pacem à Venetis oblatam, magna cũ ſui ignominia acceperint.

De Nicolao Piſano.

NICOLAI verò Piſani ſtratagema, quis non maxima laude dignum cenſeat? Qui in Caralitano Sardiniæ inſulæ ſinu Antonio Grimaldo Genuēſium Imperatori congreſſus, nihil maiori ſtudio, maioríque contentione agēdum ſibi duxit, quã vt nauium ſuarum numerum diſsimula-

ret. Die igitur pugnæ dicto, Ioanni Sanuto mandauit, vt decem cum nauibus de induſtria abſcedere videretur longius, quod à Genuéſibus ipſis conſpici facilè potuit. Cæterum vt in occulto agens in ipſo pugnæ ardore inſtructus preſtò adeſſet. Sic igitur re compoſita, hoſtes aggreſſus ipſos, qui nõ ſegnes prælium & ipſi ciebant, ſic vtrinque pugnatum eſt, vt tandem ſuperueniente ex improuiſo Sanuto, Genuenſes memorabili acie ſint victi, ipſéque dux Grimaldus vix euaſerit, vniuerſa ferè claſſe aut capta, aut ſubmerſa. Vt facilè appareret, Boſphorana pugna, Ligurem ipſum non tam virtute, quàm locorum opportunitate Venetis obſtitiſſe. Fuit ea pugna Genuenſibus ipſis adeò infauſta, vt tũc primum libertatem ſuam Vicecomiti præſuli Mediolanẽſi tradiderint.

De Petro Lauretano.

MEMORABILE imprimis, & inſigne ſtratagema Petri Lauretani fuit, quo primus ipſe vniuerſæ rei maritimæ præfectus Imperatoris nomine Turcicam claſſem ad Calipolim oppreſſit. Othomanus nãque, capta Conſtantinopoli, claſſem ingentem ad Calipolim comparabat, in qua

vna ſpem vnam inuadēdæ Italiæ repoſuerat. Quare Petrus admonitus ſtatim eò cū vniuerſa claſſe ſua profectus, ſæpius Calipolim inuiſens, non multis cum nauibus, vt Turcā ipſum in certamen traheret, tandē id aſſecutus eſt, vt inſtructiſsimus Turcarum præfectus ad eum venire propoſuerit, id quod intelligens Petrus inſtructam reliquam claſſem præcepit ſe ſequi, ita tamen, vt Turcæ rem intelligere nō poſſent. Congreſſus verò quum paulatim reliquæ naues adeſſent, veritus id Turcarum præfectus, ne plures multo conuolarent, in fugam ita vertitur, vt vniuerſa claſsis Turcica, tum primùm aut caperetur, aut diſijceretur, abrupta Othomani prīcipis ſpe Italiæ reliquæq́ue Chriſtianæ pietatis claſſe inuadendæ. Quæ tanta res effecit, vt calēdæ Iuliæ celebres nobis & ſacræ in hunc vſque diem habeantur, tametſi & Cariariēſis principis clade inſignis, & Andreę Contareni ducis in vrbem aduentu, poſt receptam Clodiam grata memoria celebretur.

De eodem Petro Lauretano.

IDEM aliquot poſt annos aduerſus Genuenſes Imperator à Senatu declaratus, quibus cum bellum erat gerendum, claſſe

inſtructa in Liguſticam oram eo conſilio profectus nauigauit, vt Liguſticam oram populabundus, Genuenſes ipſos ad nauale prælium exciret. Quod cùm illi facilè præſtitiſſent, delecto claſsis principe Franciſco Spinula, qui aduerſus Venetos clarus alioqui vir, rem gereret: ita planè accidit, vt ad Rapalitanum ſinum vtraque claſsis conueniret. Quare quum prælij gerendi tēpus iam imminere cerneret, ſimulata fuga retrocedere cœpit, donec inſequētibus Genuenſibus, ſecutus ventorum afflatum fœliciorem, conuerſis nauium proris ſit pugnari cœptum, ibíque partim virtute ſuorum, partim conſilio ſecundáque aura adiutus, oſtendit ſuo quodam ſtratagemate pellectum hoſtem ſuperari commodè poſſe. Quum igitur graue immineret certamen, iuſsit aliquot nauibus prætoriam Genuenſium primùm aggredi, ſic planè effecit, vt & triremis ipſa prætoria opprimeretur, & ipſe Spinula dux, cum aliquot egregijs viris caperetur. Id quod reliqui Genuenſes quum animaduertiſſent, in fugam ſtatim conuerſi abeunt, relicto Spinula duce. Quem captum, ad ſéque deductũ Lauretanus, cum aliquot conſiliarijs perbenignè recepit, nec multo poſt Venetias dedu

cendum terreſtri itinere tutò curauit.

De Petro Mocenico Venet. duce.

NON poſſum certè ſine ſcelere præter-mittere Petri Mocenici clariſsimi Imperatoris aduerſus Turcas res geſtas, tãetſi virtute màgis, quàm actu ſumma cum fœlicitate egerit. Primùm etenim Turcarũ omnem maritimam regionem cœpit, & Cyprum Inſulam ab imminẽtis ſeruitutis iugo eripuit, Smyrnam expugnauit, Scordã in Epyro ſeruauit, multáque alia præſenti vi, & cõſilio ita præſtitit, vt meritò poſtea dux omnium ſuffragijs declaratus ſit. Vt interdum Cępionis Coriolani, qui eius res geſtas conſcripſit ſatis ornatè, nõ poſſim non mirari, vel potius deſiderare prudentiã: qui hæc ipſa, quæ plurima excidiſſe neceſſe eſt, non recenſuerit ſtratagemata.

EXTERNA.

De Catta Melita.

DABITVR primus hic locus Cattæ Melitæ, qui quãuis infimo loco, apud Narniam natus, inter egregios rei militaris Imperatores ætate ſua adnumerari meruit, cũ propter eximias animi ei⁹ dotes alias, tùm propter egregiam ſummámq; hominis fi-

dem: qua cum ſemper enituiſſet, Veneto etiã Senatui, & Foſcaro principi ad vitæ calcem eximiam præſtitit. Vt meritò illi equeſtris ſtatua Patauij, ad Diui Antonij ædem publico nomine ſit poſita. Huius igitur ſtratagemata multa fœliciſsimo euẽtu recenſeri poſſent: ſed illud nũc tantum aſcribam, quod Brixia profectus cum copijs, vt Veronam contenderet, montano quidem itinere vſus, memorabili aſtu euaſit. Nam quum in eum locum perueniſſet, qui nulla militum virtute, nullo robore ſuperari poſſet, hoſte ſibi obiecto, nouo ſtratagemate fugæ ſimulatæ ſaltum penetrauit. Ex quo tutò inde cũ toto exercitu Veronam tandem re incolumi peruenit.

De Franciſco Carmaniola.

NEC minoris cenſendum eſt laudis Frãciſci Carmaniolæ Venetorum ducis facinus & aſtus, qui ad fallendũ hoſtẽ, ſuũ iuſſit militem in caſtris nõ contẽnendi nominis, prouocare ex hoſtium copijs vnum, certa die ad ſingulare certamen, quod in frequenti vſu tunc temporis eſſet. Futurum id ſuſpicatus, vt hoſtiles copias nihil tale metuẽtes eo temporis ſpatio facilè(id

quod euenit) profligaret. Quare inito inter eos certamine, quum duces quoque ipſi veluti ad ſpectaculum concurriſſent, magnaque turba militum ferè inermis præſtò adeſſet, ille ſuis clàm intra caſtra inſtructis inopinantes hoſtes ita aggreſſus eſt, vt duces ipſos Sigiſmundum Malateſtam, Nicolaum Picininum, Franciſcum Sfortiam, & Angelum Pergulanum inſignes ea tempeſtate penè cœperit. Certè ea clade affecit, vt fuſo diſiectóque paſsim hoſte, Philippi ducis res in manifeſtũ diſcrimen totius imperij ſui inciderit.

De Franciſco Sfortia.

PRAEERAT tunc Philippi ducis vniuerſis copijs Franciſcus Sfortia dux, qui iã pridem animũ adiecerat ad Venetam claſſem, quæ tunc in Pado ageret. Vt igitur eũdem Carmaniolam aſtu falleret, militibus ſuis aliquot transfugarum ad eũdem Carmaniolam miſsis, qui ſignificarent paratum eſſe Sfortiam ipſum cum vniuerſis copijs clam Carmaniolam inuadere: vt ille poſtea hoc nuncio in armis eſſet, nec auerti interim aliò poſſet. Sfortia verò noctu comparatis clam militibus, claſſem ſuam in Pado conſcendit, improuiſos Venetos

netos ipſos adortus, claſſem vniuerſam ferè diſsipat, nec Carmaniola à noſtris in ſubſidium euocatus, illuc contendere eſt auſus, veritus Sfortiæ inſidias, ne imparatum ſe, incautúmque ille aggrederetur.

Aliud Franciſci Sfortiæ.

FVIT & eiuſdem Sfortiæ aſtus in Franciſco Piccinino Nicolai filio, quo cũ in Picæno bellum gerebat ſanè memorabile. Cum.n. Sfortia Piccininũ ſuperiorẽ & loco & viribus timeret, ne in ſe conuerſis ſignis facilè illum in fugam verteret, nouo ſtratagemate, lixas vniuerſos, & reliquam turbam militarem intra proximum nemus latere iuſsit, quæ ſpeciem ingentis exercitus præ ſe ferret. Id quod Piccininum facta ab eodem Sfortia impreſsione celerrimè in fugam vertit, victoriámque in primis opportunam retulit.

De Chriſtianis Ptolemaidem obſidentibus.

INOLEVERAT Sarracenis ipſis mos quidem memorabilis, vt literas columbarum ventri affixas ad ſuos tranſmitterent. Quum igitur Galli, Veneti Duces Ptole-

maidam obſiderent,quam mox deditionē facturam non dubitabant, ecce columba ſupra caſtra volans conſpecta eſt. Suſpicati igitur aliquid ineſſe noui principes ipſi,ſublato clamore ita eam exterruerunt, vt intra caſtra conciderit, inuentęq́; Sultani literæ, quæ ſignificarent illum ſtatim affuturum. Alijs literis colūbæ affixis Sultani nomine columbam dimiſere, quæ adhortarentur Ptolemaidas ſe nequaquam venturum: quare dederent vrbem, id quod quamprimum effectum eſt.

De Grimoaldo duce Beneuentano.

NON deerit Grimoaldo Beneuentano duci hac in parte ſuus locus, qui Ticini agens, Aripertíque liberos Longobardorū regis fouens, quum audiſſet Gallos magnis cum copijs Alpes tranſmiſiſſe,ipſe ſimulata fuga caſtra ſua cōmeatus omnis generis plena, & præcipuè vini reliquit, in quæ irrumpentes Galli circa veſperum, quum ſe largius epulis vinóq; inuitaſſent, in ſomnū conuerſi paſsim ſunt. Quos nihil tale metuentes aggreſſus Grimoaldus, magna ex parte cecidit, atque fugauit.

De Repulſis. Cap. V.

De Franciſco Foſcaro duce.

SAEPE ac diu mecum dubitaui, quà ratione, quum de repulſis agerem Valerium ipſum omni ſtudio ſequens, noſtratia hæc poſteris traderem. Sed vtcunque ſit, quanta fieri à me poterit cura, & obſeruatione, veritatem vnam adamans rem exequar. Obiierat diem ſuum poſtremum Thomas Mocenicus clariſsimus dux, erántque ea tempeſtate viri patricij nō pauci celebres, qui ad hanc dignitatem ciuitatis ſtudio nō paruo euocarentur: inter quos Franciſcus Foſcarus procuratoria dignitate inſignis vnus erat, qui præſtare cæteros videretur, ſi non ætas recentior illi obſtaret: vicit tamen ſua quadam beneficentia, & arte. Petro Lauretano, & alijs ſenioribus repulſis, præter multorum ſpem, dux creatus eſt. Quem certè principem magnifacere debemus.

De Chriſtophoro Mauro Duce.

ERANT in Chriſtophoro Mauro multę prçclaræq́ue virtutes, quæ dignum illum in omni ſua ætate, quibuſuis honoribus

facerẽt. Sed illud præ cæteris maximè memorabile, quod Chriſtianę pietatis præcipuus verúſque cultor haberetur. Nam & penates ſuos præter cætera ſacro Cœnobio extruendos dedicauit. Id quod hodie quoque non ſine omnium admiratione ſpectatur, in quo cœnobio Diui Franciſci religio in primis hodie eniteat. In qua ſanè familia, cum ſemper aliâs inſignes aliquot religione viri præſtiterint, Bernardinus tamen Senenſis eadem tempeſtate floreret, qua Chriſtophorus ipſe iam D. Marci procurator inſignis haberetur, cui conſtãter affirmaret futurũ vt poſt mortẽ Foſcari principis ipſe dux crearetur in eius locum. Cæterũ abrogato principatu Foſcaro ipſi, quum ſumma principis dignitas repulſo Mauro Paſchali Maripetro demandata eſſet: admirabundus ipſe tacitus ſecũ Bernardini vaticinium irridere, quod tamen veritatis plenum fuit. Siquidem Maripetro ſucceſſor eſt datus, qui illo abrogato viuentéque ſucceſſerit. Vtinam verò immortalis deus longiorem huic principi vitæ vſum, & Romano Põtifici ad Anconem ſedenti eſſe voluiſſet. Facilè enim Turcarũ imperium eorum ductu, & auſpicio in obſcuro iacuiſſet.

De Petro Mocenico.

NON potuit non mirari vniuerſa ciuitas eiſdem comitijs Nicolaum de Canali, virum alioqui clarum, & literis, & alijs multis animi dotibus, ſed maritimæ rei haud ſanè ſatis peritum, præpoſitum fuiſſe Petro Mocenico, qui aduerſus Turcas imperator contenderet. Quem poſtea Chalcide amiſſa, cum ſumma ignominia reuocarint, ipſúmque poſtea Petrum Mocenicum in eius locum præfecerint, qui multis præclaríſq; geſtis domum reuerſus, dux poſtea iure optimo declaratus ſit.

De Bernardo Iuſtiniano.

NEMINEM hodie ſupereſſe arbitror literis aliquanto cultiorem, cui Bernardi Iuſtiniani nomen & virtus ignota ſit. Qui Leonardo patre genitus diui Marci procuratoris literis Græcis atque Latinis ornatiſsimi, quíque patri ipſi omni virtutis genere ſucceſſerit, in Rep. ipſa magnis variíſque honoribus ornatus, nullámque vnquam repulſam paſſus, procurator deinde diui Marci, in locum clariſsimi viri Petri Mocenici creatus. Marco igitur Barbadico principe vita functo, quum haud dubie omnis ciuitas Bernardum ipſum cre-

andum acclamaret, tulit tamen repulſam Auguſtino fratre illi ſuffecto, vel quòd breuiſsimus fuit ipſius Marci principatus, quod præter omnium ſpem euenit, vel quòd, & ipſe frater multis honoribus functus, & procurator etiam dictus, non indignus hoc tanto faſtigio creditus eſt.

EXTERNA.[1]

De Gabriele Condulmario.

QVIS non fortunæ vim, cùm res humanas ſecum animo verſat, in primis admiretur, ſic ſæpe nobiſcum agitantis, vel (vt verius dicã) nobis inſultantis, vt nihil hæc noſtra vita ſortiatur, quamuis egregium, amplúmque ſit, quod ipſum magnifacias vel potius contemnere non debeas. Id verò tibi Gabriel Condulmarius facilè approbarit, qui Romanã curiam ſecutus, Senenſiſq́ue Epiſcopus, à Gregorio vndecimo Pontifice Romano declaratus, ab ipſis Senenſibus ſtatim reiectus repulſúſq; eſt. Quem tamen non multo poſt eadem ætas Pontificem Romanum vidit, & venerata eſt in Martini locum ſuffectum. Vt ridere interdum ſecum potuerit, quum Senenſium iniuriæ tantæ meminiſſet. Fuit enim Põtificatus ipſius vel maximè inſignis. Nã

& Italicas res,cum ſuas, & Pontificias, & reliquorum Italiæ principum inter ſe diſcordias ſatis fœliciter ſedauit, tum quòd Gręcorum imperatorem Ioannem Palęologum, & reliquam Græciam in Italiam exciuit. Vbi Florentino concilio peracto, & ipſe Conſtantinopolitanus princeps,& Patriarcha, cum ſacris reliquis viris præſentes interfuere,ſubſcriptionéque ſua cõprobrarunt, quod ad eam diem ſumma animorum obſtinatione aduerſati forent. Illud verò etiam non præteriero, Beſſarionem antiſtitem Nicenum propter ſingularem eius eruditionem, & bonitatem, in Cardinalium cœtum ab eodem Eugenio aſcitum,in quo numero præcipua cum authoritate & laude, ad ſupremum vſque diem vixerit.

De Leontio Antiocheno Patriarcha.

POTERAM hoc in loco nõ paucos huiꝰ ordinis viros, qui repulſam aliquãdo paſſi,non multo poſt maiores multò honores ſunt adepti cõmemorare,eiſdẽ repulſis,atque reiectis, qui illos pręceſsiſſent antea: ſed vnus hoc in loco mihi ſatis erit Leontius ſacerdos,qui priuati ordinis vir dãnatus à Põtifice, nõ multo poſt nõ ſolũ loco

ſuo reſtitutus eſt, ſed etiam Antiochenum Patriarchatum eſt adeptus. Magnum fortunæ exemplum: quippe qui in ordinem redactus deinde in eam dignitatem ſit euectus, vt inter diui Petri apoſtolorum principis, & Ignatij ſucceſſores, adnumerari poſsit.

De Theodoſio Saguntino Epiſcopo.

DETVR & hoc in loco par ferè exemplum Theodoſij, qui ſacerdotij dignitate priuatus ab Eugenio Pontifice, mox reſtitutus à Gregorio quarto, Saguntinæ præfuit eccleſiæ non mediocri ſua cum laude & cum Saguntinorum omnium vſu non vulgari.

De neceſsitate. Cap. VI.

VIX certè adiicere animũ potui, vt hoc in loco neceſsitatis truculentiſsima tela, quæ ciuitatem noſtram penè contuderint repeterem, quippe quæ refricare memoriã ſuperiorum malorum viderentur, quę etiã ſi externi legant, non poſsint non animo cohorreſcere. Eſt quidem neceſsitas ipſa, quod diffiteri non poſſumus, ſæuum, aſperúmque nimis interdum in rebus humanis telum, quam certè vt nunquam lau-

des aut probes, etſi fælicior aliquando ſequatur euentus. Deum igitur immortalem aſsiduis precibus fatigemus, ne vnquam vel publicè, vel priuatim hæc ipſa neceſsitas nos aliquò impellat. Vel ſi ſemel etiam contigerit, huiuſce rei memoria quamprimum ex animis elabatur, ita vt poſteri gratulationem nullam ſentiant deploratę huiuſce ſalutis. Erat virginei partus annus milleſimus trecenteſimus quadrageſimus ſecundus, quum in Bartholomæi Gradonici locum ſubrogatus eſt Andreas Dandulus, ídque præter conſtantem ciuitatis morem, iuuenis admodum, natus videlicet annum xxx. id quod tamen, & ciuis probitatem & virtutis cuiuſdam admirandæ indolem in eo principe facilè arguat. Fuit enim & literis ſuprà penè quàm tempora illa ferrent, ornatiſsimus, & vitæ colore omni adeò florens, vt omnia eius dicta, factáque reuocari ad optima vitæ exempla poſsint. Hic igitur dux facilè demonſtrat quanta ſit neceſsitatis interdum vis, cui nulla virtus nulláque bonitas queat obſiſtere. Quippe qui primum in vrbe ſenſerit grauiſsimum terræ motum: quo vno tantum concuſſa eſt vrbs ipſa, vt ex omni parte ferè corruerit, ſacrarum certè ædium

turres interdum inter ſe diſtantes teſtimonium dixerint. Primum enim diui Syluestri magno interuallo à fundamentis corruit: necnon diuorum Vitalis, & Iacobi, qui ad Luprium eſſe dicatur, faſtigium dimiſere &ad Angeli Phanum terribili ſpecie acclinauit, Baſilij leuum templi latus à culmine corruit. Id quod non ſine admiratione in hodiernum vſque diem ſpectes. Acceſsit ad hoc malum tam graue, & fames ipſa longè grauiſsima, nec poſtea defuit peſtilentia, quæ ſortita initium ab extremo ſeptentrione, graſſatáque per vniuerſum orbem cum magna terrarum vaſtatione, non multo poſt Venetias ipſas quoque irrepſit, vt à principio vis morbi ſit cognita, mutuo ſe amore inuiſentibus ſe inuicem opémque ferentibus prout vſus exigeret. Verùm paulatim inualeſcente ſic deſeuijt malum, vt vix centeſimus euaſerit. Quæ cauſa effecerit, vt lata lege promulgatum ſit, vt quicunque Venetias per id tempus migraret, bienniúmq; perſeueraret, ciuis Venetus haberetur. Quum etiam dux ipſe non multo poſt obijt anno duodecimo peracto, & ne quod malum deeſſet, Marinum Faletrum ſucceſſorem habuit.

De eadem ciuitate.

QVANTVM neceſsitas ipſa mali vrbi intulerit, facilè quiuis hactenus percipere potuit, hic neſcio an maiorem neceſsitatis vim irruiſſe dicam Liguſtico bello, quod ad Clodiam longè immaniſsimum eſt geſtũ, in quo ſanè bello ita vexata Reſp. eſt, vt & multiplex hoſtis vndique inſtaret, & amiſsis omnibus ipſam denique Clodiam Ligur hoſtis occuparit, in ipſiſque aquis noſtris & ſtagnis Ligur hoſtis inſultabũdus vbique immineret, de vrbis ipſius excidio penitus cogitans. Quare coactus Senatus & ducem ipſum ſæuiente hyeme ſeptuagenario maiorem claſsi præfecit, ad vindicandam Clodiam, & triginta familias, quas populares appellant, in patriciũ ordinem aſciuit, vt maiori conſtantioríq; animo libertatem ipſam tueri quiſque vellet. Ad hæc fames valida ſic vrbem opprimebat, imminente vndique hoſte, proximíſque omnibus diſsidentibus, nihil vt iã ſupereſſet vnde alerentur ciues. Quæ tamen res feliciter ducis robore, & Senatus conſtantia poſtea ceſſerit.

De eadem vrbe.

SENSIMVS intra hæc noſtratia ſtagna hactenus acerbiſsima neceſsitatis tela: quid illud nónne grauiſsimum dixerimus, quũ Scodram ipſam iampridé obſeſſam à Turcis, dedere eiſdem coacti ſumus? In qua vix vnius diei ſupereſſet cibus & potus, quadringentíque adhuc ſupereſſent cum ipſis fœminis, qui Venetias reducti, beneficiíſque ingentibus affecti, mori intra mœnia ſua mallent.

De eadem ciuitate.

DIV multúmque mecum tacitus animo agitaui, vtrũ hoc ipſum, quod ſequitur attexerem, quod vtinam malorum ſit poſtremum. Quis enim adhuc non meminit Abduana clade nos ita afflictos Iulij Pont. in primis opera, vt nihil nobis in cõtinenti iam ſupereſſet imperij: Vrbe etiam Patauio ab hoſte oppreſſa. Qua poſtea recepta, ingenti totius Reipubli. ſtudio, Aloyſij Molini viri clariſsimi ac ſapientiſſimi conſilio, ſic éam tutati ſumus, repentina Maximiliani Imperatoris obſidione circundatam, vt non multi ſupereſſent domi Patritij, & præcipuè principis nati, qui non eò conuenerint, tantúmque eorũ opera, & ſtudio effectũ eſt denique, vt Ma-

ximilianus ipſe cum ingēti exercitu, re penitus deſperata, domum diſceſſerit.

EXTERNA.

De Balduino Imperatore Conſtantinopolitano.

VENDICAVERIT ſibi primum locū inter externa Balduinus Imperator, qui vſque adeo neceſsitate rerum omnium, & præcipuè pecuniæ oppreſſus eſt, graui hoſtium obſidione intra Byzantina mœnia compulſus, vt primùm ſacra templorum vaſa, tum reliqua ornamenta diſtraxerit. Plumbum deinde, quo ſuperiorum ędium ſacrarū partes tegebantur abſtraxerit. Nouiſſimè, ne quid mali deeſſet, vnicum filiū Venetis etiam tradiderit oppignorādum, id quod (vt opinor) ſtomachum legētibus omnibus mouerit.

De fame Italica.

SED vt redeam ad nos ipſos, intra Italiæ fines, quis neſciat Gotthicis temporibus Romam vrbem ipſis Gothis ſic euerſam funditus vt ne vllus quidē ingredienti Belliſario qui illū reciperet occurrerit:

ſed nec occidentem Gallum audieris. Huc adde reliquam Italiam, & pręcipuè Ciſalpinam Galliam, tanta famis neceſsitate laboraſſe, vt mater filij carne à ſe interfecti veſceretur. Id quod Darius Antiſtes Mediolanenſis memoriæ mandarit.

De Barulana fame.

OBSIDEBANT Galli Gõſaluum Agidariũ ab initio ĩtra Baruli mœnia, quod Apuliæ oppidum nequaquam contẽnendum ſit. Obſidebant autem tanta animorum obſtinatione Galli Hiſpanũ hoſtẽ, vt nihil omnino intra oppidũ inferri poſſet, quare Gõſaluus, & reliqui milites de ſcutis ſuis pellem trahere ſunt coacti, quibus excoctis accurratius vterentur, frumenti reliquorúmque cibariorum loco.

De precio Aſinini capitis.

QVIS quęſo lecto hoc exemplo ſummæ neceſsitatis primùm non rideat, mox ſecum animo voluens quanta ſit neceſsitatis huiuſce tyrannis non tum demum ingemiſcat? Aſininũ caput octingentis denariis argenteis, quum Samaria Syriæ ciuitas grauiſsimè obſideretur, væniiſſe? Sed tandem reuocemus ſtilum hac parte, & ad

alia minus triſtia tranſeamus.

De teſtamentis quæ reſciſſa ſunt. Cap. VII.

De Publio Virgilio Marone.

ADMIRABVNTVR fortaſſe non parū ij,quibus noſtratia hæc legendo occurrerint,quum Publij Virgilij Maronis exemplum hac in parte à me propoſitum viderint,in quo vates eminētiſsimus duodena Aeneidos volumina comburēda teſtamento iuſſerit. Quaſi verò indigna poſteritatis lectione cenſeret, quibus ſupremam manum non impoſuiſſet.Quod certè eminentiſsimi poëtę iudicium non poſſes non ſummis laudibus extollere, ſi integro animo extremam eius ſententiam exquiras,tecúmque voluas . Quid enim Aeneide ipſa præſtantius? quid excellentius?quid diuinum magis? vt meritò Papinius poëta ſuam Thebaidem admoneat,ne diuinam Aeneidem tentare auderet , ſed longè eam ſequeretur, eiúſque veſtigia adoraret. Quod nequis vnius tantum poëtæ teſtimoniū negligere audeat,faciet Auguſti principis lōgè maximi iudiciū,vt qui

delatas ad ſe teſtamenti tabulas,ſtatim reiecerit,iuſſeritque diligentius eas aſſeruari,nequis vnquam in huiuſmodi ſententiã tranſiret. Nõ poſſum autem præterire hoc in loco Auguſti principis carmen,quo ſupremum vatis iudicium omnino repudiat, quod tale planè eſt.

Ergo ne ſupremis potuit vox inuida verbis
Tã dirũ mãdare nephas? ergo ibi in ignes?
Magnáque doctiloqui morietur muſa Maronis?

Et paulò poſt.

Frangatur potius legũ veneranda poteſtas,
Quàm tot congeſtos noctesque dieſque labores,
Hauſerit vna dies: viuat Maro doctus vbiq;

De Ianuario presbitero.

TRANSEVNTIBVS nobis in præſentia ad recentiora huius ætatis exempla,occurrit memorabile Auguſtini Epiſcopi in Ianuarij ſacerdotis teſtamentum iudiciũ. Quiquidẽ in terra Africa natus, & alitus, quum magnam vim pecuniæ non ſatis honeſtè partam cœnobio cuidam ſupremis teſtamenti tabulis relinqueret,cui adminiſtrãdo Auguſtinus ipſe præeſſet,irritas omnino

mnino eas fecit, & ad geminos ſacerdotis liberos, legitimè illi æditos legatam pecuniã trãſtulit. Iuſtius eſſe cenſens, vt paruuli filij inopes qualemcúnque parentis hæreditatem potius adirent, qua ſeſe ſuſtentarent, quàm vt opulentum Cœnobium, quæſitam fortaſſe malè pecuniam caperet.

De Aureliano Carthaginenſi epiſcopo.

ADMONET nos Auguſtini memorabile decretũ, ne Aureliani epiſcopi Carthaginenſis obliuiſci velimus, qui Carthaginenſis ciuis ſatis opulenti teſtamentũ irritum fecerit. Legauerat autem is Eccleſiæ vniuerſa bona ſua ſeruato tamen vſufructu ſibi dum viueret: cui poſt teſtamẽti tabulas, filij nati fuerunt. Quorum ille nequaquam meminiſſe voluerat, quaſi verò impium fore credidiſſet, ſi quæ bona ſacra ſemel eſſe ſtatuiſſet, ad liberos recens genitos transferret.

De Ludouico Patauino Cardinali ac Patriarcha.

FACIT exemplum ſuperius Aureliani epiſcopi à me repetitũ, vt ætati noſtræ quoque fauens iudicium Pauli ſecundi Pont. Max. non aſpernandum duxerim. Ludo-

uici enim Cardinalis Patauini teſtamenti tabulas ex parte ea irritas eſſe decreuit, in quibus ille magnam ſuorum bonorũ partem, cum graui ſeculi infamia reliquerat. Siquidem Paulus Pontifex, & ſibi qui teſtandi ius reliquerat, & ætati ſuæ conſultũ eſſe maluit, ſacrorúmque hominum bona, quibus illi diu erant vſi, diſsipari nequaquum voluerat. Vtinam verò exemplum hoc ipſum noſtra hac ætate perduraret.

De teſtamentis quæ rata manſerunt.

Cap. VIII. De Ludouico Corteſio.

RIDICVLVM videri poterit omnibus ſupremum Ludouici iudicium: qui teſtamenti tabulis ſuis, quum hæredes legitimè inſtituiſſet, iis tamen hoc oneris impoſuit, vt cadauer perducẽtes vrbani omnes tubicines eum ſequerentur. Quod cum hæredibus ſuis graue alienũque à dignitate ſua videretur, non tamẽ adduci potuere, quin volũtatem illius approbarẽt, ipſáſq; Corteſij exequias, magno longóq; tubicinum cantu perpetuo celebrarent. Sępe animo voluẽtes ſupremas hominum voluntates, quoad eius fieri poſsit, ſanctè eſſe ſeruãdas.

De Antonio Leonino Genuenſi.

VT accuſare Ludouici Corteſij factum nequaquam poſsis, ſic certè Antonij Leonini Genuenſis ciuis, prudens ſanè conſiliũ magnopere laudes. Qui graui valetudine iam ſenex laborans, familiam omnem ſuam ſeruilem ad ſeſe euocans ita allocutus eſt (quando nemo domi eſſet, qui conſanguinitatis vinculo illũ colere ſtudioſius poſſet.) Adeſte huc omnes, & erectis animis attendite, quæ dicã. Ego iam ſenex morbo etiã grauiore oppreſſ9, vos omnes, admoneo, vt mihi diligentem operã adhibeatis omnes. Nam ſi morbi vim euaſero incolumis, vos omnes liberos eſſe iubeo. Quod ſi aliter contigerit, vt mihi moriendum omnino ſit, vos omnes eodem ſeruitutis iugo obnoxios eſſe velim.

Qui aduerſus opiniones hominũ hæredes habuerunt. Cap. IX.

De Conſtantio Imperatore.

VENDICAVERINT ſibi locum hunc principes, quorum princeps Conſtantius multo maior, Conſtantiníque filius dum variis & grauibus certaminibus grauatus, imperium obtineret, Iulianum fratris filium apud Perſas tunc agentem, Auguſtúmq; militari factione, ductũ, dum

contra illum magnis copiis contenderet, grauíque interim morbo opprimeretur, apud Mopſucrenem ad Tauri montis radices moriens, Iulianum infeſtiſsimum ſibi hoſtem, & de religione Chriſtiana male meritum, hæredem teſtamento inſtituit.

De Philippo Maria, duce Mediolanenſi.

QVIS in hoc principe non eandem, parémque fortunam admiretur? Habuerat is duces rei militaris clariſsimos, & de ſe optimè meritos, habuerat Franciſcum Sfortiam generum Blanchæ filiæ ſuæ maritum, cui ſemper viués fauere viſus eſt: & tamen moriens neglectis omnibus ſibi cõiunctiſsimis, nec filiæ ſuæ memor, infeſtiſſimum ſibi antea Alphonſum Arragonum regem imperij totius hæredem reliquit. Vt omittam alienigenam illum, nec Italici ſanguinis ſatis amantem.

IOANNIS BAPTISTÆ EGNATII, LIBER OCTAVVS.

Rei quibus de cauſis abſoluti, aut damnati ſunt. Caput I.

De Carolo Zeno.

Vix certè fieri poteſt, vt à Caroli zeni memoria ſtilus diſcedat, ſi quod tãdem occurrit, vel variãtis fortunę, vel pręſtantis virtutis inſigne aliquod exemplũ. Accipiant igitur poſteri quod Carolo Zeno memorabile in primis contigit. Qui poſt pręclaras res domi, foriſque geſtas, accuſatus quaſi pecuniam à Franciſco Carario accepiſſet, quam conſtabat ex illius libris, quos ipſe Carolus exhibuerat, non eſſe perſolutam, tametſi Carolus re ipſa probaret datam illi in exilium agenti ab ſe mutuo; non valuit tamẽ tantum vel viri ipſius autoritas, vel innocentia, vel Patauiũ ipſũ ſua in primis virtute receptum, quin condemnaretur, & in carcere bienniũ ageret,

procuratoria dignitate inſuper priuaretur. Fuit igitur ea conſtantia vir, vt per annos illos duos nunquam ſupplex alicui fuerit, nihil ſibi remitti de carceris pœna expetierit, totúmque illud biennij ſpacium in literis, doctorúmq; hominum cõſuetudine, qui frequentiſsimi ad eũ ventitabant, conſumeret.

De Victore Piſano.

FVERAT hic ipſe Victor variis Reip. temporibus rerum maritimarum gloria, & laude vir ſanè celebris, ſed Liguſtico bello ad Polam quũ imperator maritimæ rei præeſſet, victus à Luciano Auria Genuenſium præfecto. Idque certè non ſua ignauia, aut imperitia, ſed quorundam præfectorum negligentia. Statim carceri includitur Venetias reuerſus; condemnandus, quaſi ſuo ductu, & auſpicio, nõ aliena culpa victus eſſet. Cæterum quum Genuenſis hoſtis quotidie magis inſtaret, inſtructáque valida claſſe, iam Clodiam, & proxima quæque loca occupaſſet, cœptæ ſunt audiri in vrbe voces, Piſanũ ipſum in tanta rei neceſsitate vnũ qui ſummæ rei præficeretur. Quod quũ patres quotidiæ magis exclamari audiſſent, reíque neceſsitas

id exigere pręcipuè videretur, Victorẽ ipſũ publico decreto carcere ſoluendũ cenſuerunt. In quo homine illud quoq; maximè memorandũ eſſe videtur, quod in ipſo carcere ſacerdotẽ aduocarit, reũq; ſe ſuorũ criminũ de more noſtro profeſſus eſt, ita tamen, vt & patriæ, & priuatis hominibus omnibus veniã tribueret, nunquã ſeſe iniuriæ illus memorẽ fore. Qui mane ſequẽtis diei carcere ſolutus, Nicolai inuiſit ædem, ſacríſq; ritè litatis, euchariſtiam ſumpſit, móxq; hilari frõte patres adijt, pollicitus ſe & ſua omnia pro patriæ dignitate, & libertate, memorem perpetuò fore. Quare dux & patres mox illũ ſummæ rei maritimæ præficientes, tanta lætitia vniuerſos affecere ciues, vt vniuerſi gratulabundi in Aream Marcianã cõuolarint, illúmq; domum deducerent, omnem ſuam operam pollicentes.

De Antonio Grimano.

IDEM aut parum quidem diuerſum à ſuperiori videri legentibus poterit, quod de Antonio Grimano, qui poſtea dux fuit, exemplum mox referam, quod vnum nouum inuſitatúmque in Veneta Republica, noſtra ætate contigit. Is igitur cum

bello Turcico Imperatorem in Peloponneſo ageret, ingenti claſſe neſcio quo fato, & Methonem oppidum, & reliqua continentis Græciæ caſtella amiſiſſet, claſsíſque etiam Turcica incolumis abijſſet, domum reuocatus eſt, carceríque incluſus coactus eſt cauſam ſuam agere in maiori comitio. Relegatúſque intra Dalmatiæ Inſulas, indicta pœna, ſi fines violaſſet. Cæterum ille, quũ aliquot dies priuatus omni dignitate ibi egiſſet, mox ad filium Cardinalem transfugit, cuius etiam opera adiutus, ab exilio reuocatur, dignitáſque illi procuratoria primũ reſtituitur. Hinc defũcto Lauretano principe longè clariſsimo, illi ſubrogatùr dux.

De Iacobo Foſcaro.

HVIC dicta dies eſt, quòd frequentius ampliſsima oblata munera recepiſſet, quæ recipere principis familia nequaquam poterat. Quod quum negare non poſſet, in exilium eſt miſſus, Cretæque Inſulæ finibus incluſus. Verùm ille diſsimulata aduerſa valetudine, quum apud Tergeſte diu ſubſtitiſſet, tandem domum reuocatus eſt. Idem poſtea etiam accuſatus, quòd Hermolai Donati autor interficiendi fuiſ-

ſet,quamuis tortus,nunquam id faſſus eſt. Quòd certè etiam falſum poſtea depre- hēſū eſt, graui tamē exilio iterū dānatur.

EXTERNA.

De Athanaſio Epiſcopo.

VIDERI noſtra hæc commentatio le- gētibus maioris certè momēti poterit hac in parte,quando ad diuū Athanaſium nūc oratio propius accedat, vt non poſsis non vehementer admirari, ea tempeſtate tàm ſceleratos,& impios non paucos extitiſſe, qui Chriſtianam pietatem profiterentur, & qui auſi ſint hominem ſingulari pietate ac doctrina, vt omittā patriarchali digni- tate inſignitum, falſi criminis nomine in iudicium vocare: tanta animi peruicacia, vt illum latere in ciſternæ fundo non pau cos annos coëgerint. Qui tandem Dei Opt.Max. auxilio re ipſa veriſsimo poſt- ea indicio comprobatata, ſic conſtitit, vt & illi ſceleſtiſsimi ſint deprehenſi, qui A- thanaſij nomen detulerant, contráque D. Athanaſius celeberrimus euaſerit. Cuius corpus ad nos Iuſtinianorū opera delatū, Iudaicæ vico, ſanctæque Crucis templo, penes veſtales optimi nominis pia ſancti- tate colitur.

De Bricio Turonenſi Epiſcopo.

QVIS non diuinam prouidētiam prę-eſſe in rebus humanis interdum nō dubitet, quum tacitus ſecum admiretur Bricij Turonenſis Epiſcopi, qui diuo Marciano ſucceſſerat, caſum? Accuſatus enim à perfidis ſceleſtíſque, quòd ſeruam ſuam violaſſet, quæ domi ſuæ pepererat, quum ille conſtanter id negaret, neque illa tamē ſerua delictum inficiaretur, in exilium tamen iudicum iniquiſsimorum ſententia actus eſt. In quo ſeptem annos ita vixit, vt tandē poſtea patefacta re, duobus ſucceſſoribus intra hoc ſpatium vita functis, priſtinæ dignitati etiam nollēs ſit reſtitutus, hodiéq; ad hęc, inter diuos noſtrátes colatur. Viuat igitur apud nos diui Athanaſij memoria, viuat & floreat Bricij Antiſtitis nomen, vt vtérque autoritate ſua ſanctiſsima innocētiſsimum quenque tueri poſsit, & valeat.

De diuo Ioanne Chryſoſtomo.

TERTIVS accedat diuus Ioannes Cōſtantinopolitanus antiſtes, ob auream loquendi vim Chryſoſtomus cognomento dictus, qui certè primum locum hac in parte meruiſſet, ſi non ætate poſterior fuiſſet.

Is igitur conuocata Synodo Conſtantino polim, principis etiam authoritate, Theophilum Alexandrinum Antiſtitem euocarat, quem grauiſsimorum criminum in Chriſtianam pietatem reum Synodi iudicio damnãdum exhiberet. Ille verò quum Conſtantinopolim veniſſet, magna ſuorũ manu comitatus, tantæ fuit audaciæ, vt & ipſe intra vrbem concilium celebrarit, ad quod ipſum Ioannem citare non dubitarit. Cæterum quum nihil ſupereſſet, vnde Chryſoſtomo negotium faceret, vt inuidiam illi apud principem cõflaret, quaſi Auguſtam vxorem eius Iezabellem in publica concione nuncupaſſet, iuſſu principis in exilium actus eſt. Sed quum grauis terræ motus vrbem ipſam ſtatim concuſsiſſet, vniuerſæ ciuitatis ſtudio vir innocentiſsimus ſuæ ſedi reſtituitur. Quod tamen diu obtinere non potuit, prægrauante inuidia, quòd populi conſenſu, non principis autoritate, non ſynodi ſententia, in ſuam ſedem redijſſet. Quare vita functus exul Chryſoſtomus, diem ſupremum obiit.

De Narciſſo Hieroſolymitano Antiſtite.

PLVRIMA ſunt in te Narciſſe,quæ nos admirari imprimis debeamus,ſed illud præcipuum fuerit, quòd falsò accuſatus, triúmque teſtium dictis falſis oppreſſus, iudicum ſententiæ quàm celerrimè obtemperaſti. Relicta enim ſede,quam per multos annos obtinúeras, in tua deſerta ita cõceſsiſti, vt non facilè ab vllo inueniri poſſes. Quo tempore diu deliteſcens aliquot ſucceſſores habuiſti. Cæterum, conuictis mox teſtibus, grauibus ſupplicijs, vt primus ex his cum vniuerſa domo conflagrauit, alter, regio morbo correptus obierit, tertius luminibus ſit captus. Quibus pœnis ſeſe ſinguli antea obſtrinxerant, ſi falſum teſtimonium coram iudicibus dixiſſent. Narciſſus tandem inuentus priſtinæ dignitati reſtituitur:quam ita poſtea rexit, vt eius memoria apud poſteros diutiſsimè floruerit,inſigni etiam miraculo honeſtatus. Qui aquam ſanctiſsimæ paſchatis die, quando oleum defeciſſet,infundi luminibus iuſſerit. Quæ quamprimum in oleum verſa ſic eſt accenſa,vt omnibus ſpectaculo eſſet.Cuius rei Euſebius in ſuis chronicis atteſtatus,reliquias nonnullas ad ſuam vſque ætatem perduraſſe.

De priuatis Iudicijs.

De Gregorio Neocæſarienſi Epiſcopo.

POSTQVAM publicis iudicijs priuata iure optimo ſubnectũtur, vnum hoc inſigne in primis in fronte collocari debere viſum eſt, in quo ſanè multa mirabilia cõtigerint. Erat Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus ſua tẽpeſtate maximè celebris, vel vitæ ſanctitate, rerum vſu, atque prudẽtia. Hunc fratres duo diu inter ſe contendentes de lacu vnde piſciũ copia ſanè multa caperetur, iudicem delegêre, qui ſuis diſcordijs finem imponeret, vnde grauia inter ſe odia ad eam diem exercuiſſent, multíq; etiã interfecti eſſent. Ille verò nõ pauca fruſtra expertus, vt fraterna beneuolẽtia reſtitueretur, quum omnia incaſſum tẽtari à ſe vidiſſet, nec fraternæ gratiæ reſtituendæ locum eſſe, vtrũq; ad ipſum lacum deduxit. Duobus igitur fratribus & multis præterea rei euentum cupidè expectantibus, Gregorius ipſe erectis in cœlum manibus Deũ precatus eſt, vt huiuſmodi liti finem imponeret: quod ſtatim ſubſecutum eſt, vt & aqua in lacu nulla ſupereſſet, nec piſcis nataret amplius vllus.

De Aimo Sabaudiæ comite.

SVBNECTAM, certè eo libentius inter externa iudicium hoc Aimi Subaudiæ ducis: quando Venetorum memoria in re tandem confecta intercedit. Contendebát inter ſe fratres duo Manuel, & Andronicus vter eorum patri ſuccederet, qui Caloianes dictus Byſantij tunc rerum potiebatur. Et Andronicus quidem ad certam imperij ſpem alendam Genuenſibus præcipuè fauebat, quibus Tenedum inſulam dono dari à patre omni ope ſtudebat: contrà Manuel in Venetorum gratiam maximè adnitebatur, qui arcem à ſe conſtructá obtineret. Quum inter ſe in primis fratres diſsiderent, Aimum Sabaudiæ ducem ſupremum arbitrum delegêre. Qui prudenter omnia agens, fratribus quum perſuadere nihil omnino poſſet, finem tandem ſuo arbitrio impoſuit: ita vt Veneti arce diruta domum recederent, nec Genuenſes inſulam vllo modo retinerent.

Quæ mulieres literis & eruditione præſtiterunt. *Cap. II.*

NEMO certè, niſi idem iniquiſsimus, me reprehenderit, quòd tantiſper à Valerio noſtro diſceſſerim, vt quod caput inſcriptum eſt ab illo, quæ mulieres apud

magiſtratus pro ſe aut alijs cauſas egerunt, ego (quum nullum apud noſtrates huius impudentiæ extaret exemplum) ita inſcripſerim.

De Caſſandra fidele virgine Veneta.

NEMIMEM tàm audacem, támque temerarium fore arbitror, qui Caſſandræ fidelis Venetę exemplo a me repetito, plus certè patriæ amori, quàm veritati tributũ putet, quum adhuc ſuperſint, qui Caſſandram ipſam viderint in Gymnaſio Patauino, diſputantémque audierint. Hæc igitur puella ingenij dotem præferens, non literis tantum ſed muſicę ſtudio delectata, cũ ſumma omniũ admiratione cytharam pulſans frequenter audita eſt. Ingenio autem tantum excelluit, vt verſus etiam improuiſo celebres caneret. Pataujum quoque profecta ſæpe diſputationes publicas cum ſumma ſua laude ſit experta. Quinetiam liber adhuc extat ab ea editus, cui titulus eſt, de ſcientiarum ordine, qui certiſsimus teſtis ingenij, & doctrinæ eſſe poteſt.

De Roſuida Saxona.

CVI noſtrûm perſuaderi vnquã potuit,

penes Germanos, inter Saxones fuiſſe Roſuídam, hoc nomine dictam, quæ adeò literis claruit, omníque literarum eruditione excelluit, vt vix inueneris etiam intra Italiæ fines, quem virgini illi conferres. Floruit autem Ioanne Pontifice Maximo, qui poſtea fœmina deprehenſa eſt, Lotharióque imperatore huius nominis apud Germanos primo. Et ne quis falſò ſuſpicetur hanc tantam laudem illi attributam, id tẽporis extabant apud omnes ferè comœdiæ ſex, extabãt orationes nõ vulgares. Quid quod heroico carmine, res à tribus Othonibus geſtas, ſumma cũ laude eſt cõplexa?

De Eliſabeta Germanica Abatiſſa.

VENDICAVERIT ſibi Germania in ſecunda hac fœmina alteram laudem, quæ Eliſabet dicta, plura ſcripſit ad Veſtales ſuas, de vijs quibus ad cœlum aſcendere poſsimus. Legebantur etiam epiſtolarum aliquot libri, etiam à doctis, non ſine admiratione: quando terra Italia ea tempeſtate Latinas literas penitus amiſiſſet.

De Baptiſta Malateſta.

QVAE Baptiſtæ nomen fœmina retulit, vna ex Malateſtarum familia, quæ tũc Piſauro

ſauro

ſauro imperitabant, Galeatium patrem habuit, qui adultam filiam, & nubilem Guidoni Monteſeltrenſi Vrbinatium duci tradidit, quæ aſsiduis diſputationibus cum viris doctiſsimis claruit, quæque ingenij ſui monimenta reliquit non pauca, libros de humana fragilitate, & de vera religione, quos ſummo ſtudio omnes legerunt, quicunq; intra Italiæ fines tunc literis excellerent.

De Iſota Nauarola virgine Veronenſi.

NON obſcurabitur à me in præſentia Iſotæ Nauarolæ Veronẽſis debita laus, quę Nicolao quinto, & Pio Pontificibus tunc floruit cum Theologiæ ſtudio, tum etiam eloquentia, addita ad tam egregiam virtutem perpetuæ virginitatis propenſione & cõſtantia. Scripſit autem ad ipſum Nicolaum quintum, Piúmque ſecundum Pont. Maxim. non pauca, quæ illi cum ſumma commendatione lectitarent, poſteríſque tradere ſummo ſtudio niterentur.

De Quæſtionibus. Cap. III.

De Iacobo Foſcaro Franciſci Foſcari Ducis filio.

Q

MAGNA ſemper in publicis iudicijs quæſtionum vis fuit ad veritatem diſquirendam criminum, improbéque factorũ. Vt tamen oporteat iudicem prudentem eſſe, neque ſemper eis credere, quod quidem hoc Iacobi Foſcari exemplo in primis patefiet. Interfectus fuerat ex decẽuiris vnus Hermolaus Barbarus, authoritatis ſummæ vir, dum domum rediret noctu ex Senatu profectus. Qui quum ſeruum tantum à manu, qui lumen præferret comitem ſecũ duceret, mox extincto lumine non procul ab ædibus ſuis interfectus eſt. Huius autor tanti facinoris ex plebe fuerat, qui ob adoleſcentem amatum à ſe, in carceréque diu habitum, tormentíſque grauiter affectum, ipſius Hermolai ſententiam decemuiralis præfecti iniquo animo tulerat. Cæterum quũ lateret facinoris tam ſceleſti au thor, qúmq; in ciuitate tam pacis, & quietis cupida, permoleſtum nimis eſſet, tandẽ viſum eſt nonnullis etiam deferentibus Ia cobum Foſcarum ducis filium authorem fuiſſe patrati criminis; quoniam vniuerſę ciuitati cognitum, perſpectúmque erat, acerbas inimicitias, & pergraues inter ipſum Iacobum, & Hermolaum ad eã diem extitiſſe. Ductus igitur in carcerem gra-

uiſsiméque tortus, etiam aliquando ſentiente patre, qui publicis negotijs præerat, nunquam adduci potuit, vt ne crimen quidem vnquam cogitatum à ſe fateretur. Ille verò publico tandem indicio in Cretam inſulam relegatus eſt. Quo denique mortuo patrati ſceleris author moriendo confeſſus eſt, à ſe ſolùm tam audax facinus eſſe patratum, odij acerbitate in Hermolaum accenſo.

EXTERNA.

De duobus adulterij accuſatis.

QVANTVM iudex prudentia præſtare debeat, vel hoc vno exemplo admoneri poterit, quod à Diuo Hieronymo relatum mox accipiet. Teſtatur enim ille Vercellis maritum fuiſſe, qui innocentem vxorem adulterij ream fecerit. Quæ conſtantiſsimè huiuſmodi crimen nunquam confeſſa, in carcere tamen ſic aſſeruata eſt, vt non facilè illi crederetur, & præcipuè quum tortus iuuenis, criminis huiuſce reus tormentorum vim nõ ſuſtinens ſeſe criminis obnoxiũ fatereť. Quare dãnato à

iudicibus iuuene,fœmináq;,vt capite ple-
ɑ̃erentur,ductus in publicum iuuenis ſta-
tim primo illato vulnere interfectus eſt:
quum verò ad fœminam ventum eſſet, cu
ius collum tortor peteret,omnes illius co-
natus irriti fuere. Poſtremò verò vulnere
affecta quum mortua crederetur,cadauér-
que eius efferretur, viua domum deducta
eſt,curatóque breui vulnere,pudicitię in-
nocentiæq́; ſuæ ſuperſtes quoad vixit te-
ſtis fuit cui omnes crederent.

De Aretaphila Græca.

NE fortaſſe vni tantum teſtimonio cre-
datur,quod tamen vir ſummæ authorita-
tis Hieronymus memoriæ mandarit, par
ferè Aretaphilæ teſtimonium à me refere
tur.Fuit hæc vxor Nicocratis Cyrenenſis
tyranni,quæ iniquo animo ferens patriam
à marito oppreſſam,conſilium inierat eius
de medio tollendi. Quo crimine ad Cal-
uiam matrem ſocrúmque Aretaphilæ de-
lato,quum ſæpe tormentis etiam ſocrus i-
pſa veritatem exquireret,nunquam tamen
aliquid faſſa eſt. Quare merito reſtituta
eóque veneno ſublato,libertati patrię tan-
dem eſt conſultum.

De teſtibus. Cap. IIII.

De Cicerone.

NVNQVAM poſsim ſine graui flagitio tametſi repetitum à Valerio, prætermittere quod Ciceroni Latinæ eloquentiæ parenti, præter omne ius æquúmque teſti contra Publium Clodium accidit, qui inceſti reus violatǽque religionis bonæ Deæ, quę apud Romanos ſumma pietate coleretur, quum id omnino verum eſſet, Ciceróque ipſe, & conſularis & Patriæ Pater, & Latinæ eloquentiæ parens teſtimonium hac ſuper re dixiſſet, inuenti tamen iudices ſunt, qui P. Clodium facilius patrati incæſti reũ quàm Ciceronem patriæ patrem periurij crimine liberarint.

Qui quæ in alijs vindicarent, ipſi commiſerunt. Cap. V.

OCCVRRERVNT mihi Venetorũ antiquorũ exempla, quę ſi cum noſtræ ætatis conferantur, non poſsis non maximè admirari, quonam huic loco in primis congruere videantur. Nam cum centum abhinc annis noſtræ ciuitatis mores; & inſtituta tecum animo voluas, & quum recentioribus noſtris compares, facilè animaduertas, quæ maiores noſtri præcipuè vin-

dicarunt odióque in primis habuerunt, ea maximo ſtudio ac pręcipuo cultu recepta. Quis enim neſcit maiorum iudicio pro nefarijs ciuibus propè eos eſſe habitos, qui agros in continenti poſsiderent? extãt adhuc aliquot conciones in ſenatu habitæ Thoma Mocenico duce clariſsimo, quibus ſuadet abſtinere omnino publicè, & priuatim continentis poſsidendæ. Ecquid illud dicam quod ſecundo loco ſubnectimus, ſummo probro id paſsim fuiſſe, cum publicè tum priuatim ſi quis domi haberet, quíque ſacris addictus eſſet, ſacerdotiáque expeteret impẽſius. Hæc igitur duo ſũnt, vt cætera interim omittam, quę à maioribus vindicata noſtris, hodie recentiores ſic amplexi ſunt, vt vix vnam, aut alteram familiam inuenias, quę non ampliſsima latifundia ſibi pararit, quæq́ue ex liberis vnum non domi habeat, qui ampliſsima ſacerdotia poſsideat, nec maiore ſtudio quotidie flagret ea augendi.

De Eleutherio Conſt. Patricio.

QVA tempeſtate Byzantini principes magnam Italiæ partẽ Græco Imperio vendicabant, pręerat Calabrię, & Apulię Ioannes Campſinus magna cũ autoritate vir,

qui poſtea vt ſunt eorũ ingenia quos principes ſine diſcrimine fouent, breui ab imperio deſciuit. Quo accepto nuncio Eraclius,qui tum rerum potiebatur Eleutherium Conſtant. patricium vt rebellantem Ioannem Calabria, Appuliáque expelleret miſit.Ille verò Neapolim veniens paratis copijs Ioannẽ acie victũ à ſe interemit.Cuius beneficij mercedem perſoluere cupiens Eraclius hexarchatus dignitate illum ornandum curauit.Quam adeptus ille, vſque adeo immemor, & fortunæ ſuæ & imperatorij beneficij fuit,vt regem Italiæ ſeſe appellari voluerit. Id quod milites ipſi iuſtè admodum vlti ſunt, ipſoque interfecto, Eraclio partem eam Italiæ ſtatim reſtituere.

De Innocentio ſeptimo Pont.

TAMETSI latè admodum vitium hoc in hominũ genere pateat, quoniá in ſummis viris plus aliquantulum admirationis afferat, Innocentij Pont.ſeptimi libentius ſanè factum recenſebimus. Qui Vrbanũ, & Bonifacium Pont. Max. quum ipſe inter cardinales vnus haberetur arguere ſæpe ſolebat, quod de tollendo Schiſmate minus ſoliciti eſſent. Verùm quum mox ipſe Innocentius Pontificatus faſces ade-

ptus eſſet, videbatur & ipſe omnibus nihil omnino hac de re ſecum cogitare, admonentibus autem illum non paucis, Romani quidem ciues acrius inſtantes hoc ipſum ab eo exigere non dubitarunt. Qui ab eo ad nepotem remiſsi, cum idipſum exquirerent, in cubiculum introducti, eius iuſsu præcipites de feneſtris iacti ſunt.

De ſtudio & induſtria. Cap. VI.

DABITVR nunc à me ſtudio & induſtriæ locus. Cuius vires in hominum vita longè latéque patent, vt non ſolùm rem militarem illuſtrẽt, verùm & forenſem gloriam augeãt. Vt denique nihil ſit in hominum vita, vnde virtutes excellant facilius, vnde vitia expellantur, niſi hæc omniũ rerum alumna, & parens ſtatim acceſſerit. Id quod ſubiecta à nobis exempla facilè probent.

De Carolo Zeno.

AFFVERE huic viro virtutes ingentes cum domi tum foris, quæ ab eadem induſtria profectę clarum & illuſtrem illũ reddiderint, quod alijs in locis demõſtratum à me ſatis eſſe reor. Verùm nunc quũ de induſtria, & ſtudio agatur, nunq̃ præ-

terierim quem ſe præſtiterit ducem in vrbe Patauio recipienda à Cararijs principibus:, quantáque induſtria, & ſtudio in ea aſſerenda vt Veneto imperio lubens illa pareret. Quid dicam Bichinioniam Genuenſiũ nauim, quo ſtudio laboréq; quáue virtute eam expugnarit? Omittam interea qua ſua induſtria, Clodienſi bello finem propè vnus ipſe impoſuerit, quo vigore animi Cyprum inſulam à Genuenſi hoſte ferè totam occupatam regi ſuo reſtituerit. Ille verò præter militarem hanc laudem non prætermiſerim quo ſtudio, quáue cura literis boníſque artibus quotieſcunque illi otium eſſet, vacaret: vt doctos homines amicitia ſibi quotcúnque eſſent id temporis, & præcipuè Paulum Vergerium Iuſtinopolitanum ſibi iungeret. Quinetiam ne ſuæ deeſſet induſtriæ libros noctu ſibi non paucos apponi in lecto iubebat, quos vbi à ſomno vacaret aſsidue legeret.

De Franciſco Barbaro.

COEPERANT Venetijs (ex quo Andreas Dãdulus dux vrbi pręfuerat) literarũ ſtudia, quæ nulla in terra Italia per tercentũ, & amplius annos fuerãt florere. Et in his non pauci patricij ordinis viri excelle-

bant. Sed vnus mihi nunc occurrit inter principes, hic Barbarus qui ab ipſa hac induſtria incitatus,& ſtudio non literis ſolùm Gręcis & Latinis excelluit,ſed Brixiá vrbē nūc temporis clariſs. prętor miſſus acerrimè à Gallis Philippo Mediola. Duce obſeſſam,ſuis vigilijs ſuóq; labore, & induſtria Veneto imperio ſeruauit: quę quū triplici laboraret malo hoſtis videlicet acerrimi obſidione,fame, & peſte,omnibus hiſce malis,ſic ſuis conſilijs, ſic cura & vigilantia præfuit,vt nemo vnquam dubitarit eius vnius ope Brixiam vrbem ſeruatá incolumem. Satis etiam conſtat præter egregiam Brixianorum fidē,prętérq; etiam matronarum præſtitam, inter quas Braida Aduogarę gentis primaria præſtanti animo nunquam defuit,operam, nō interdiu non noctu Fráciſcū ipſum defuiſſe. Quinetiam ſi cibum ſumeret,quum publice ſemper caperet, affuiſſe illi ciues aliquot, illúmque ſemper modò pro mœnibus, modo ad portas, ſemper in publico affuiſſe. Quare quum domum rediiſſet procuratoria dignitate meritò, quæ ſumma eſt, donatus ſit,relicto poſt ſe Zacharia filio Hermolai patre.

De diuo Auguſtino.

SED quomodo te diue Auguſtine hoc loco præterire potero, qui vnus tua ætate poſt receptam veram pietatem, & vitę ſanctitate, & ſingulari omnino eruditione ita præſtitiſti, vt quem tibi cõferre poſsim induſtria præcipuè, & ſtudio certè non habeam. Nam poſt receptum ſpiritum rectũ à diuo Ambroſio Romam profectus, vbi decedentem matrem ſepeliuit, in Africam contendẽs, à Valerio Hipponenſi epiſcopo vel inuitus coactus eſt epiſcopatum recipere, quòd Græci ſanguinis Valerius Latinæ orationis haud quaquã particeps ſuo muneri non ſatisfaceret. Quæ tua igitur hac in re induſtria, quod tuum Diue Auguſtine fuerit ſtudium non facilè conſequemur. Illud verè teſtari poſſumus te ſẽper aut aliquid ſcribentem, aut aliquid legentem fuiſſe ab omnibus inuentum, vbi à publica concione vacaret. Teſtantur hoc ipſum infinita literarum monimenta partim contra hæreticos, partim pro reliquorũ inſtitutione, præſertim verò viginti libri de ciuitate Dei conſcripti: quos ſi quis legat diligentius, non poſsit, non in ſententiam meam quamprimum ire.

De Origene Adamantio Alexãdrino.

TAMETSI varient veterum ſententiæ de ipſo Origene, quod alij in multis illi derogent, alij chriſtianæ pietatis vnicum aſſertorem verè probent, nemo tamen hoc illi detraxerit, paternas opes ab eo quibus ſatis abundaret, dum catholicā fidem con ſtanter aſſereret reiectas, nemo tamen negarit ſena millia voluminū ab eo relicta, quæ diuinam quandam induſtriam & ſtudium illi affuiſſe teſtentur.

De diuo Hieronymo.

NON poſſum ſanè nō vehementer lętari ſcribendo, quum tuæ diue Hieronyme teſtimonium hodie perhibeam induſtriæ. Qui vnus intra Italiæ fines Euſebio patre natus, Romæque non paucos annos verſatus, relicta poſt vrbe ſummáque dignitate, quam merito fuerat adeptus, vt veritatem vnam retineret, in Ægyptum Syriámque proficiſci maluit. Quibus in locis diu verſatus Hebraicā Babilonicamque linguam tanto ſtudio, & induſtria cōſecutus eſt, den tibus anteroribus lima ſibi abraſis, vt vtriuſque linguæ puritatem vnam præcipuè retineret. Quod ſtudio & induſtria conſecutus, iure optimo in vertendis ſacris literis vnum ſibi locum vendicarit, quæ ho-

die apud nos ſũma cura, & laude legũtur.

De otio. Cap. VII.

QVANTVM mortales ipſi induſtriæ, & ſtudio debeãt, ſuperiora exempla facilè declararint, nunc verò, quoniam induſtriæ & ſtudio vita hominis ſemper vacare non poteſt, ſiquid ab honeſto ocio conſequi rectè poſſumus attexam, vt planè conſtet nos, ſi perpetuo labore vitã exhauriamus certè non plurimum eſſe profecturos. Sit igitur aſsiduæ contentionis noſtræ laxamentum hoc ipſum otium. Vnde certè plus vſus ac fructus in vita percipias. Cum autem te ad otium adhorter, nõ tibi illud existimes adhibendum, in quo deſidia, vitęque laſciuia locum habeat, ſed quod poſtea ad honeſtiſsima quęque accẽdere magis poſsit.

De Marco Cornario.

FEIIX igitur auſpicium dederit honeſti otij appetendi Marcus Cornarius, qui ſublato Martino Faletro loco principis creatus, dum res ipſas publicas diligentius curaret, ſemper equo vehebatur, non tàm quod ſecuriorem fore crederet, quàm quod ipſo equitandi vſu maximè oblecta-

retur. Id quod Venetiis mirum eſſe omnibus videbatur, námque eo otio equitandi delectatus, grauiores omnino pro Repub. curas ſuſtinere videbatur.

De Franciſco Foſcaro duce.

FVIT Franciſci Foſcari, principatus variis curis, variiſque moleſtiis publicis bellóque in primis Gallico cũ Philippo Mediolanenſi duce plurimos vexatus annos. In quo certè & patres ipſi, & vniuerſa ciuitas, & Foſcarus ipſe dux præcipuè laborarent. Cæterum conſtat ipſum ducem cũ otium ipſum non aſpernaretur, intra publicas res quãuis maximè ſolicitum, piſcationi operam vbi liceret impendere ſolitũ, procúlque ab vrbis ſtagnis in eo otio verſatum. Videbat enim qua ſapiẽtia præſtabat, non poſſe publicæ rei tantos fluctús à ſe ſuſtineri, niſi priuato ſolatio quãdóque indulgeret.

De Hieronymo Donato.

NON ab re inſtituta fore alienũ puto, ſi Hieronymi Donati hac in parte meminero, cuius vitam moréſque pleríque adhuc ſuperſtites recordentur. Hic igitur patre Antonio natus dũ puer literis vacaret, otij

tamen in primis amans habitus eſt. Quippe qui, & domi ſæpe cantaret, & auiculis, ſi fortè in illas incurriſſet ſeſe oblectaret. Quo animi affectu tantum tamen literis Grȩcis ac Latinis excelluit, vt quum noctu diéque libris euoluendis operam daret ſȩpe tamen muſicæ cantilenæq́ue otio caperetur. Quum etiam ſi ei liceret ab vrbe ſepe Patauium peteret, vbi egregias condidiſſet ȩdes, doctiſsimorum hominum conſuetudine præcipuè vtebatur, cum iiſque colloquia iucundiſsimè miſcere ſolebat.

EXTERNA.

De Ludouico vndecimo Gallorum rege.

GALLORVM vndecimus Rex Ludouicus, qui noſtræ ætatis Carolo vita fũcto ſine liberis ſucceſsit, iam inde à puero eã indolem præ ſe tulit, vt omnibus iam tum regio faſtigio dignus videretur. Quod tãdem adeptus eſt. Succedẽs enim in Caroli locũ plurimíſque rebus, & admirãdis geſtis. Nam & Neapolitanum regnũ expulſo Federico vniuerſum recepit. Mediolanũq́ue & alias Italiæ partes in poteſtatem ſuã redegit, ſed quũ nõ multo poſt graui morbo laborare cepiſſet, iáq; ſibi morien-

dum, ad leuandam animi moleſtiam laxamentum quærens, mures in catellos impellebat, ſæpe etiam auiculis inter ſe contendentibus decertabat, vt tamen poſt longum tempus vix conualuerit.

Quanta ſit vis eloquentiæ. Cap. IX.

MAGNA certè extitit eloquentiæ laus, in qua noſtrorum maiorum ętas præcipuè floruerit, quòd tandem ex eo cognoſci poterit, quod omnium iudicio maximè ſemper probata eſt. Nemo igitur dubitet Fráciſci Foſcari ducis virtutem in primis celebrem. Qui autor fuerit, vt Florentinis grauiter laborantibus à Venetis impetrarit, vt tandem Philippi Mediolanenſis ducis opes fregerit. Brixiam & magnam partem Galliæ Ciſalpinę Veneto nomini tribuerit, ſempérq; ea dicēdi vi fuit, vt quod ille ſemel proponeret, omnes etiam in ſenatu approbarent.

De Bernardo Iuſtiniano.

IS Laurentij Iuſtiniani Diui Marci procurator creatus, tantam dicendi autoritatem penes patres adeptus eſt, vt quod ille ſemel approbaret, patres in eius ſententiā tranſirent. Quinetiam tantum in dicendo valuit,

valuit,tantum eloquentię ſtudio viguit,vt ſi fortè graui valetudine domi eſſet,domũ patres mitterentur,qui ex eius ſententia de Rep. gerenda fœliciter conſulerent.

EXTERNA.

De Leone ſummo Pont. primo.

ELOQVENTISS. fuiſſe Leonem põtificem primùm hoc nomine nullus vnquã ambiget,quum meminerit eum vrbe Roma profectum,qui Athilæ Hunnorum regi Barbaris copijs Italiam omnem vaſtanti, nulliúſque miſerẽtis ſexus,aut ordinis, ſolus ſit auſus illi occurrere. Qui cum ita planè egit,ita planè dicendo valuit,vt quẽ nullæ rerum difficultates, quem nulla dicentis vis,aut belli terror ante mouerat(vt qui vrbem Romam vnam præcipuè peteret, id quod ille in manibus propè haberet)in Scythiam,Tanaímque,Ripheóſque montes redire ſuaſerit, relicto Italico ſolo,cœlíque huius benignitate,ſpéque potiundi Romani Imperij, quod vnum ambiret niſi ſiquis hoc ipſum ſummæ pietati tribuerit, Deúmque ipſum tanti beneficij autorem fuiſſe malit.

De Laurentio Medice.

P

VIX quiſquã credat hoc accidiſſe, quod proponam exemplum, & tamen nihil illo verius dici poteſt. Præerat Laurentius Medices Florentinæ Reip. ſumma cum poteſtate: præerátque eo potiſsimùm tempore, quo bellum longè grauiſs. gerebatur inter Florentinum populum, & ipſum Laurentium ex vna parte, intérque Ferdinandum Arragonium Neapolis Regem. Itaq́ue planè gerebatur, vt ad internecionem vtriuſque partis certaretur, vt iam nec legatis locus eſſet, non Pontificis Romani gratiæ, qui contenderet ſua autoritate, vt belli vis omnis tolleretur, páxq; inter eos conciliaretur: cum Laurentius ipſe cernens quanto in diſcrimine verſaretur Florentinum nomen, tametſi ſciret ſe vnum præcipuè à Ferdinãdo peti, quem de medio tolleret, conſtituit tamen ipſemet Neapolim nauigare hócque ipſum patriæ ſalutis cauſa. Quod cum effeciſſet ad Ferdinãdũ ipſum inexpectatus veniens, primò quidem aditu ab ipſo Ferdinando inuitus exceptus, paulatim tamen dicendo effecit, vt æquiſsimo animo auditus (tanta fuit in illo eloquentiæ vis) ſit etiam in calce eum cõplexus, vltróque dimiſſus benignè, in primis incolumis ad patrios penates redierit,

impetratáque pace, Florentinum populũ ab armis quieſcere iuſsit.

Quantum momentum ſit in pronũciatione, & apto motu corporis.

Cap. IX.

HABVIT ſemper habituráque perpetuo eſt ipſa pronunciatio maximam in hominum vita vim. Quippe vox ipſa nunc ſuauis, nunc horrida, interdum etiam vehementer ſonora mortalium animos permouet, ac flectit modò huc, modò illuc, vt te interdum ad riſum, interdum ad lachrimas ſæpe etiam ad commiſerationem impellat. Quum verò corporis motus decens acceſſerit, ipſúmque oculorum lumen incenderis, incredibile dictu eſt, quantũ momenti res ipſa habeat, quantúmque dicẽdo valeat. Et quãuis vetuſtiora exempla plura adhuc ſuperſint, quæ hoc ipſum probent, noſtratia tamen & externa recẽtiora id in primis declararint, quæ mox ſubiiciam.

De Franciſco Foſcaro duce.

CARAVAGIENSI Venetias nunciata clade, quæ longè grauiſsima fuit. Siquidem fuſæ ingentes Venetorum copiæ ita profligatæ ſunt, vt & duces ipſi ſint

capti, caſtra ipſa cum ampliſs. præda direpta. Legatus Dandulus nunquam relictis ſignis adhortantibus eum ad fugam Attédulo imperatore noſtro, & reliquis ducibus nunquam ea deſerere ſuſtinuit: ædita voce inſigni, malle ſe ibi mori, quàm ſigna relinquere à Veneto Senatu ſibi tradita. Nunciata igitur hac tanta clade, Foſcaro duci, conuocato ſtatim Senatu ſic eum cõſternatum excitauit, vt quamprimum erecti patres eius dicendi vi, & eloquẽtia, nouóque celebríque ducis facto, qui priuatã pecuniam omnem ſuã in ſenatũ transferri iuſſerat, qua ad bellum vterentur, ad hæc ſe legati nomine diſcinctum aliquantulũ in caſtra profecturum pollicitum, adeò omnium mouit animos, tum dicendi vis illius, tum profuſa coram omnibus auri copia, ipſéq; ad hæc paratus ad omnia vt ſenatuſconſultũ de bello inſtaurãdo ſtatim ſit factum, ingentéſque copiæ paratæ, quibus, & Sfortia Mediolanenſium Dux non multo poſt ſit repulſus: paceque demum ſecuta, Veneti Imperij maieſtas in ſuo veſtigio conſtiterit.

EXTERNA.

De Gregorio nono Pont.

MEMORABILE ſanè fuit exemplũ hoc Gregorij noni Pont.Max. qui Friderici tertij potentiam non ſuſtinens,fallácisque hominis ingenium,populum Romanũ ſibi maximè infeſtum recõciliare ſtuduit: partim longiori oratione vſus ad populũ, partim nouo conſilio, quod rectè initum fœliciter illi contigerit. Siquidem Petri & Pauli capita ornatiſsimè inſtructa illi oſtẽderit,quantáque vis religionis in eis fuerit oſtendens,vniuerſum populum in ſe conuertit,armáque in Fridericum ita ſumpſit, vt eum victum rebellémque animum gerentem perdomuerit.

De Laurentio Rodulpho Florentino.

CLARAM ſui nominis memoriã relinquet apud poſteros Laurentius Rodulphus in hoc laudis genere,qui orator apud Venetos ſui populi,quum ſæpe Ducem & patres adhortatus eſſet,vt pro Florentinis cõtra Philippum Mediolani ducem arma ſumerent, quúmque illi rem ipſam traherent,impetrauit tandem,vt in ſenatu præſens ipſe cauſam ageret. Tanta igitur primùm fuit eius eloquentiæ vis,tanta rerum omnium copia, deinde verò etiam vehementia, vt habita oratione, irato ſimilis

roſtris deſcendens publicè affirmarit, niſi Veneti opem ferrent, fore vt ipſi Philippũ ducem amiſſa ſua libertate Italiæ regẽ cõſtituerent, ipſi verò Veneti mox aucto imperio, imperatorem efficerent. Quod hominis factum adeò Venetorum permouit animos, vt Florẽtinos ipſos in ſocietatem receperint, pacéque cum his inita opem ita tulerint, vt longo varióque bello iactati Philippum tandem ipſum oppreſſerint.

De Philippo Calendario.

EXTABAT quidem aurea Marci ędes inſigni opere abſoluta, ſed deerat huic Marcianæ areæ forum ipſum pręcipua vrbis pars, vt vrbs ipſa, & templum maiore quadam admiratione ab omnibus viſeretur: quum Philippus Calendarius Marini Faletri principatu ſtatuarius, & architectus inſignis, non dubitauit id opus aggredi. Qui & forũ ipſum inter colũniiſq; ſic ornauit, ſic ab omnibus ſpectandum cinxit, addito etiam comitio maiore, in quo patres conuenire poſſent creandis magiſtratibus ſtatis diebus, vt illi meritò ab vniuerſa ciuitate omnia deferrentur. Vtinam verò Marini Faletri coniurationem nun-

quam ſecutus foret: neque enim illi ciuitas gratiſsima aliquod vnquam pręmium negaſſet.

De impreſsione librorum.

VENDICAVERIT ſibi duplici nomine famam Germania, duarum artium inuentione, quę ad eam diem nullæ vnquam in toto terrarum orbe fuere. Quarum vna ſit aliquanto prior, militarium tormentorum, quæ nunc apud omnes vulgatiſsima ſit. Altera imprimendorum librorum ars, quæ vniuerſa pacis & otij ſit altrix, & parens. Vtriuſque verò Venetiæ in terra Italia ſibi vendicant primum. Et de re quidem militari, nunc id tantum dicam: Genuenſi bello, primum à Germanis Venetias tormenta (hæc verò nomine appellata) importata eſſe: quæ defendendæ libertatis noſtræ præcipua fuere cauſa. Quod verò centeſimum ab hinc annum Venetijs cœptum eſt Paſchali Maripetro duce, non poſſum non maximè celebrare. Quippe quæ veterem Italiæ gloriam veluti poſt liminio reſtituiſſe videri poſsit. Siquidē ſic Gothicis Longobardiciſq; armis pręgrauantibus laboratum eſt intra Italiæ fines, vt nullæ literæ, nulla humanitas, nulla

elegantia iam nobis ſupereſſet. Gaudeant igitur Venetiæ, quæ à Nicolai Séſonis aduētu ſortitæ primùm fęliciſsimo auſpicio ſic cœpere, vt deinde per vniuerſam Italiā, nunc verò etiā & omnē Galliam, & Germaniā hæc ipſa ars auſpicatiſsimè ſit ſparſa. Huiuſce autem inuentionis laus eò celebrior eſſe debet, quòd omnis linguæ barbaries huius opera extra fines ſeceſſerit noſtros, Latináque dicendi grauitas, & ornatus ſint ampliſsimè nobis reddita, vt iam nunc nō deſint noſtrates homines, qui certare cum veteribus in omni ſcribēdi genere poſsint. Non celauerim interim Ioannis Rauennatis nomen, & ſtudium, cui primum reſtitutæ Latinæ linguæ palmam meritò tribuas.

De tormentis à Germanis Venetias primum importatis.

NON poſſum prætermittere, quòd paulo ante de tormentis militaribus egimus, quæ tametſi magnā perniciē virtuti fortitudiníq; militari attulerint, eſt tamen cur Germanici hominis inuentum admireris. Qui ſulphureum puluerem, ferreáque tormenta, móxque ænea excogitarit, vt nulla ſit murorum mæniúmque hodie vis, quæ

obſiſtere iaculãtibus his craſsiſsimas pilas poſsit. Hoc autem hac in parte inter Veneta exempla libentius collocarim, quod Veneti primùm intra Italiæ fines, non ſine decore, & laude ſint vſi, qua de re copioſius aliâs agemus.

De Guidone Bonato aſtronomo.

INVASIT iampridem mortalium animos aſtronomia, qua vna credant cęleſtia, terreſtriáq; omnia regi, ac gubernari. Tametſi Picus ipſe meus multa ſolerter in libris ſuis oſtenderit contra aſtronomos, omnia diuina prouidentia regi, nec in aſtrorum motu eam ineſſe vim, quæ animos noſtros flectere in quamcúnque velint partem poſſint. Obſidebatur Guido Monferetrius ab hoſte ĩtra Foroliuij mænia, obſidebatúrq; ea hoſtium ſpe, vt facilè capi illum, expugnaríque poſſe crederent. Aderat verò illi inter familiares Guido aſtronomiæ periti ſsimus, qui perſuadebat illi, vt ex vrbe erumperet, futurum enim ſyderum motu ita id approbantium vt victor euaderet: vt tamen victor vulnus in fœmore acciperet. Huius ingenio tandem fretus Monferetrius & perſuaſione, clam erumpens victoriam ex hoſte recepit, vt tamen vulnere ſit

affectus, quod facilius curatum eſt, quòd Guido Bonatus ipſe medicamenta quædam ſecum attu lerat, quæ opportunè cō-par ta admotáq; fœmori, minus grauem vulneris ſenſum fecerint.

De Chriſtophoro Columbo.

QVIS quæſo fuerit ingenio tàm deprauato, vt non Chriſtophorum Columbam maximè laudet, eiúſque induſtriam in re nautica præcipuè nō probet? Qui Ferdinando Hiſpaniarum rege patrū noſtrorum ætate primus perſuadere ſit auſus, à Gadibus in Indiam fœliciſsimo curſu nauigari vt poſſet. Quod rex ipſe non parū primùm miratus, tandem illi conceſsit, vt paratis nauibus omníque alio commeatu, nunquā antea tentatam prouiciam aggrederetur. Ille verò fœliciſsimè Gades relinquens, id aſſecutus tandem eſt, vt & Indiæ littora preſſerit intra nō multos dies, & domum fęliciſsimo auſpicio ad regem redierit. Quare ſic hodie vniuerſus Oceanus enauigatur, vt libentius iam tam longinquū iter Hiſpani, Luſitaníque ſua proximè littora remis legant.

Quædā nulla arte effici poſſe. Cap. X.

NEMO neſcit quantum vita hominum his debeat, qui diuerſas arteis, diuerſáque inſtrumenta primi excogitarunt ad humanam hanc ſocietatem tuẽdam, quibus perpetuo nexu mortales inter ſe fœlicioribus auſpicijs agerent: & quum liberales ille artes iure optimo antecelluerint, ſemperque antecellant, quæ tamen ea ſequuntur, nequaquam contempſere. Vt tamen in humanis rebus multa etiam inueniantur, quæ ſine artium ope memorabilia in primis ſint.

De Venetijs.

QVIS quæſo neſciat quum primum hanc ciuitatem nunquam antea viſam adierit, vnam eſſe quæ ſine vllo artificio, caſúque potius vel diuina prouidẽtia in medijs ſtagnis condita, centeſimum ſupra milleſimum ab hinc annum ita floreat? Vt ab orbe condito tale nihil inuenias: ſalſis enim aquis ita vndique alluitur, vt nullus ferè occurrat locus, in quo nõ tibi aquæ obuiam veniant. quod ſi tu publica ædificia ſpectes, ſi forum ſi curiam, ſi Marcianam ipſam intueare turrim, ſi ſubiectã inambules aream, quis non obſtupeſcat, tãtas rerum moles in medijs aquis aſſurgere at-

que ita planè ſtare,vt omnia tibi inſultare videâtur? Quare deſinant iam artes hac in parte, & quum totam inambulauerint vrbem mortales, riuóſque aquarum, qui ſaxeis iunguntur pontibus, vt ambiri cõmodius poſſint, quum tot diuorum templa viderint,tótque & tanta cœnobia veræ pietati dicata conſpexerint, tandem ad Deũ Opt. Max.conuerſi ipſum precentur ſupplices, vt eam vrbem, quam ipſe diuina prouidentia conſtruxerit, cuíque nulla vnquam ſimilis extiterit, diuturnam ac perpetuam eſſe velit.

De turri Campanaria.

HVC addam tanta animorum magnitudine prçſtitiſſe ſemper Venetos, vt in medijs aquis auſi ſint cãpanariæ turris fundamenta,tàm immenſæ altitudinis, quàm omnes videamus, iácere:ſperaréq; tantum opus,tam graue támq; onerosũm iam quadringenteſimum ab hinc annũm fçlicitate aſſurgere eximia,vt cælum cacumine petere videatur. Cuius etiam ſonitu vrbis totius gaudia publicè ac priuatim ſẽper declarentur, vt tamẽ duci procuratoribúſq; ipſis,atque etiam tẽpli canonicis quotienſſcúnque ſingulorũ funus effertur,aſſonẽt.

Suæ quemque artis optimum & autorē eſſe, & diſputatorem. Cap. XI.

De Philippo Calendario.

FERVNT Philippum Calendarium de quo ſuprà diximus extruendi forī tanto ſtudio ſæpe coram duce, & reliquis patribus diſſeruiſſe, vt tandem adducti illum operi præfecerint. Quo perfecto, inq; hanc formā redacto (quę hodie viſitur) ita duci reliquíſque patribus probatus eſt, vt in ſummo ab oībus haberetur precio, vt dux etiam ipſe non dubitauerit eum ſibi affinitate iungere.

De duabus columnis in foro poſitis.

NON minori cenſendus eſt laude Architectus is, qui duas columnas, alteram diuo Marco, alterā diuo Theodoro dicatam, pręclara ſui nominis memoria tandem erexerit. Illę enim ex oriēte huc aduectæ, quum non inuenirent autorem, qui illas rectas attolleret, cōſtantéſque ſibi red deret, tandem poſt aliquot annos, autorem inuenerūt, qui polliceret̄ ſua opera erectu rum ſe eas, quæ perpetuò ſtarent, ſi digno pręmio ſeſe donarent publicóque decreto

ſtatuerent, vt liceret quicúnque vellent in earum baſibus ludere. Quare patres ingenti eum ſalario perpetuò donarunt, & ædibus quas poſſederit, ſtetítq; diu etiam ludendi decretum, quod tamẽ ſit hodie abolitum.

EXTERNA.

De Origene Adamantio.

EST Origenis Adamantij cognomine celeberrimum adhuc nomen, quod etiã monumenta ab eo ædita id approbent, ea ſi legas neſcio an poſt Apoſtolorum ſcripta, & Auguſtini illum omnibus anteponas. Cæterum ſi quis accuratius ſextum Euſebij eccleſiaſticæ hiſtoriæ librum, & ſeptimi partem legerit, facilè cognoſcet illum, ſic patris Leonidæ auſpicijs inſtitutum, ſic apud Alexandriam multos annos ſcholæ præfuiſſe, ſic per vniuerſum orbem terrarum vitæ ſanctimonia, literarúmque inſigni peritia floruiſſe, vt nihil per ea tempora quamuis difficile, & arduum geſtum ſit, quod non ſententia Origenis comprobaretur. Sed & ingenij eius monimenta adeo innumera ſunt, vt planè mirari maximè poſsis, ea humano ingenio tot & tanta cogitari potuiſſe. Ille ve-

rò cum Eſaiam prophetam commentarijs illuſtrare ſtudiſſet triginta in eũ editis libris, non dubitauit, ad Triullum Hebraici ſanguinis virum, & literarum profeſſorem perſcribere, vt ſeſe admoneret, quęnã vrbs Arihel foret', quídve de ea penitus ſentiret, vt chriſtianis hominibus ad plenũ ſatisfieri poſsit.

De Ioanne Pico Mirandula.

INGRATI planè futurum animi, & omni ſupplicio digni, ſi Ioannis pici Mirandulani ducis hoc in loco non meminiſſem: qui ætate noſtra virtutibus omnibus ita claruit, vt quem illi iure conferas inuenias neminem. Sic enim puer à parentibus inſtitutus eſt, vt mirabili religionis, & pietatis affectu iam tum excelleret, literíſque bonis imbutus ita eſt, vt omnibus qui eum audirent pro miraculo foret. Mox adoleſcens adeò literarum ſtudio exarſit, vt Latinis literis, & Græcis, & Hebraicis addo etiam & Chaldaicis ad veram pietatem augendam, penes omnes ornatiſsimum agnouiſses. Qui primis iuuentutis annis duodecim in Aſtrologos libros conſcripſit, quos quidem omnes nõ ſine admiratione legas. Ille verò ſic Philoſophiæ ope-

ram dedit:ſic ſacram theologiam excoluit, eum poetam & oratorem egit,quod opera eius declarant excuſa,vt neminem in terra Italia parē illi quocúnque te verteres eſſe diceres.Ea bonitate vt Marſilium Ficinū, & Angelum Politianum, quorū vtrūque in ſuo genere literarum præcipuè dilexerit,quorum & iudicio,& arbitrio frequenter vteretur,vtrūque fratrum loco videretur habuiſſe.Sed de eius cœleſti ingenio nihil amplius hoc in loco dicam, locū enim in orationibus meis aptiorem, quas editurus ſum,ſi de⁹ Opt.Max. fauerit expecto.

De Senectute. Cap. XII.

HABET quidem ſenectus ipſa per ſe tacitam quādam,ſed præcipuam & non obſcuram gloriam, quam quidem mortales omnes dari ſibi à natura cupiunt,quam tamen non pauci adeptam accuſare grauius interdum ſoleant.Qui ſi veteris prouerbij meminiſſent,maturè & cum laude ſenem fieri,ſi diu ſenex eſſe velis,ſiq; diligentius ſecum expenderent & Romæ ſenatorium ordinem ſummæ cuiuſdem dignitatis fuiſſe,& omnes fermè qui ſapiunt eos in primis reuereri . Quare cum Venetijs ſemper

per in ſummo precio adhæc vſque tempora vna ante omneis ætates floruerit, eius exempla ſic ponemus plura, vt nihil magis honorificum, nihil magis gratum charúmque fuiſſe appareat.

De Franciſco Molino patricio.

POTERAM veterum multorum exemplis, qui ad ſupremam vſque ſenectutem feliciſsimi peruenerunt vti, qui patritij ordinis partim, partim plebei, & maximè hi qui ad diui Nicolai ſedent. Verùm ad recentiora quæ præ oculis mihi fuere, ſúntq; hodie, libentius ſtilum vertam, principémque ſibi vendicabit locum, qui me ſuperſtite Franciſcus Molinus vixit, qui centeſimum & amplius natus annum, conſiliarij ſupremam dignitatem in maioribus comitijs adeptus eſt. Cunctis alijs præpoſitus hoc præcipuè nomine, quòd animi ſenſu, & corporis robore integrè valeret.

De Thoma Contareno.

OMISSIS aliquot, qui ad diui Nicolai ædem degunt, quorum vnus centeſimum decimum ſeptimum agit annum, alter tertium decimum & cẽteſimum integris corporum membris, & ſenſu ſatis parato cla-

riſsimi viri memoriam Thomæ Contareni diui Marci procuratoris celebrarim. Quem quotidie videmus maximis & ampliſsimis honoribus functum ſcalas ſubeũtem, omníque ex parte corporis & animi valẽtem, bonitatéque in primis inſignem, qui ſextum & nonageſimum ætatis annum agat. Quis igitur huius ætatem & plures in eo virtutes non admiretur & laudet? Deus Opt. Max. faxit, vt ſuperſtes apud nos diutius agat.

De Franciſco Donato duce.

QVIS verò hodie Franciſcum Donatũ ducem, quartum & octuageſimum ætatis annum agentem, qui ſeptimo ſui ducatus anno ſuperſtes hodie cum ſumma totius ciuitatis gratia & amore non admiretur? Qui in Landi locum ſuffectus, omnium ſtudio ea cum hominum opinione degit, vt vnus iuſtitiæ amator, vnus de bonis optimè meritus, vnus reliquis virtutibus inſignis, & pacis præcipuè cultor perſtet. Vtinam illum ſuperſtitem hoc animo, & hac felicitate celebrẽ Venetię diu videant.

De Gartio Aretino.

ECQVIS Franciſci Petrarchę nõ memo-

riæ hac in re præſertim faueat? Ego verò huius viri authoritatem volens ſecutus,nõ potui prætermittere Aretinum Gartium, qui Franciſci ipſius (vt ipſemet fatetur)auus ad centeſimum,& quartum nullo vnquam morbo vexatus ſuperuixit. Vtinam verò hoc muneris nepoti ipſius contigiſſet:qui propter ingenij præſtantiã, & literarum peritiã ſua ætate prçſtantiſsimus dignus fuerat, qui ĩmortalitatẽ adeptꝰ eſſet.

De Ricardo Caroli magni milite.

NVNQVAM detraxerim Guidonis Bonati fidei, qui non dubitarit ſuo teſtimonio aſſerere viſum à ſe Ricardũ Caroli magni militem,qui quadringenteſimum ętatis annum ageret. Næc dubium erat ſub Carolo ipſo eum ſtipendia feciſſe iã grandem,militaſſéque ſub ipſo,vt ad milleſimũ ducenteſimum, & vigeſimum tertium publicæ ſalutis annum peruenerit.

De Ioanne Tampe.

FACIT Ioãnes Tampes miles Gallicus, vt ſupradictũ à me Ricardi exemplum certius habeatur. Qui, & ipſe conſtanti omnium ſcriptorum eius ætatis fide proditus ſit, ad trecenteſimum vitæ annum valido corpore, integráque in primis mente vixiſſe. Vt qui cũ eo agerent,non ſine ad-

miratione ſemper verſarentur, optaréntq; ſibi quíque tam diuturnæ támque fœlicis vitæ ſpatia.

De gloria & fama cupiditate. Cap. XIII.

De Andrea Dandulo Duce.

CONSEQVETVR Andreas Dandulus Dux egregiam & ipſe laudem, ſed tamen diuerſam ab Vrſeoli ducis facto. Hic igitur præſtanti doctrina Dux iuuenis creatus, literarúmque amore incenſus, doctiſſimos quóſque in terra Italia cum præcipuè coleret, tum vnum Franciſcum Petrarcham, ea ætate clariſsimum ita complexus ſemper eſt, vt Venetias illi aduenienti, publicas ędes ſemper parari iuſſerit. Quin etiam ſi quando in publicum prodiret, eũ quoque prodire ſecum honeſtiſsimo ſemper loco non dubitauit. Reliquúmque vitæ tempus de literis diſſerens, libenter ſi quando poſſet conſumeret.

De Carolo Zeno.

AFFVERE huic viro, quod ſuís locis teſtati ſumus, præclaræ animi virtutes, ſed illa in primis, quòd literas literatóſq; ho-

mines maximè ſemper amarit, domíque familiariſsimos habuerit. Quorum vnus Petrus Paulus Vergerius Iuſtinopolitanus, qui ea ætate celebris inter literatos haberetur. Cuius etiam hodie monumenta aliquot extant: & Petrus Thomaſius Veneti ſanguinis medicus, quē Blondus ipſe memoret eloquentiſsimum etiam fuiſſe, præter ſingularem medicinæ peritiam.

De Petro Lauretano, rei maritimæ claſsico Imperat.

DEBELLARAT primus ad Callipolim Turcicam claſſem, Genuenſes ad Drapalum memorabili prælio ſuperarat, capto etiam eorum duce Franciſco Spinula. Declaratus præterea Padanæ claſsis Imperator, quum ſtudium omne ſuum in patriæ laudem, & gloriam vertiſſet, clariſsimum longè facinus aggredi perficeréque non dubitauit. Ille igitur proximas areæ Marcianę ędes procurator diui Marci incolēs, quum grauem in eadem area tumultum exaudiſſet à Claſsiarijs Dalmatici ſanguinis excitatum, qui rapinis omnia vaſtarēt, quibúſque neque ducis maieſtas, neque reliquorū magiſtratuum imperia obſiſterēt. Licet aduerſa valetudine oppreſſus lecto

decumberet, arreptis ſtatim veſtimentis, quęcunque potuit, in forum ita deſcendit, vt audito tantum eius aduentu, claſsiarij ipſi ſtatim receſſerint: quorum nonnullos captos laqueo ſuſpendi iuſſerit. Non illum igitur vnum tanta hominum multitudo deterruit, non Dalmatarum hominum in rapinā conuerſi animi continuere: quin pro patriæ dignitate & ſalute illius gloriā, & laudem rebus omnibus anteponens, vltimum etiam ſpiritum ſi contigiſſet, pro patriæ incolumitate emitteret.

De Petro Mocenico qui poſtea dux fuit.

LABORABANT Venetię diuturno difficilique Turcarum bello longè grauiſsimo, quum maritimæ rei imperatoris nomine prękectus ipſe Petrus labantem Gręciæ rem, Eubœa inſula iam amiſſa ſua prudentia, & animi fortitudine ſuſtinuit. Namque & Naupactum dura obſidione à Turcis obſeſſum eripuit, eóſque tota Pelopōneſo inſultantes inhibuit. Cyprum inſulam Veneto nomini aſſeruit, Scodram ipſam Epyri vrbem quatenus in eo fuit ſeruauit. Vnde mox domum reuerſus tanta cum gloria & fœlicitate dux creatur. quā

dignitatem intra ſeptem mēſes morbo affectus, quem in Boliano amne contraxerat ſponte ſua oppreſſus dimittere coactus eſt. Turcas vniuerſo mari Aegęo ita excluſit, vt Heleſpontum ſuperare nunquam ſint auſi. Ipſum Caſſanum Perſarum imperatorem ita adiuuit, vt Turcis vndique omni Cilicia eiectis, intráque ſuos fines compulſis bellum Othomano inferre potuerit.

EXTERNA.

De Beliſario patricio Romano.

VTINAM vniuerſæ terræ Italiæ manes ab inferis excitari poſſent, qui laudem & gloriam Beliſarij Romani patricij perpetuò decantarent, gratiáſque illi pro tantis in ſe meritis agerent, qui Gothos ſæpe acie vicit, vrbem Romam à dura eorum ſeruitute liberauit, Italiæ fines iam omnibus ignotos obſcuróſque longo veluti poſtliminio reſtituit. Aphricam ipſam, & cum ea Gilimerem regem à ſe captum triumphatúmque priſtinæ libertati reddiderit. Inde verò de Perſis à ſe victis triumpharit, mox etiam crucem auream admirabili contextã opere, diuo Petro donarit.

De Eugenio IIII. Pont. Max.

NESCIO an ſatis rectè Eugenij huiuſce quarti Veneti ſanguinis Pont. inter externa iure reponam. Cæterum accipiant vtcunque poſteri. Vix dicere auſim quãtum huic vni Pont. Max. vniuerſa Chriſtiana pietas debeat, quantúmque illi gloriæ, & laudis attribuit, cuius vnius ſtudio diſsidens Grȩcia inter ſe reconciliata nobis tãdem ſit, cõcilio œcumenico Florentiȩ indicto. In quo Palȩologus ipſe Conſtantinopolitanus imperator interfuerit, ipſéq; patriarcha cum vniuerſo ſuo clero præſens affuerit. Quare tunc expetita per tot annos concordia inter Latinos Græcóſq; homines fœliciſsimè ſucceſſerit. Id quod Eugenius ipſe non literis tantum Græcis, Latiníſque mandari curauit, ſed reliquis etiam ſubminiſtrauit, foribus ex ære ad diui Petri templum fabrefactis, que rem perpetuam etiam vulgo teſtarentur.

De Hieronymo Olgyato.

SVPREMVM locum vendicauerit ſibi in hac parte Hieronymus Olgiatus Mediolanenſis, qui inita coniuratione cũ Ioanne Andrea Lamponiano, Galeatium Sfortiam Mediolani ducem Stephani luce dicata, in eodem templo interfecit, multi-

tudine ingenti referto. Hic etiam cum tortor ipſe quandoque auerſus illum torqueret, eſto inquit bono animo, & huc te verte. Nam quam tu mihi grauem pœnam inurere putas, ea mihi maximo ſolatio eſt: quotieſcunque memini interfectum à me tyrannum, patriæque libertatem reſtitutã, quod in me eſt.

Quæ cuique magnifica contigerunt. *Cap. XIIII.*

De Andréa Dandulo duce.

NIHIL eſſe in hominum vita ſæpius appetendum ſemper exiſtimaui, quàm honorem ipſum qui bonis artibus comparetur. Nam vt præterquam, quod ipſe præcipuè omneis artes alat, quid tu amplius vnquam alicui tribuere poſsis: quàm vt honoris cauſa quempiam colas, qui præcipuè in omni vitæ parte de vera religione, tum de patria ipſa & parentibus, tum de reliquo humano genere optimè meritus eſſe videare? Vnde tibi ampliſsimus honor, certiſsimáque & æterna gloria etiam poſt ipſos cineres ſit ſperanda. Laudet igitur vrbs Roma ſuos Scipiones, celebret Metellos, & Catones, quod certè optimo cui-

que ſic perpetuò faciundum, quem ego vnum Andreã Dandulum hoc in loco ducem longe clariſsimum nunquam prætermiſerim. Cui Veneti patres omníſq; reliqua ciuitas, propter ſummas, illuſtréſque animi dotes, iuueni adhuc, quippe qui tres & 30. annos ageret, demãdarint ſummo cũ hominum gaudio, & lætitia. Et is quidem maxima animi virtute, & pręſtantia aduerſante etiam fortuna ipſa, ſic principatum ipſum adminiſtrauit vndecim annos vt Iaderã receperit, Genuenſes ad Caralim Sardiniæ memorabili prælio vicerit, Archiepiſcopum Mediolanenſem flexerit, iuſtinopolitanos rebellantes domuerit, quum interim ſors ipſa tamen cõtendens vrbem grauiſsima peſtilentia, terrę motu aquarũque mole opprimere contenderet. Ab hoc ferunt res Venetas duplici ſtilo conſcriptas, quippe qui eloquentia excelleret, coméſque ſemper exiſteret, vnde Comiſinus poſtea cognominatus fuit.

De Andrea Contareno duce.

SEQVITVR Dandulum ducem clariſsimum Andreas Contarenus & ipſe dux cui magnifica multa, nec volenti nec molienti contigere. Primum enim quum pa-

tres illum ducem creare contenderent, ſéper reluctatus eſt. Tum verò mortuo Cornelio duce quum omnium ſtudio, & penè vniuerſæ ciuitatis clamoribus, expeti ſeſe vnum cerneret, ſtatuit ſibi ab vrbe diſcedendum, ínque Patauinum fundum confugiendum, vbi ignotus deliteſceret. Sed neſcio quo pacto ardentior ciuitas effecta vnum illum abſentem cæteris omnibus antepoſuit. Quod vbi ille reſciſſet, & de fuga cogitaret, cognatorum, & amicorum conſilio Venetias reuiſere tanquam priuatus ſtatuit, quum bonorum publicationem & exilium illi interminati eſſent publico nomine, niſi Reip. obtemperaſſet. Quare vix adductus inito principatu ſic Venetam Rempub. adminiſtrare cœpit temporum iniquitate penè oppreſſam, vt & ipſe ad recipiendam Clodiam ſæuienti etiam hyeme accedere non dubitarit, qua tandem recepta triumphantis more in patriam rediјt calendis Iuliјs, qui dies nobis ſacer auguſtúſque eſt.

De Carolo Zeno.

TOT tantáque ſunt, quę Carolo Zeno magnifica contigere, vt vix ſatis ſcias, quod ex illis potiſsimùm præponas. Sed

rerum ordinē ſecuti id dicemus, quid primum ad ſummā eius gloriam & magnificentiam acceſsit. Veneti ſanguinis vir, vniuerſæ Ciſalpinæ Galliæ imperium, cui vicecomites tunc præerant, ita rexit, vt integro quinquennio ſine vlla omnino querela cuncta gubernarit. Cúmque inde in patriam redire vellēt, vix à Galeatio duce impetrare potuit, vt ſuos viſeret, à quibus ita ſtatim receptus eſt, vt rei maritimæ vniuerſæ Imperatorio nomine præeſſet, Genuenſique bello finem imponeret, quod Bucicaldo duce Frācici ſanguinis Venetis intulerant. Ardente mox Ligurum bello rei maritimæ præfectus Bichinioniam nauim admirandæ magnitudinis armatorúmque plenam triremibus ſuis ſic aggreſſus eſt, vt duplici vulnere affectus eam tamen incredibili virtute expugnauerit, prædámque omnium fermè ducentorum & amplius aureorum ad principem detulerit, naualibúſque Ianuenſium copijs à Clodia reiectis, præcipuus author eius reſtituendę Veneto ſenatui fuit. Peracto mox bello Hieroſolymam inuiſens, dū regreditur ex itinere reuocatus à Cyprio rege Liguſticum omne nomen inde ſuſtulit ſuo ductu Cyprique Inſulæ regnum vnus aſſeruit.

De Dominico Triuiſano Diui Marci procuratore.

VIX tantum gloriȩ ſeptem conſulatus C. Mario attuliſſe crediderim, quantũ Dominico Triuiſano D. Marci procuratori Mẽphica vna legatio. Tempore enim illo quo Venetæ res vndique afflictarẽtur (ne id etiã deeſſet mali) Veneti mercatores ab Alexãdrinis peſsimè tractabãtur. Id quod Senatus ȩgrè ferens, Petrũ Balbũ, quẽ paulò ante rei maritimæ Imperatorẽ dixerat, ad Laſeraphũ Sultanũ legatũ decernit. A quo non ſuſcepta legatione (quod quidẽ tunc vni ſibi licebat) Triuiſanus ipſe rei Venetæ procurandæ præficitur. Quem quum ad ſe aduentantem audiſſet Sultanus, princeps alioqui ea tempeſtate longè potentiſsimus; tanti viri publica fama excitus, ſtatim cum ingenti principum virorum manu illi occurrit, mòxque magnificentiſsimo regióque apparatu exceptum, penes ſe in ſumma amicitia per aliquot menſes habuit. Sed Triuiſanus renouato ex Reipublicȩ dignitate fœdere, rebuſque omnibus compoſitis, regiis etiam literis commendatus, ſumma ſua cum gloria domum rediit.

EXTERNA.

De Conſtantino Imperatore.

PRAETERMISSIS hiſce qui veram pietatem amplexi facinora ingentis gloriæ, & magnificentiæ ſunt adepti, principes tantum viros admonebimus aliquot, in quibus ſingularis egregiæq́ue virtutis exempla ſpectari, probaríque verè poſsint. Quomodo autem Conſtantinum magnũ non primo loco referam? Qui præter aliàs animi dotes ingentéſque victorias ex hoſtibus Barbaris partas, receptáque Italia, Maxentio tyranno intra biennium victo, primus ex Romanis principibus Chriſtianam pietatem eſt amplexus, Byzantiúmq; Imperij ſedes transferens, nouámque Romam appellari iubens, filiis relictis hæredibus, vitæ finem fœliciter ſortitus eſt, cui certè magnificentius nihil accidere poterat.

De Ludouico Pio.

DEBEMVS & hoc memorię tàm illuſtris, támq; præclari principis, vt Ludouicũ eius filium Pium meritò cognomento dictum, propter præcipuum eius in veram pietatem ſtudium commemoremus. Qui

Dacicum bellum ſumma induſtria ex ſententia confecerit, Bernardum res Italicas turbantem, cum multis ſacri ordinis viris ex Pipino filio nepotem facilè fuſum vita priuarit. Quum antiſtites ipſos intra monaſteria tantum incluſerit, veræ pietati omnia tribuens. Sed & illud non minus dignum admiratione fuerit, quod trium filiorum coniuratione, & aliquot procerum coactus Imperij dignitatem depoſuerit, quam tamen non multo poſt ob memoriam ſummæ clementiæ benignitatíſque receperit, moriénſque nõ multo poſt in filios, quos hæredes relinquebat, tandem facilitatem nullius iniuriæ memor retinuerit.

IOANNIS BAPTISTÆ EGNATII,

LIBER NONVS.

De Luxuria. Cap. I.

AGGREDIENTES nos
noni huiuſce libri prin
cipiũ, mouit certè plu-
rimùm ipſa luxuries,
& libido humani ge-
neris peſtis. Cuiꝰ ſi vim
attẽdamus facilè intel-
ligemus, quàm ſit tur-
pe diffluere luxuria, ac delicatè, ac molli-
ter viuere, quámque honeſtũ parcè, conti-
nẽter ſeuerè, ac ſobriè. Optare quidem ſo-
lemus ferè omnes, vt fortuna nobis blan-
diens opes, & honores largiatur: nec ani-
maduertimus ferè fortunæ hæc munera,
luxuriem libidinémq; gignere. Quę ſi ab
adoleſcentia te inuaſerit, non facile hone-
ſtæ ſenectutis commoda conſequere. Pau-
latim enim effrenis hæc reddita àuaritiam
gignit, tãtámque mollitiẽ parat, vt ſemper
qui huic vitio paruere, nec animo nec cor-
pore ſatis valuerint. Blãditur illa primùm,

& vbi nos illexerit libidinem ita infigit, vt quamuis alij admoneant, quamuis diſcrimē, periculúmq; agnoſcas eā ſequi vel inuitus cogare. Recto igitur nomine Græcia ἀσωτίαν appellauit, ἀσώτος luxurioſos dixit, quòd qui hoc vitio laborāt, ſeruari nequaquàm poſsint.

De Petro Candiano duce.

PRAEFERET ſuo hoc exemplo Petrus Candianus, dux omnibus mortalibus, quantum ſit luxuria hæc ipſa cauēda. Qui donec patrem, & auos reſpexit, potuit meritò ab exilio reuocari, dúxq; in patris mortui locum ſubſtitui, magno totius ciuitatis gaudio. Dum verò ſuorum oblitus Vualdradæ vxoris mores & ingeniū ſequi mauult, quæ paternam Guidonis mollitiem libidinémque intuliſſet, ipſéque luxuriæ, (& quod conſequi neceſſe erat) tyrannidi vacaret, ita quidem in populi odium incidit, vt ab eo cum paruulo filio interficeretur, cadauérque ipſius in macellum proiiceretur, direptis, incenſiſque prius principis ædibus, quo incendio aurea ædes D. Marci etiam conflagrarit.

De cœna Venetiis data.

RELINQVAM interim ſi quæ alia ve-tuſtiora huiuſcemodi exempla ſint, & eò magis, quod iã à veteri frugalitate ſic diſceſſum eſt, vt penè profligata temperãtia, & moderatio vetus ipſa ſit prolapſa in recentiorem luxũ. Quem vtinam patres noſtri diligẽtius cohibeant, & ſeuerius: quod quo lubẽtius faciant recentioris cœnę exemplum proponam, luxuriæ plenũ, vnde parſimonia ipſa deterrita penitus aboleuerit. Nihil famoſius luxuriæque plenius ea cœna quã patritij ordinis vir conuiuis cẽtũ exhibuit. In qua ſi numerũ ipſũ attẽdas, ſi ferculorũ varietates obſerues, ſi ſeptẽ horarũ tempus inſumptũ expendas, ſi concẽtũ inſtrumentorũ audias, ſi denique centũ gobiorum lactes triclinio illatos legas, qui à ſingulis conuiuis molliſsimi exorberentur, verè luxuriam quicũque ſapit deteſtetur, ab eáque tanquam à grauiſsima peſte diffugiat. Amplectamur igitur veterem frugalitatem, & temperantiam, eámque quo ad eius fieri poſsit retineamus. Quæ virtutis, & bonitatis omnis, veluti à natura proficiſcens, quæ modicis ſemper rebus cõtenta fuit, mater & nutrix certiſsima ſit.

De Venetiis.

POTERVNT eſſe omnibus exemplo veteres, Venetiæ quantum ſit frugalitati, & temperantiæ tribuendum. In quibus quum ampliſsimæ ſemper opes fuerint, vetus tamen inſtitutum, ſi quis huc animum intendat, id extitit in omnibus, vt quicunque diuitiis etiam excellerent, millenos non amplius aureos dotis nomine legitimo matrimonio natis puellis tantũ impenderent. Ab omni continentis terræ cura penitus abſtinerent, ſacris ſacerdotiis vt à re funeſtiſsima interdictum conſtantiſsimè vellent iis qui patritij ordinis eſſent, mercatura cum reliquo omnis exerceretur, cum magna laude, à frumentaria autem re penitus abſtinerent, præſtitores alieni periculi, vt portenta quædã execrarentur. Quare nil mirum ſi tantis opibus nunc ciuitas abundet ipſa, quæ ab iis initiis ortum habuerit. ſi tot ædificiis publicis atque priuatis, ſi tot cœnobiis, tot diuorũ templis exculta, exornatáque: ſi publicis viis, ſi areis & præcipuè Marciana abũdet, ſi denique tantum multitudinis cum tanta fœlicitate, quotidie alat, & foueat. Vt niſi conferres huic ipſi Romanã vrbem, non aliam inuenies, quæ tantas opes tantáſque diuitias aluerit: tametſi iuſtius no-

ſtrates haſce laudes quæ non totius orbis præda ſed induſtria, & ſtudio comparatę, & acquiſitæ ſunt. Sed de hac ipſa ſatis.

De Gene Scotiæ rege.

QVIS crederet ipſam denique Scotiam luxum hunc ita inuaſiſſe, vt Regem ipſum Genim ſuis blanditiis alliceret, vt geminas ſorores, quas domi alebat, iuſtarum vxorũ loco palam omnibus oſtentaret, flagitioſámque rem tantam pręferret, vt præcipuè glorię loco tã graue facinus ſibi duceret?

De Vicente Fabriani accola.

ABVSVS eſt fœdiſsimè quidem ſororibus ſuis Scotiæ Rex dum viueret: ſed quis ferat ęquo animo paſsim coitum exercuiſſe? ſic enim euenerat, vt Canelli exorta intra mœnia ſeditione, non homines ſolùm, ſed fœminas quoque quam plures interfecerint, quæ paſsim iacerent: quod facinus facilè oſtẽdat, ſi quis luxuriæ ſeſe dat nunquàm ſaluum fore.

De crudelitate. Cap. II.

TRANSEVNDVM nunc mihi eſt à lu-

xuria ad ipſam crudelitatem,quę ſi immanis & horrida naturæque in primis aduerſa in barbaris gentibus fuerit, haud ſanè mirandum eas gentes quæ rarò bonis moribus abundent,quæque à natura ipſa diſſideant,in cædes,ſanguinémque mortaliũ delabi,grauibus,ac varijs ſupplicijs delectari. In ipſa verò terra Italia, nihil eſt quod magis admiremur ſi exempla crudelitatis,aut immanitatis plena inueniantur: in qua homines certè alti ingenij excelluiſſe videas,& in qua omnia plena humanitatis,& elegantiæ cognoſcas, niſi ſi vno alteróve C.Marij,L. Syllæ exemplo capiaris. Nec vero, aliquos fuiſſe principes ſæuos immanéſque hoc in loco negarim, qui nimium rerum licentia & copia huc quandoque deflexerint. Nam de Gothica tempeſtate,& Longobardica, qua vniuerſa Italia diutiſsimè eſt oppreſſa,quid iterim dicã nõ habeo,quãdo Italũ ferè neminẽ referre poſsis ea tẽpeſtate celebriorẽ.

De Galla duce.

CREDIDIT ille, quum Theodatum principem oculis imperióque priuaſſet, futurum vt ipſe diutius illo poti-retur:fuit tamen in illo par eadémque for-

tuna, nequis nimium crudelitati ſtudeat. Nanque altero ducatus anno abrogata eſt illi vniuerſi populi conſenſu dignitas, eodémque oculorum ſupplicio affectus ab omnibus eſt.

De Dominico Monegario duce.

INVALVERAT hic excæcandi principis mos, vt iam omnes in crudeliſsimũ ſupplicium contra principes prolaberentur. Id quod in Dominico Monegario principi quĩto poſt ſui Imperij anno miſerabiliter etiã contigit. Nec verò duo annui tribuni illi primùm additi, nec diuturnitas principatus obſiſtere potuit, quominus quã ĩgeni j ſęuıtiã ipſe pręferret, eandẽ cõſpiratiõe vniuerſi populi & ipſe pateretur.

De Gradenſi Patriarcha, ex turri præcipitato.

IAM ferè Longobardica ſæcula in ipſa Italia deſierant, Carolo Francorũ Rege in ea imperãte, eáque fœlicius moderãte, quũ Ioannes Dux Maurici j Ducis filius auito ſuoptéque ingenio in Fortunatũ Gradẽſem patriarchã inuectus, non contentus leui mortis ſupplicio, ſũmo crudelitatis exẽplo captũ illũ pręcipitẽ dederit: ita tamen

vt non multò poſt,cum nepote in exilium ſit miſſus.

EXTERNA.

De Ecelino de Romano.

FACIT proximitas Patauinæ vrbis vt Ecelini deRomano, qui tyrãnidẽ aliquãdiu in ea exercuit, obliuiſci minimè poſſim. Cuius ſanè vita, moréſq; crudelitate inſignes,ad hanc vſq; diem referãtur vt ſi quando crudeliorẽ quẽpiam innuere velimus,eũ Ecelino perſimilẽ eſſe cõtẽdamus. His igitur omiſsis, quæ in ipſa tyrannide diu exercuit,quis non crudeliſsmũ omniũ facinus deteſtetur? Quod quum Mantuæ ageret,multáque millia Patauinorũ ciuiũ ſecum haberet, audita Pataujj rebellione ad decem millia & amplius eorum crudeliſsimis prius affecta ſupplicijs interfici iuſſit. Vt ne infantibus quidẽ nec pueris parcendum eſſe voluerit. O barbarum planè hominẽ,& nihil Italiæ indolis redolentẽ: qui nõ multo poſt tamẽ, & principatu & vita crudeliſsimè priuatus interierit.

De Maumete Othomano.

NEMINI certè mirũ videri debeat, ſi in barbara gente & præcipuè Turcici ſan-

guinis crudelitatis frequētiſsima exempla reperientur: vnū tamē Maumethem Othomanum principem, cæteris præferendum in præſentia duxerim. Qui potitus Byzantio, quum die quadam intra ſuos hortos ageret tribus tantum iuuenibus comitatus, videns cedrum arborem pomi pulcherrimi matrē, eo eſt in primis delectatus: mox verò eo inde digreſſo, quum non multò poſt fortè eò redijſſet, nec pomum ipſum ſpectaret, conuerſus ad adoleſcentes percōtatus eſt, quis eorum pomum id decerpſiſſet, quúmque conſtanter omnes abnegarēt vt erat inſigni ſæuitia, pectus gladio iuſsit aperiri ex his vni, vt eo reſerato reliquias pomi cognoſceret, & fortè ita accidit, vt ille eſſet adoleſcens, qui pomum voraſſet, quo ſtatim extincto iratus domū redierit.

De eodem Maumethe.

PLVRIMA certè ſunt inſignia crudelitatis exempla in hoc principe tam magno. Cæterum hoc vnum præterire ſilentio non poſſum, vt quos iratus ad mortem damnaret, altiori palò infigendos curaret. Vt tamen ſi quis ex his non ſtatim moreretur, cibo, potúque alendum vellet: vt quo longiore vitæ ſpatio frueretur, gra-

uiore ſupplicio vitam amitteret.

De Ludouico Sfortia Mediolanenſi Duce.

HABVIT, & ipſa noſtra Italia, vnde omnis virtus, & viuendi elegantia fluxerit, recens crudelitatis inſigne exemplũ in Ludouico Sfortia: qui duos nepotes ex Galeatio fratre Veneno ſuſtulit, vt Mediolanenſi principatu cum ſuis liberis ipſe potiretur. Nec hoc crimine contentus, eorum fidiſsimum tutorem, eundémque vetuſtiſsimum Franciſcum Calabrum interimi iuſsit. Vt etiam hanc fuiſſe cauſam euocandi ex Gallia Caroli octaui Regis aduerſus Alphonſum Regem, vel præcipuam tradant. Ne quid moliri Alphonſus ipſe aduerſus ipſum poſſet. Deus tamen, & ipſum viuentem captiuum Gallorũ regis eſſe voluit, nec liberos ſuos diutius frui imperio paſſus eſt.

De Ira & odio. Cap. III.

NESCIAS certè quid tu iræ quantúmve tribuas, niſi illi iuſtas aliquas cauſas tribueris, præcipuè ſi publicam dignitatem aduerſus perditos ciues defenden-

dam ſuſcipias, aut malos improbóſque ſupplicio afficiendos ita cures, vt nō grauiores iræ fluctus interdum te opprimant. Quin potius doleas tantum in mortalibus improbitatis eſſe, vt iure optimo ſupremo ſupplicio ſint afficiendi.

De Ioanne Mutatio.

NON potuit non Venetus ſenatus in primis eſſe ſollicitus, quum Tenedi arcem recipiés pace cum Genuenſibus, reliquíſque principibus inita, miſsis legatis ad Ioannem Mutatium Præfectum, iuberet, vt euerſa arce eam dimitteret inſulam. Quādo illud Allobrogum Dux ita ſanxerat. Quod quum ipſe Ioannes facere recuſaſſet, miſſos à Venetis legatos etiam conténeret, non potuit ſenatus ipſe iracundiæ aliquo fluctu concitus non claſſem decernere, Fantinóque Georgio in primis mādare claſsis præfecto, vt arcem ipſam expugnaret, liberámq; inſulam dimitteret. Mutatiúmque ipſum inde abire cogeret.

De Carrarienſibus principibus.

NON dubito, quin pleriq; quum hæc noſtratia legerint, grauem, quandam iram acerbúmq; Venetorum odium in Carrariam familiam, quæ Patauio præerat, fuiſ-

ſe cogitent: id, quod vix inficias ipſe ire poſſim, quum videam eam gentem quæ diu Patauina vrbe potita fuerat, Venetorũ armis ſæpe petitam, tandémq; pulſam ipſóſq; Carrarios principes in carcerem cõiectos, ſupremóque ſupplicio non ſemel affectos. Vt tamen ſi quis fateri vera velit, iure optimo id illis contigiſſe contendat. Quippe qui magnis affecti beneficijs à Veneto ſenatu pacéque ſæpius inita, etiã donato illis aliquando principatu, nobilitatéque etiam ornati, debuiſſent cum finitimis Venetis in ſummo otio pacéque viuere, nec ſolicitare externos principes, qui bello ad internecionẽ eos laceſſerint, quorum armis nequaquam etiam illi deeſſent.

EXTERNA.

De Totila Gothorum Rege.

VOCAT nos ad ſe Romanæ vrbis miſeratio, quum à Totila Gothorum Rege indignabundo, quòd ſibi Iuſtinianus Imperator, ſuis auſpicijs regendam inhabitandámque concedere nollet eam ipſam, irarum plenus partim ruinis præclarium omnium operum, partim etiam incendio conſumpſit. Muris quoque ac mœnibus ita ſpoliauit, vt paſſim omni-

bus ingreſſus vrbis & egreſſus pateret, æquè ac ſi vicum pertranſiret. Quos ego hîc Fabios, quos hîc Camillos, & Marcellos, & Scipiones non aduocem? Aut quid in ipſum Totilam Gothicámque rabiem non deteſter? Quæ vrbem eam, quæ caput orbis eſſet omníſq; elegantiæ, & humanitatis parés tam fœdo exitu euerterit.

De Ioanne Andrea Lamponiano.

NESCIAS certè an vllum aliud exemplum literarum monimenta ſecum referãt par Ioannis Andreę Lamponiani Mediolanenſis ciuis: qui tantum irę odióq; indulſit in Galeatium Sfortiam Mediolanenſiũ ducem, quòd ſibi haud ſatis fauiſſet, in ea rerũ difficultate, quæ illi erat cũ Epiſcopo Comenſi Branda nomine, vt furore præceps tribus additis comitibus ipſum principé auſus ſit in diui Stephani tẽplo dum ſacris intereſſet aggredi, multíſq; id ſpectãtibus interficere. Qué vbi poſtea principis lictores inſecuti in ipſo templo vulneribus peterent, exclamabat, petite, inquam, me & confodite, ſic enim perlibenter morior.

De Stephano. vi. Pontifice.

INVITVS ſanè trãſeo à prophanis hominibus ad eos viros, qui Chriſtianis ſacris imbuti iræ odióq; adeò indulſerint, vt Pontifices ipſi in cadauera Pontificum iampridem ſepulta incredibili acerbitate ſæuierint. Sed tamen Stephani.vj. factum, ita literarum monimentis celebre traditũ eſt, vt iam taceri à me nõ poſsit. Ipſe enim Stephanus Pont. adeò Formoſi Pontificis odio flagrauit, vt eius cadauer effodiendũ curarit, digitóſque manuum abſciderit, quos in amnem Tyberim proiecerit, quin etiam eius omnia acta ita reſciſſa voluit, vt eum ex albo Pontificum ſublatum vellet.

De Paccia familia Florentinorum.

PERLIBENTER ſanè tranſiſſem ad ea iræ, & odij exempla, in quibus ſacrorũ mentio nulla haberetur, niſi Pacciæ familiæ grauiſsimũ, acerbiſsimúmq; facinus, quod patrum noſtrorum memoria Florentiæ geſtum eſt, occurreret, qua tempeſtate Ioannes Paccius ſic in in Mediceos exarſit odio, vt auſus ſit in diuæ Reparatæ tẽplo, Laurentium & fratrem Mediceos, quum ſacris ſacerdos litaret ferro petere, quorum alterum interfecerit, alterum acerrimè

vulnerarit, dum in ſacrarium fugeret. Sed tamen Paccius ipſe Ioannes pœnas meritas luerit: quamuis dignus, vt nominis eius nullus vnquam meminiſſet.

De Mario Placentino.

ABSTINEBO iam nunc à rerum ſacrarum commemoratione, idq́ue perlibenter faciam, ſi Marci Placentini ſacri alioqui viri vecordi animo conceptum facinus memoriæ poſtremò mandauero: qui ætate noſtra Adrianum Pontificem nefandiſsimo odio proſecutus, diutius eum è cubiculo prodeũtem fruſtra quum expectaſſet, ira odióque in ſe vnum inflammatus, ſe ipſum tandem interfecerit ad illius ianuam. Veritus vt opinor id reſciſſet, quod cum alijs cõmunicarat, accerbiſsimas pœnas daret odij tam iniqui & impij.

De Auaritia. Cap. IIII.

QVAM quãtámve dicã eſſe auaritiã, quę certè non corpora ſolùm hominum, vel animos maximè inficiat? Hæc igitur alieni appetens, quum ſemel inuaſerit animos, tanta talíſque eſt, vt non modò vnum, aut alterum, ſed & patriam ipſam, & Remp. opprimat, nihílque ſancti nihílque pij re-

linquat, Caueát igitur mortales omni ſtudio cum à reliquis vitijs, tùm verò ab hac vna cupiditate, quę ſecum omnia in vnum trahat, & perdat.

De Rodulpho Imperatore.

PIGET certè me, ſi quando in præſtátiſsimi alicuius viri mentionem, qui omni laude dignus eſſe cenſeatur, inciderim, vt eius quoque vitia quædam referenda mihi ſint. Et tamen Rodulphi Auſpurgenſis non poſſum nõ hîc repetere auaritiam (ſi modò hoc nomine mihi notandus eſt) qui inter Germaniæ principes præcipuum ſibi vendicet locum. Qui Auſpurgi comes, haud ſanè loci celebris, tãtum militari laude excelluit, vt magnum ampliſsimũque principatum in hunc vſque diem poſteris ſuis reliquerit. Qui quater & decies collatis ſignis cum hoſtibus ſuis victor ſemper euaſerit. Ottocarum Bohemiæ Regem victum acie, in deditionem memorabili aſtu acceperit. Pacis quoque artibus adeò inſignis, vt neſcias, quem illi præponas. Et tamen non deſunt qui hunc auaritia laboraſſe ſcribant: quoniam Luchinũ vicecomité eiúſq; hæredes Mediolano, Ciſalpinęq; Galliæ præfecerit, quódq;

Hetruriæ vrbis aliquot libertate donarit, magis id non prohibente Honorio Pont. quàm factum laudante. Quod vtinam beneficium vniuerſa Italia tunc accepiſſet, hodiéque retineret, pecunia etiam ingenti perſoluta.

De Petro Caſtulonenſi Rege.

NON indignabuntur reor Hiſpaniæ, ſi Petrum Caſtulonenſiũ Regem, non modò auaritiæ crimine ſed impietatis accuſauero: qui ad Maomadum Bethicæ Regem profectus, vt eum aduerſus hoſtes ſuos adhortaretur ad opem ſibi ferendam, tantum abfuit à retinenda beneficij præſtiti memoria, vt illum primus iaculo percuſſerit, aurúmque eius omne familiaribus adiuuantibus abſtulerit. Denique illum ſumma impietate, neglectóque omni humano fœdere interficiendum curarit.

De Superbia & impotentia. Cap. V.

De Laurentio Celſo duce.

NEMO non ab ſuperbia, & animi impotentia ortum dicet in Laurentio Celſo filio, qui dux creatus eſt viuēte patre, qua ex re pater ad illum, cum ſalutandi gratia adiret, nunquam illi aperto capite occurrere

rere voluit: quaſi verò patria authoritate indignum videretur, filium ſalutare domi ſedentem aperto capite. Quod nec filius domi fortaſſe hoc plurimum exquirere debuiſſet, etiam ſi aliquid de ſua dignitate adimi crederet. Tandē id verò, adinuētum eſt, vt cornu ſuo dux crucem aureā affigi in fronte iuſſerit, cui pater omnem honorem dicaret.

De oratore Veneto, apud Iulium Pontificem agente.

AGEBAT penes Pontificem Iuliū Venetus orator, ſingulari prudentia, & probitate vir: qui tamen cùm grauius Venetum nomen laceraret Pont. de Imperióque Veneto penitus à ſe euertendo minaretur, eo impotentiæ lapſus eſt, vt Pont. ipſum vilem clericulum Venetorum opera euaſurum diceret. Quod ſuperbè dictum vſque adeò pontificis Iulij animum incendit, vt Cameracenſe tandem fœdus initum ſit, quo totius Imperij ſui clade Veneti ſint affecti.

EXTERNA.

De Sapore Perſarum rege.

HABET habebítque ſemper ipſa indomita ſuperbia ex nimia fęlicitate aucta ſuas quaſdam vires, quas nunquam laudaueris. Id quod in Sapor Perſarum rege manifeſtè deprehenſum eſt: qui Valerianum Romanum Imperatorem à ſe captum, ita penès ſe habuit, vt non modò canis loco eum haberet: ſed ſi quando equum conſcē deret, eius tergo ſemper abuti voluerit, quò facilior in equum aſcēſus foret, cuius tantæ ſuperbiæ pœnas mox luerit.

De Tamborlane Perſarum Rege.

VSVS eſt Tamborlanes, in Baijſethe Turcarum principe à ſe capto, eodem ſuperbiæ crimine, longe tamen acerbiore: qui non modò illum facilè ſecum habuit, verùm inter captiuos habitum, carceri tetro etiam incluſit. Quem cuſtodia eductum quum equum conſcenderet, proſternere ſeſe illum iubebat, pedibúſque ſuis terga illius premens, equum aſcendebat. O effrenem ſuperbiam, ô impotentes mortalium animos: quaſi verò ita ſibi perſuadeant, nunquàm quidpiam ſibi tale contingere poſſe.

De perfidia. Cap. VI.

QVANTVM ſemper incommodi, quantúmque mali ſecum afferat ipſa perfidia, quámque illa calamitoſa funeſtáque humano ſit generi, facilè ſtatim is intelliget, qui fidem ipſam virtutum omnium alumnam, atque parentem, iuſtitiǽque ipſius fundamentum, ſocietatémque omnẽ tolli penitus euertíque cognouerit. Diſcãt igitur mortales quæſo, ab hac vna ipſa in primis abhorrere, in qua tantum malorum lateat, vt reliqua omnia vitia huic vni conferri poſsint.

De Cretenſium perfidia in Venetos.

FVERVNT olim Cretenſes infames poëtæ ſui teſtimonio, tanquam mendaces forent. Atque vtinam intra mendacij fines conſtitiſſent, nec perfidiã ipſam, quæ tamen in mendacijs hæreat amplexi in Venetos eſſent. Qui ipſam inſulam iampridem adepti, floridámque vndique illã reddentes, vt etiam nobiles ſuos, & reliquos ciues in ipſam inſulã tranſcribi ſint paſsi, in ſumma pace & otio eam regebant, quũ ſtatim Cretẽſes ipſi in Venetũ nomẽ perfidi ab eo deſciſcũt. Venetóſq; aliquot patricios partim interficiũt, partim in ſuũ ſce-

lus aſciſcunt. Quibus tamen poſtea (quãtum in ipſis fuit) minimè poſtea pepercerint. Quinetiam duodecim oratores Genuam miſerint, qui Ligures ipſos adhortarentur ad inſulæ imperium recipiendũ. Donec tandem Venetijs armis victi, ſatis fœlice rerum curſu, in hunc vſque diem conquieſcant, obliuiſcentibus penitus Venetis eorum iniuriam atque perfidiam.

De Iaderatinorum perfidia.

EST Iadera hodie Dalmatiæ vrbs vna princeps eius prouinciæ habita, priſcis quoque tẽporibus Romano florente Imperio ſatis florens, quæ tamen poſtea Pannoniæ Regibus ſeruiens ſatis celebris haberetur, commutato imperio, Venetiſque parens, non oblita veteris ſceptri ſepties tamen vſa ingenti perfidia, Venetę inſignis bonitatis immemor rebellarit. Qua tum in re, ſic cum illis Veneti ſemper egerunt, vt abolita tandem veteri perfidia, multos iam annos ipſi ſumma fide, & charitate inſeruiant.

EXTERNA.

De Manuele Imperatore.

QVANTVM ſit in perfidia crimen, Manuel ſecundus Imperator Conſtantinopolitanus facilè docuerit. Corradum imperatorem, & Ludouicum Francorum Regem, Boſphorum traiicere intempeſtiuè coëgit, qui Hieroſolymorum regnum ſtabilire contendebant. In quos Manuel ipſe altero perfidiæ genere deſæuijt: nam farinam laborantibus ipſis fame, gypſo plenam infecit, qua ex re magna pars exercitus confecta ita concidit, vt quamplurimi ex chriſtianis militibus, nouo morbi genere conciderint.

De Michaële Palæologo Imperat.

NEC minore perfidia laborauit Michaël Palæologus Imperator Bizantius, qua in Balduini filios ſibi creditos vſus eſt. Nam recepto à ſe Byzantio quum in Adrianopoli Imperatoris Balduini ſeruarentur filij, eos omnes occidi iuſsit, quamuis tutelam eorum à patre relictā gereret. Qua ex re, nemo non ipſum odio grauiſsimo ſemper habuit.

De vi ac ſeditione. Cap. VII.

FACTVRVS ne operæpretium ſim, ſi

cum de vi ac ſeditione agendum hac in parte ſit à primordio vrbis cœperim haud ſatis ſcio. Illud certè deo Opt. Ma. Veneti ſeſe debere fatebũtur, quibus & reliqui gratulari in primis poſsint, quod ipſa vis, ac ſeditio tantum per ea tempora viguerit, quum apud Heracliam, aut Methamaucum. Venetorum ducum nomina tunc florerent.

De Theodato Duce Methamaucenſi.

FVERE quidem alij ante hunc magiſtri militiæ nomine, qui dignitate annua Venetiæ ipſi præeſſent vniuerſæ, quorũ exitum nequaquam hîc referre conſiliũ fuit, nec res ab his geſtas commemorare. Exordiar igitur igitur à Theodato Methamaucenſi duce, qui concordi omnium ordinũ conſenſu dux apud Methamaucum dictus, tredecim annos cum innocenter in primis imperaſſet, dum Brundulum oppidũ munire ſummopere ſtudet à Galla circumuentus viro primarij nominis, ea tempeſtate principatu extruditur, vtroque lumine ab eodem captus.

De Galla duce.

DEBVERAT certè dux hic interfecto Theodato, huiuſmodi euentum, quem & paſſus eſt expectare. Siquidem anno expleto & menſibus duobus tyrannidis ſuæ, vnanimi Venetorum omnium conſenſu deiectus imperio, captúſque & ipſe oculis priuatur.

De Dominico Monegario duce.

INVALVERAT iam in ipſis Heracliæ Methamaucíq; principibus mos peſſimus, vt ipſos principes tanquam nimis violentos principatu extruderent. Nec hoc facinore contenti iam vnum ex his trucidauerant, duos reliquos oculis priuarant: cum ſuffecto illis Dominico Monegario duobus tribunis additis, qui illi perpetuò aſſiſterent, quinto etiam poſt anno excæcarũt. Vt mirum prope ac incredibile dictu ſit, ſuperfuiſſe homines, qui talem dignitem appeterent.

EXTERNA.

De Romanis in Leonem tertium Pontificem.

NEQVAQVAM mihi deerant prouinciarum extra Italiam exempla huic in primis opportuna loco: ſed quoniam Italia nos ad ſe trahit memorabili in ſacroſanctũ Pontificẽ facinore, quum Leo tertius ſummus Põtifex Romę creatus omníque virtute inſignis Paſchalis Primicerij, Campuli presbyteri factioſorũ hominum conſpiratione interceptus eſt, atque ita oppreſſus, vt affectum ipſum Leonem grauiſſimis omnibus malis carceri quoque incluſerint. Qui poſtea Caroli magni interuentu tandem liberatus, cum iureiurando publicè ſeſe obſtrinxiſſet Leo, minimè ſe conſcium eſſe eorum criminum quæ ſibi obiecißent. Quare recepto Pontificatu ita ſe poſtea geſsit, vt ne inimicos ipſos quidem vlciſci vellet, & religionem Chriſtianam quoad eius fieri poſſet ſanctam, piámque magis redderet. Vnde meritò inter diuos noſtrates hodie colatur.

De Romanis in Gelaſium Pont.

QVI res geſtas literarum monimentis tradidere, ex quo Romana maieſtas imperij concidit, Romani populi ferociam in Pontifices ipſos, atque inſolentiam fre

quenter recenſuere : vt maximè admirari poſsis, quomodo hæc mala exorirentur in ea vrbe, vbi Pontifices Maximi rerum potirentur, qui pietatem verámque religionem ſecum præferrent. Quare quod Gelaſio Pont. contigit, quis non maximè accuſet? Quod eum Frangipanes fratres Cincius, & Leo, eodem die, quo creatus eſt Pont. acerbiſsimis malis affecere. Nam, & calcibus & pugnis in eum minimè temperarunt, calcaribúſque inſuper ſuis illum penè oppreſſere, in conclaui denique ipſo ſic ſtratum traxere, vt vix ſpiritus illi ſuperfuerit: nec minore acerbitate in reliquum Cardinalium collegium vſi ſunt.

De Bononienſibus.

SVPERERANT adhuc non pauca populi Romani exempla, quibus ille in ſuos Pont. frequentius ſit vſus. Cæterum nunc his relictis ad Bononiēſes ipſos trāſibimus: qui famuli cuiuſdam lanij inſaniam ſecuti, grauem ſeditionem in ea ciuitate in integrum annum exercuere, quo anno Ioannes vigeſimus tertius Pontificatum adminiſtrabat. Verumtamen nobiles,

& qui de patriæ ſuæ libertate melius ſentirent, coëuntes in vnum, & lanium ipſum expulerunt, & Mangolinum alterum factionis principem interemerunt, veráque libertate recepta, rem omnem Bononienſem fœlicius compoſuere.

De temeritate. Cap. VIII.

EST quidem temeritas hæc ipſa, de qua nunc mihi agendum ſit, graue violentúmque inter mortales malum, quę ſubito correpta incurſu, neque ſeſe, neque alios vnquam reſpiciat. Curemus igitur ſubitum hunc in homine furorem, ne repentino ictu perculſi, in grauiſsima quæque facinora prolabamur, vnde non facilis ſit receptus. Id quod Mauricius Ioannis ducis Veneti filius, vel hoc loco facilè declarauerit, qui impius adoleſcẽs Gradũ miſſus, impij patris imperio fũctus, nõ modò Gradũ facilè recepit, verũetiam Fortunatũ Patriarcham temerario auſu ex altiore turri præcipitem dedit. Quo graui facinore perpetrato, pater & filius in exilium acti, pœnas meritas ſui ſceleris perſoluere.

De Saladino principe lõge clariſsimo.

NON habet certè Maumethes inter ſuos principes Saladino clariorem. Qui audito Chriſtianorum principum apparatu ingenti, quo Hieroſolyma ipſa recipienda eſſent, non dubitauit priuati habitu poſthabito regio ſolio, Gallias ipſas, & Germaniam, adde etiam & Hiſpanias obire. Quę quum omnia accuratiùs luſtraſſet, ad ſuos incolumis rediit. Quod certè facinus nemo dicere poſsit non plenum temeritatis fuiſſe, ſi quis tamen Saladinũ ipſum rectè ſatis æſtimet.

De Alberto Brandolino.

SEDEBAT ad Carauagium Franciſcus Sfortia Mediolanenſium Imperator contra Venetos, cum hic Albertus omni contentione Michaëlem Attendulum Imperatorem, & reliqui Veneti exercitus principes perſuadere nitebâtur, vt Carauagio à Sfortia obſeſſo omnino opẽ ferre vellent. A qua ſententia quidem ferè omnes abhorrebant: ſed ille hoc vnum præcipuè ſibi placere pertinaciter perſeuerans. Coloni tãdẽ habitu vuáq; ſecũ venalẽ ferẽs, nõ dubitauit in Sfortię caſtra trãſire, omniáq; ſecum diligẽter expẽdere, & ad ſuos inco-

lumis reuerti.Probato igitur eius conſilio, dum Carauagiũ ab obſidione liberare cõtendunt, prælióque Sfortiæ congreſsi memorabili eius ætatis pugna ſuperantur Veneti: quæ adhuc prouerbij loco cõſtat: vt meritò inter temeraria facinora, Brandolinum hunc vnum numerare poſsis.

De Iacobo Paccio Florentino.

SVPERAT omnem temeritatem ſæuiſſmum facinus Iacobi Paccij in Mediceos, vt iam impietatem illius in primis etiam accuſes. Qui non contentus Mediceos de medio tollere geminos fratres Laurentium & Iulianum obtruncare nequaquàm veritus ſit, quando intra templi ſepta quum ſacris litarent, alterum iugulauerit, alterum graui vulnere affecerit. Qui mox fugiens, captúſque à perſequentibus grauiſsimas mox temeritatis ſuæ pœnas luerit.

Quantum valet error.

Cap. IX.

De errore in Carolum Zenum.

NEMO vnquam dubitauerit temeritati proximum errorem eſſe. Qui ſi animos noſtros inuaſerit, vt cæci dubiíque in rebus agendis videamur, cum publicè tum priuatim vitæ mortalium plurimum obfuerit. Quare diligentiam ſemper etiam in re minima adhibebit ille, quando ex minimo quoque errato grauiſsima detrimenta gignantur. Id quod in Carolo Zeno rectè ſanè approbatum ſit, qui cum Franciſcum Carariũ in Gallia Ciſalpina agẽtem, pulſum à vicecomitibus quadringentis aureis adiuuiſſet, vnde facilè reditum non multo poſt ſit adeptus, illéque Carolo poſtea in patriam reuertenti eos reddidiſſet: miniſtri culpa factum eſt, vt nihil ille in cõmentarios Cararij retulerit de nũmis ſuperius à Carolo mutuatis. Qui liber mox Venetias perlatus, poſt pulſum Patauio Cararium, dedit maleuolis anſam opinandi corruptum eſſe hac pecunia Carolum à Carario. Quum verò grauiter animaduerti placuiſſet in eos, qui ab illo pecuniã accepiſſent, nec cauſam acceptæ pecuniæ publicæ apud magiſtratum profiterentur aut graui pœna afficerentur. Carolus ipſe nequaquam ſibi conſcius alicuius ſui erroris nihil omnino retulit penes magiſtratũ.

Qua ex re non multo poſt accuſatus, magnóque errore denique actum, vt & procuratoria illi dignitas abrogaretur, & in carcere biennium eſſet, numerata pecunia, quam apparebat illũ ab ipſo Carrario accepiſſe veluti dono.

De Antonio Grimano, qui poſtea dux fuit.

NIHIL certè eſt magis admirabile, nihil quod maiorem admirationem poſteritati afferat, quàm quod clariſſimum virũ Antonium Grimanum maritimæ rei Imperatorem redactum in ordinem nos vidimus. Deinde abrogata illi procuratoria dignitate, perpetuo etiã exilio mulctatum, quem tamen non multo poſt patriæ limitibus reſtituere, atque ei procuratoriam dignitatem addidere: poſtremò verò legitimis etiam ſuffragiis principum renunciauere. Qui certè ſi diutius vixiſſet, bonitatis ſuæ monimentum poſteris ampliſſimũ reliquiſſet.

EXTERNA.

De Turonibus.

NON poſsis non vehementer admirari, quod apud Turones eueniſſe conſtat, in foribus enim cuiuſdam ſacelli, quum impoſitum eſſet cadauer cuiuſdam latronis, vulgò illud ſumma quadam pietate coleretur, fortè ita accidit, quod Martinus tūc ſuperſtes ibi adeſſet, qui re ſatis exploratè cognita, nequid erroris ſubeſſet, Deū precatus eſt, vt ſeriem omnem rei patefaceret, ſtatímque vox de cœlo audita latronis ſuſpendio necati ibi iacere corpus: ſicq́; exeſo cadauere diſsipatóque omnis falſæ ſuperſtitionis error ſublatus eſt.

De Rainerio Neapolitano.

ADDAM poſtremò, & illud Regis Legati Neapolitani longè calamitoſiſsimū exemplum, qui quum Neapolim obtineret, falſò ſuſpicatus eſt ab Alphonſo Rege vrbs capta eſſet * quod Arragonius miles per cuniculum ingreſſus ipſi Rainerio ſeſe oſtentaſſet frequens, quare neglecto mœnium præſidio, in arcem confugiens, vrbē ipſam hoſti reliquit, Gallicis militibus vndique diffugientibus, quū falſo errore correpti ſibi perſuaſiſſent Rege diſcedente nihil iam ſupereſſe ſpei.

De Vltione. Cap. X.

INVITVS certè inuerti ſtylum aduerſus veteres Venetos duces Methamenſes, quorum vltio, & aſsidua nimis, & grauis mihi ſemper eſt viſa, qua in parte immortali Deo verè optimo maximo ingentes ſæpe gratias ago. Quod in Riualtinis principibus reliquóque patricio ordine, nullum tale exemplum ad noſtram vſque ætatem inueniam præter vnum aut alterũ in quo mihi immorandum in pręſentia ſit.

De Orleo duce.

VLTIO ipſa cum ſæpè grauis moleſtáque ſit, dignáque infamia ſumma, quæque certè ab omnibus iure accuſanda ſit, neſcio tamen quo pacto in Orleo Heraclienſi duce meritò ab omnibus accuſabitur, qui optimè meritus de Veneto nomine poſt receptam à Longobardis Rauẽnã ſuóque Hexarcho traditam auſpicio ductúque ſuo, pôſtque Aquilegienſem Patriarcham à Grado reiectum, exorto interim ciuili bello inter ipſos Heraclienſes vndecimo poſt imperij ſui anno mẽſibúſque quinque ab ipſis Heraclienſibus obtruncatur.

De

De Theodato Methamaucenſi.

NEC magis fœlix Theodatus Methamaucenſis dux primus haberi poteſt, qui ipſe optimè meritus de Venetis tertiũ decimum poſt annum ſui principatus, Brundulo extruendo vacat, captus à Gallia excæcantur.

De Gallo duce.

QVIS non hunc, qui Theodato ſuffectus eſt dignum duxerit eadem pœna eodémque ſupplicio, quo Theodatum ducem ipſemet affecerit? Meritò igitur vix anno principatus ſui exacto, imperio deiicitur, oculíſque priuatus, non multò poſt moritur.

De Dominico Monegario duce.

INFELIX certè fatum, peſsimúmque ſydus Dominici Monegarij prĩcipis fuiſſe nemo non dixerit, qui quinto poſt imperij ſui anno, quum duo tribuni annui additi illi eſſent, vt nihil ille per ſe decernere in quenquam poſſet, tamen & ipſe à Methamaucenſibus honore, & oculis priuatur.

De Petro Candiano duce.

ACCVSARI Methamaucenſes facilè & ipſi poterunt, qui tamen ſuorum principum cæde contenti, non vtra amplius in eorum cadauera ſæuierunt. Sed quis quæſo Venetorum acerbitatem in Petrũ Candianum ducem ſatis vnquam laudet? Quẽ prĩcipatu pulſum quintũ decimũ poſt annũ incenſáque ſimul ducaria æde cum D. Marci templo, ſugientem cum paruulo filio, ſupplicantem etiam, vt ipſi ſaltem parcerent puero, cum coniuge ipſa, & filio interemerunt inuentúmque eius cadauer in macellum vſque petraxere, membratímq; laceratum canibus tradidere.

EXTERNA.

De Iuſtiniano ſecundo Imperatore Conſtantinopolitano.

HABERET forſitan Iuſtinianus Imperator ſecundus Conſtantinopolitanus iuſtas vltionis cauſas in Leontium, & reliquos coniuratos, qui illi imperatoriam dignitatem ademiſſent, naſúmque abſcidiſſent, niſi grauius multo in eos animaduertiſſet. Quippe qui domũ reuerſus, iterúm-

que Imperij faſtigium adeptus, quotienſcunque naſum emungeret, ex cõiuratis vnum, quorum multos in carcere aſſeruabat, iubebat occidi.

De Sancio Caſtulonenſi comite.

QVOMODO verò Sancium Caſtulonenſem principem excuſare iuſtè poterimus, qui matrem ipſam ab Arabe principe amatam eodẽ venenato poculo mori coëgit, quod ſibi genitrix ipſa ebibendũ porrexerat? Optabat enim illa filium mori, vt liberius in re Venerea vacare cũ illo poſſet, mortuo filio.

De Belliſarij exercitu in vrbe Romana.

NVNQVAM accuſari grauius meritò poterunt Belliſarij milites qui Romam vrbem eo imperante obſidebant aduerſus Gothos. Relictum Canonem præfectum ab eodem, qui in Siciliam neceſſitate cogente profectus erat, interemerũt: qui Canon inſigni auaritia, vt ſibi ſtipẽdia interciperet, ad ſéq; trãsferret, frumẽta coëmebat, quæ quotidie aucto p̃cio illis vẽderet.

Quod cum ſæpius faceret, re ab his exploratа, iure quodam ſuo, auaritiam nimis grauem, in Præfecto vlti ſunt, eius acerbiore fato.

Dicta improba aut facta ſcelerata.

Cap. XI.

De Petro Candiano duce.

EXORDIAR certè à Petro Candiano ducis filio, cuius facinus nemo vnquam probet, qui aſcitus à patre in principatũ comes, multum in illum tentauit, vt eum Imperio deiiceret, ſolúſque rebus præeſſet. Quod cum ſæpius Venetus populus animaduertiſſet, iure optimo filium in exiliũ egere, vt pater incolumis domi ageret, filiúſque ſui ſceleris pœnas abſens pẽderet.

De Petro Laurentij Celſi ducis filio.

CVM hoc homine neſcio quo pacto te geres, qui principem filium nunquam æquo animo adire ſalutandi cauſa poterat: quòd grauiter ferret ſe patrem iam ſenio grauem, ad nouum exemplum cogi, vt aperto capite filio occurreret. Qua re tan-

dem à filio animaduerſa, prudenter ſanè excogitauit, vt pileo ſuo crux aurea impo neretur, quam viſam pater non grauatò ſalutaret. Quam crucem ad hunc vſq; diẽ principes retineant.

EXTERNA.

De Henrico, Henrici tertij Imperatoris filio.

NOLLEM certè hac ipſa in parte tam ſcelerata exempla prodere, vt parricidia quoque hoc in loco mihi perſtringenda eſſent. Siquidem hæc mihi grauiora videntur, quàm vt inter hęc dictorum factorúmque improbè exempla annumerari queant. Primúmque tamen ſit, non poteris non planè Henricum Henrici Imperatoris filium grauiter accuſare, & acerbè, quòd patrem ſuum Imperato rem non ſolum imperio deiecerit, verumetiam illum fugientem filij vim, Leodij diutius obſeſſum, maturius mori tandem coëgerit, quũ tantam prę nimio dolore acerbitatem filij ferre æquo animo non poſſet.

De Ludouico Ludouici Bauariæ ducis filio.

ACCEDET ad ſuperius exemplum illi ferè par Ludouici Bauariæ Ducis filij: qui imperij auidus nec paternæ maieſtatis memor, patrem ipſum omni arte principatu deturbare conatus, ipſum graui obſidione oppreſſum, mori miſerabili fato coëgit, vt ſibi Imperium Bauariæ celerius morte patris demandaretur.

De Michaële Conſtantinopolitano Imperatore.

HIC Nicephori filius Conſtantinopolitani principis, & ipſe quum Alexio in patrem coniuratione inita, ſi victores ex prælio redijſſent deiecto patre imperium ipſi obtinerent, fortè ita planè accidit, vt ad Dyrrachium à Guiſcardo Duce ipſe interficeretur cum Alexio, ſicque cogitati ſceleris iuſtiſsimas pœnas luit.

De mortibus non vulgaribus. Cap. XII.

De Andrea Dandulo præfecto rei maritimæ.

GEREBATVR ea tẽpeſtate graue cum

Genuenſibus bellum, quo tempore Reip. Petrus Gradonicus præerat Dux. Electus igitur Andreas Dandulus claſsis Venetæ præfectus cum Carolo, ſpectabat quotidie ad Corcyram nigram, quidnam Genuenſium claſsis moliretur. Tandem verò adueniente hoſte congreſſus, cum eo Liguſtica arte fortiſsimè diu pugnans vincitur, & capitur, Genuámque captiuus cum traheretur tanto animi dolore affectus taditur, vt impacto triremi capite ſæpius, antequam Genuam ingrederetur animam exhalarit.

De Orſato Iuſtiniano.

QVANTVM laboris, quantúmve doloris exhauſerit Orſatus Iuſtinianus maritimæ rei Imperator, vel hoc ipſum mortis genus acerbiſsimũ declarauerit. Quippe qui Mytilenem cum claſſe profectus, quum vrbem ipſam magno animo inuaſiſſet, acríque prælio oppugnaſſet, vix tamen ob oppugnatione repulſus, vſqueadeo grauiter rem tulit, vt Methonem quũ primùm attigiſſet in littúſque deſcendiſſet, mœrore animi affectus in ipſo Methones ingreſſu ſupremum obierit diem.

De Hiadano Gritto, & Petro. Mocenico.

QVOS animos quóſve ſpiritus erga patriam præ ſe tulerint hi duo rei naualis imperatores haud facilè dixeris. Nam Hiadanus Grittus iam ſenio confectus, morbóque inſuper inter nauigandum grauatus, non dubitauit amnem Boianum ingredi, vt obſeſſæ Scordæ opem ferret, quem cœli grauitate grauem in primis eſſe non neſciuerat. Nec minus Petrus Mocenicus, cui ipſe Hiadanus ſucceſſor datus erat, veritus eſt ad eum nauigare, quem aliter in Poloponneſo expectare poterat. Quare vterque contracto grauiſsimo morbo non multò poſt deceſſerit. Tametſi Petrus aliquanto meliore fortuna vſus domũ profectus dúxque declaratus, & ipſe diem non multò poſt extremum clauſerit.

EXTERNA.

De Theodorico Oſtrogothorum Rege.

IVRE quidem optimo Thedoricus Oſtrogothorum Rex, hac in parte princi-

pem ſibi vendicabit locum. Qui quum Symmachum, & Boëtium iniuſtiſsimè iuſſerit occidi, meritò aſſecutus eſt, vt quum in cœna piſcis ingentis caput appoſitum illi eſſet, conſtanter ſibi videre viſus eſt Symmachi caput in labro piſcis cultro ſibi minantis interitum. Quo ſpectaculo territus morbóque ſtatim grauatus ob ſceleſti ſui facinoris memoriam, non multo poſt tremens ſemper expirauit.

De Arrio hæreſiarcha.

ECQVIS non libentiſsimè Arrij mortem hæreſiarchæ retulerit? Qui Conſtantinopoli agens, dum ſe ſceleratiſsimámque ſuam ſententiam tueri ſtudet cõtra Alexandrinum Pontificem, catholicè ſentientem, ventrem leuaturus intra cellam prodigioſo planè exitu, inteſtina omnia moriens effuderit. Nec defuere tamen, qui diu poſtea nefariam hanc perditiſsimi hominis ſententiam, ſumma contentione defenderent.

De ſeptem dormientibus.

IMPONENT finem ſeptem (qui dicuntur) dormientes, atque hoc propter nouum mortis genus, quam longiori ſom-

no ſimiliorem dixeris, qui apud Turonas agentes, vitæ innocentia clari Chriſtanæ pietatis cum Martino Pontifice ſtudioſi ſectatores, quodam die dum ſacris intereſſent poſteaquam Martinus ipſe deceſsiſſet, multos iam antea annos ſummóque pietatis cultu cum Ricardo Abbate vitam tranſegiſſent, litatorio ſacro perfuncti, omnes emiſſo ſpiritu oculos clauſere, vt quũ omni carerent ſenſu, vno, eodémque monumento poſiti, veluti cœleſtia numina in hunc vſque diem colantur.

De cupiditate vitæ Cap. XII.

De Henrico Dandulo, qui poſtea dux fuit.

AFFVIT certè iuſta diu viuendi cupiditas Henricò Dandulo, qui legatus ad Manuelem Imperatorem miſſus cuius iuſſu luminibus planè priuatus eſt, candente lamina ærea eius oculis obiecta, quam ille intueri continuò cogeretur. Qui poſtea domum reuerſus tanto accepto incommodo, princeps à quadraginta viris declaratus eſt, in locum Aurei Maſtrope-

tri vita functi:qui tamen ita ſe geſsit toto vitæ ſuæ tempore, vt Venetum nomen recepta Iadera Græciæque Imperio parto, Cretáque inſula dono accepta (quam in hunc vſque diem retineamus) quum iam ingraueſcente ætate, viuere diutius non poſſet, dignus tamen videri poſſet, qui ad Veneti nominis gloriam & laudem longius vitæ ſpatium adijceret.

De Carolo Zeno.

FVERE in Carolo Zeno, quod ſæpius repetierimus innumeræ præclaræque animi dotes, quas alijs in locis iam ſæpius explicauimus, qui tamen & ipſe diutius vitam protrahere ſemper optauit. Nam amiſſo Iacobo filio natu maiore, cum filium reliquiſſet Iacobi nomine ad maiorem animi ſui voluptatem Rainerium appellari iuſsit, móxque cum filijs reliquis, & nepotibus ita vixit, vt ſemper iucundiſſimè illis vteretur. Qua ex re factum eſt, vt poſt annum quartum, & octuageſimum incolumis non multò poſt, fato naturæque conceſſerit, magno virtutis ſummæ exemplo poſt ſe relicto.

De Franciſco Foſcaro Duce.

QVIS neſciat Franciſco Foſcaro toties priuatim varia fortuna affecto, ſummam fuiſſe viuendi cupiditatem. Qui nunquam adduci potuit, vt Ducis dignitatem publico nomine donaret, vt tandem coactus è ducario diſcedere, adiuuante vxore, fruſtra tamen ſuperuiuere diutius optarit.

Finis Noni & poſtremi libri.

Excudebat ſuis typis
Mauricius Menier Ty-
pographus, in ſubur-
biis Victorianis, ad in-
ſigne Diui Petri. Anno
domini milleſimo quin
genteſimo quinquage-
ſimo quarto, ſexto Ca-
lendas Octobris.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE